8
7-C
73 M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
27 H
22

Ex Bibliotheca
[Ma]jori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-S.F.91

80-D-33

89
D
49

8-7.C.73.

80-4-40

L
493

Hiſtoria Belgica:

Hoc eſt,

RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN BELGIO, IAM INDE A PACE ILLA CAMERA-

cenſi inter CAROLVM V. Rom. Imperat. & FRANCISCVM eius nominis I. Regem Francię, ter pientiſſ. memoriæ inita, paſſim aliquando euenerint, BREVIS DESIGNATIO: cui intertexta ſunt, quæ etiam in Europa inſignia ac illuſtria paſſim contigerint: deducta ab 1529. vſque in 83. annum præſentem. Hactenus à variis vario ſtylo conſcripta: Iam verò præſenti facie, & quaſi in Epitomate, ſingulari ſtudio ac induſtria cuiuſdam Hiſtoriarum Studioſi congeſta.

Acceſſit Epitome χρονικῶν Regum Francorum omnium, à Pharamũdo, ad Henricum vſq; III. etiamnum regnum adminiſtrantem, Vitas & Geſta eorum ſuccinctè perſtringens: adiectis Holandiæ ac Zelandiæ Comitibus.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Iesu



FRANCOFORTI
Apud Sigiſmundum Feyrabenium,
M. D. LXXXIII.

Coll: Rom Soc.tis Iesu

Auctores huius Opuſculi.

Philippus Gallæus.
Gerhardus Candidus.
Chronologia omnium Regum Francorum.
Michaël Voſmerus.

STRENVO AC NOBILI VIRO, DOMINO CHRISTOPHORO NEV-ſteter, aliàs dicto Sturmer in Schóſeldt & Miſtelbach, Reuerendiſſimi Domini Bambergenſis Epiſcopi conſiliario, &c. Domino & patrono ſuo obſeruando.

QVOD ſi libri, Vir generis nobilitate, virtute ac doctrina Clariſsime, ad qualeſcunque rerum commoditates elucubrati, non paruo ſtudio in lucem reſtituantur, legantur, amplectentur: quãtò magis HISTORIARVM

cognitionem non incognitam eſſe conuenit: quandoquidem in hac non aliter atque in ſpeculo, qualiter ſit adminiſtranda Reſpublica, obeũda officia, gerendi Magiſtratus, regendæ prouinciæ, relucet. Adhæc, ſi eam laudamus prudentiã, quæ ex ſola ſenectute prouenit, nónne & HISTORIAM, quòd rerum veterum prudenter geſtarum in ſe contineat veritatẽ, laudabimus? Illa ſiquidẽ animos ad Maiorũ veſtigia ingredienda inflammat. Illa res omnes conſeruat, & ne hoc miſerrimo, turbulentiſſimóq; Reipub. ſtatu collabãtur, intẽdit. Illa ſola, vt vigeat omnium ſeculorũ memoria, quam ipſa poſteritas alat, poſteri intueantur, miriſq; modis ad ſuperioris ætatis hominũ facta incitẽtur, facit. illa vitas, mores, facta hominũ, cõſilia item, atq; euentus rerũ in medio ponit. Quid? Huius ſplẽdore, Rerũpublicarũ, Eccleſiarũ, & ſcholarũ Rectores clariores fiũt.

Anti-

Antiquitatum hiſtoriis peruoluendis, Magiſtratus ciuilis cernit, regna & principatus feliciter regi, conſeruari, amplificari non poſſe ignauia, torpore, ocio, luxu, delitiis, calamiſtratura, libidinibus: ſed virtute, iuſtitia, frugalitate, & religione. Deinde, quoad regendos populos, nequaquam opus eſſe ſuſurronibus, effœminatis, & omnium bonarum literarum oſoribus: ſed grauibus viris, prudentibus, magnanimis, doctis, ſapiẽtibus & humanis. Accedit, quòd & Rei militaris faciem nobis ſuis depingat colorib. Si metandorum caſtrorum peritiam, ſignorum collationem, acierum inſtructionem, ordinum pertinacem obſeruantiam, oppidorum ſolertem oppugnationem ſitias: ſi commeatuum facilitatem frugalitatemque, & ſtratagematum, inſidiarumque faciendarum & vitandarum occaſionem deſideres: hiſtorica lectio tibi ſuppeditabit. Quomodo,

ſi cum hoſte dimicandum ſit verſuto, ne acies frangatur, præcauebis, niſi priùs, qua ratione contra impetus illa munienda ſit, ex hiſtoria cognoueris? Quòd ſi aliquando contingat, vt circumuentus, anguſtiis includaris, ita vt nullus elabendi pateat exitus, annon tunc Annibalis, Aſdrubalis, aliorumq́ue ducum tibi proderunt ſtratagemata? qualia plurima omnes nobis præſcribunt hiſtoriæ. Et profectò, hoc conſtanter aſſeuerare nõ dubito, Neminem vnquam boni Imperatoris officio functurum eſſe, qui iam antè rationem belligerandi à Martis Cultoribus ardentiſſimis non didicerit. Ad quod aſſequendum, tibi prælucere poterit hiſtoricus ſplendor.

Porrò Theologo omnino neceſſariam eſſe cognitionem hiſtoriarum, etiam prophanarum, docet pulcerrimè lumen illud Eccleſiæ, Auguſtin. lib. 2. de Doct.

Chriſt.

Chriſt.cap.28.exemplo Ambroſij, verba eius ſunt hæc: Narratione autẽ hiſtorica cùm præterita etiã hominũ inſtituta narrãtur, non inter humana ipſa hiſtoria numerãda venit. quia iam quæ trãſierint, nec infecta fieri poſſint, in ordine temporum habenda ſunt. quorum conditor & adminiſtrator Deus eſt. Apud Hebræos ſummum hiſtoriarũ ſtudiũ fuit, cùm non quibuſlibet, ſed pontificib. tantùm ea cura cõmitteretur, & Prophetis, id quod monumẽta ipſorum teſtãtur: Ioſeph.lib.1.cont.Apion. Pontificib. Romanis (ſolis gentilitiis) permiſſa erat poteſtas memoriam gerendarum in tabulas cõferẽdi, & hos Annales vocarunt Maximos, quaſi à Maximis Põtificib. factos. Macrob.lib.3.Saturn. cap.2. Et vt manifeſtius fiat quod poſuimus. Quis quæſo vaticiniũ illud Danielis de quatuor Monarchiis (ne quem lõgior materiæ tractat⁹ ad peluim adigat)

de bellis inter ſucceſſores Alexandri gerendis, rectius aut intellexerit, vel aliis explicauerit, quàm qui ipſas hiſtorias, quæ omnia à Propheta prædicta eueniſſe teſtantur, plenè perluſtrauerit?

Opus illud Virgilianum, non modò rerum mirifica varietate, ſententiarumque grauitate iucundum, ſed etiã ad mores in omni vitæ genere, tum verò in primis ad linguæ Latinæ cultum & elegãtiã apprimè vtile, habet præter hiſtorica & fabuloſa multa etiam phyſica, & propriè ad naturam ſpectantia: vt, de variis animalium naturis, de arborum, herbarum, apum, & ſimilium rerum virtutib. de ventis & tempeſtatib. de fluminib. & eorum ortu. Intertexuntur etiam Geographica, Aſtronomica, τοπογραφίαι καὶ χωρογραφίαι *& multa alia. Hæc, inquam, quis in ſchola magnificè iuuentuti explicare poterit, niſi res geſtas, quæ obiter ibi tantùm attinguntur,*

tinguntur, ex aliis collegerit hiſtoriis? Nemo quoque Fontem illum Eloquentiæ, vel potiùs, Moyſen Romanum, abſque hiſtoriis facilè comprehendet, & quidnam agat, quibus loquatur, cognoſcet. Adeò, quòd abſolutum oratorem dixeris neminem, niſi & exemplis abundauerit, & quamplurima nouerit. Sed quorſum hæc diſputo? quorſum? vt intelligatur, quàm præclarum, quantáque cum vtilitate coniunctum ſit, antiqua illa hiſtoriarum monumenta ſectari, nùlliusq́ue tantum eſſe flumen ingenij, dicendi aut ſcribendi apparatum ac copiam tantam, qua quiſpiam non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando hiſtoriarum commoda & vtilitatem poſſit. Non poſſum mihi hoc loco temperare, quin quorundam peruerſitatem reprehendam, qui hiſtoricæ lectionis propagatores ex alto deſpiciunt, rident, & pro

ludibrio habent, garriētes illud Comicum: Nihil dicetur, quod non fuerit dictum prius. quid quæſo iſti ventres moliuntur? quid agunt? quid cogitant? Aliud certè nihil, niſi quòd molles diſcentium animos à vera luce auocare, & in perpetuas conentur præcipitare tenebras: Vah homines nihili, ad atri Ditis ianuam detrudendi.

Vt autem iſtos Momos communi luce ac conuerſatione humana indignos cenſemus: ſic æternæ laudis præconio digniſsimi iudicandi ſunt, qui ſummi ingenij virib. res fortiter geſtas ab interitu vindicarunt, & in orbis terrarum memoriam ſempiternam ſparſerunt ac diſſeminarunt. Mirari interdum ſolemus monumenta ærea, imagines vetuſtas & mutas ſtatuas: at multò magis homines antiquos, & qui ante multa ſecula vixerunt, admirari nos decet. hos enim Hiſtoriæ non vt mutas imagines,

ſed

ſed nobiſcum colloquentes, & morum noſtrorum viua quædam ſimulacra in conſpectum nobis ſiſtunt. Quamobrem Chronica legerunt etiam Ethnici, tum, quia cognitio per ſeſe vtilis: tum, quia proponuntur in iis multiplices commonefactiones, & norma vitæ in exemplis conſpicitur: quæ ſanè omnia candidum lectorem non mediocriter afficiũt.

Quando igitur, Vir Ampliſſime, præter alias ſtudiorum portiones hæc hiſtoriæ cognitio (vt ex præmiſſis liquet) tam eſt neceſſaria, vt citra hanc rectè adminiſtrari non poſſit quicquam: aliquot annis id vnicè ſtudui, quo meo typo (ſemper enim nihil antiquius, quàm Reipubl. literariæ inſeruire, habui) omnis generis hiſtoriographi quàm emẽdatiſſimè deſcriberentur. Eius conatus exempla eſſe poſſunt, Plutarchus, Liuius, Ioſephus, Sleidanus: qui vel ſolius Nomenclaturæ claritate ſtudio-

ſis comẽdantur. Nũc verò nouum quodammodo opuſculum, De rebus Belgicis, inſcriptum, hiſtorica caſtra ſequentibus (vt ſpe non dubia ducimur) delectabile futurum, in publicum ire permittimus. Complectitur enim omnes res memorabiles, quæ iam inde à pace illa Cameracenſi inter Carolum V. Roman. Imperat. & Franciſcum eius nominis I. Franciæ Regem, ter pientiſsimæ memoriæ inita, illuſtres apud Belgas euenerint, quibus intertexta conſpiciuntur, quæ etiam in Europa paſsim inſignia facinora contigerint: acceſsit quoque Epitome χρονικῶν, *Regum omnium Francorũ à Pharamundo, ad Henricum vſq; III. etiamnum regnum adminiſtrantem, vitas & geſta ſuccinctè perſtringens: vnà cum ordine Imperij ac nominum ſingulorum Holandiæ & Zelandiæ Comitum. Quæ licèt Paraleipomenûm aſpectum repræſentent, tamen*

men non inutile erit, & ciuiles & eccleſiaſticas mutationes totius Belgij inſpicere: quandoquidem mea ſententia nulla ſit natio, in qua noſtro æuo tot mutationes, tot bella, tot ſtrages emerſerint, quot Belgium nobis oſtendit.

Cum verò, vir Nobiliſsime, diu, multumq́ue diſpicerem, cui haſce hiſtorias rectiſsimè dedicarem, tu vnus occurriſti, cui hoc meum qualecunque in te ſtudium non ingratum ſperabã, quiq́; tum ob multiiugam eruditionem, tum inſignem, qua polles, authoritatem, patrocinium huic libro præſtare commodè poteris. Quibus enim in procliui eſt, omnia ne intellecta quidem, calumniari, nominis tui prærogatiua deterriti, à calumniis temperabunt. adde; quòd eò minùs Zoili hanc noſtram opellam ſuis cachinnis ac mordacibus calumniis maculare nitentur, cum ſciãt, T. N. E. fratrem habere Cathedralis Herbipo-

lenſis Eccleſiæ Canonicum digniſſimũ, Cambergenſis verò, Decanum vigilantiſſimum, virum literis apprimè doctum, ingenio acutiſſimum, & quod omnibus maius eſt, in Dei timore & ſancta conuerſatione nominatum, inque tanta excellentia, vt dignus à primæ notæ hominib. Epiſcopali eleuatione iudicetur. T.N.E. igitur, vt hanc compellationem meam perbenignè admittat, inſtitutum dedicationis probet, meque in numerum cultorum ſuorum referat, etiam atque etiam rogo. Id ſi obtinuero, vberrimos conſilij mei fructus percipiam, ac nihil eorum, quæ ad prædicationem & laudem T. N. E. pertinere intellexero, in me deſiderari ſtudebo. Quam ea valetudinis proſperitate, eoque rerum ac conſiliorum felici ſucceſſu florere precor, quo viri pietate ac virtute, meritiſque erga Rempublicam literariam inſignes à bonis

omnibus

omnibus digniſsimi iudicantur. Vale Vir Celeberrime. Francoforti Mœni ex ædibus noſtris, menſe Iul. Anno ſalutis humanæ 1583.

T. N. E.

Sigiſmundus Feyrabenius, Bibliopola Francofortanus, addictiſſimus.

RERVM BELGICARVM BREVIS DESIGNATIO.

NARRATIONIS Rerum Belgicarum Exordium ab Anno 1529. ſumere placuit. fuit enim perinſignis promulgatione Pacis, inter Pontif. Roman. Clement. eius nominis VII. Carolum à primo huius nominis V. Imperat. Roman. Franciſcum I. Gallorum, & Henricum Angliæ, Reges, Cameraci Belgarum, auſpice Deo, initæ, in æde Deiparæ ſacra, congregato ornatiſsimo agmine procerum, aſsiſtente omni faſtigio ordinis Eccleſiaſtici, circumfuſa ingenti officiorum ac magiſtratuum ciuilium multitudine. Eſt autem hoc ferè initio quæſita.

IMPERATOR CAESAR CAROLVS V. ET FRANCISCVS I. *Francorũ Rex, non feſſi fractiq́ diuturno bello duntaxat, ſed aliò intenti, quia nimirum Imper. à Turco, expeditionem Pannonicam iaciente, Auſtriæ ſuæ ſubtimebat, & Franc. rerum cùm publicarum, tum ſuarum acerbitate commo-*

ncbatur: determinarunt poſtremo, concordiam inter ſe conſtituere. Eam ob rem, Cameracum, liberā adhuc, & neutrius partis vrbem, in medio fere Belgio ſitam (vti fatalem, ad grauiſsimas R. P. C. conſultationes, & induciarum, fœderum, ac pacis ſolenni promulgatione iam olim celebratam) delegerunt. Interea igitur temporis, quo in Hiſpania inter Clementem VII. Rom. Pont. Max. & Imper. conuenit: hinc, à Cæſarianis, Margarita Auſtrias, Maximiliani Aug. filia (ea Carolo V. erat auia, proque nepote tunc Belgium obtinebat) inde verò, à Gallis Aloyſia Allobrox Regia mater (quæ eadem Franciæ rebus præerat) cum ſplendida pompa delecti comitatus, quô condictum erat, meditatæ venerunt. has enimuerò deducebant, qui ambabus erant aut à cōſilijs, aut ab actis, aut à ſecretis: & alij proceres, quorum interceſsione vtrinque optata pax facilior, æquabiliorq́; eſſet. quò poſtquam conueniſſent ex præcipuis Italiæ ciuitatibus legati, puta, à Venetis, ab Inſubribus, à Florentinis, & ſi qui eſſent Italorum reliquorum, Gallicarum partium ſtudioſi, Rom. Pont. præter Saluiatum (qui res Pontificias antea illic procurabat) Capuanum item antiſtitem eôdem

dem miſit. Britannicam verò legationem ſimul obibant Londinenſis Pont. & Suffolchius Ducis titulo honoratus. Itaq; per accenſos Heroidum reconciliatricum coacto ſemel atque iterum Senatu, poſtquam de alternis controuerſijs ac conſultationibus; diu multumq; iuri ſperiti diſputaſſent: Galli poſtremo, præ nimio quodam ſuarum rerum ſtudio, relictis Italis Non. Sextil. ex Anno 1529. pacem cum Cæſareanis, his ſummatim conditionibus, delibe rato fecere. 1529.

FRANCISCO *Delphinate, & Henrico Aureliano, liberis Regijs (obſidibus in Hiſpania patris, triēnio ante, è cuſtodia in regnum remiſſi, quantumuis licet conduplicatā iſtam redemptionis eſſe ſummam rumor fuerit vulgaris) manumiſſis, non modo Rex, duodecies centena millia aureorum Scutatorum appenderet Imp. ſed & Imp. nomine ſextantem itidem iam dictæ ſummæ ipſe Angliæ Regi.*

SESQVIMENSE, *poſt promulgatam per feciales pacem, quidquid iuriſdictionis Mediolanenſis Rex præoccupaſſet, id omne Imp. redderet. Aſtam coloniam dederet, & vniuer ſum eorum ius in Imp. tranſcriberet.*

BARIOLVM, *Apuliæ Peucetiæ mariti-*

mum oppidum, etſi quid aliud regni Neapoleos, ex Imp. ditione cepiſſet, Rex quamprimum cederet.

„ *Coram Senatu Veneto Rex proteſtaretur, quo illi ex formula Cuniacea, redderent Imp. occupatam Apuliæ partem; quod ni faxint, Venetorum itidem hoſtis Rex eſſet. & Imper. dum ſuum armis repeteret, certis tamen conditionibus) ſuppetias iret.*

„ *Ex conuentu Madrilitio, cum Flandria, tum Artuſia, necnon Neruiorum, atq; Atrebatum ciuitates, dominatu Regio liberatæ, in Imp. ſemel transferrentur. ſimul etiam lis illa inueterata, quam* * *Ambarrus ſuper Brabantia olim intendiſſet, abdicaretur.*

* Niuer ranus Dux vulgo.

„ *Actione Borbonia exoleſcente legitimi nepotes ſurreptã ſibi cernerent hæreditatem.*

„ *Ne Rex deinceps ulli Principum officioſius adhæreret, ne aut in rebus Italicis, aut Germanicis contra Imp. intercederet.*

„ *Contra Imp. quidquid Franciæ Iuriſdictionis citra, ultráue Somanam flumẽ, quidquid in Morinis, quidquid in prouincia Rom. ſibi quoquo modo vendicaſſet: Id omne circumſcripto etiam futuro tempore, tranſcriptum in Regem, renuntiaret.*

Quod

Quod ad Aeduos, vel Burgundios attine- "
ret, iuſtitium vt eſſet.

LEONORA *Auſtrias, Imp. Germana ſo-* "
ror, Franciſco Regi, certo nuptum daretur. Ea
propter ſponſa obſides (liberos patri congratu-
latum) ab Hiſpania in patriam deduceret: ac
ita Franciæ innuberet. id matrimonij & affi-
nitatis vinculum, pariterq́ concordiæ ſtabili-
mentum eſſet. Cætera conuentus capita, ceu pa
rum momenti, propter breuitatis ſtudium re-
ticere maluimus. Venerunt in partē huius fœ-
deris, ſummarius Pont. Rom. deinde Allobro-
gum Regulus, vna cū vniuerſa ſodalitate, quæ
ab alterutro pacatorum manifeſte ſtabat, quæ
res tamen Florentinos maxime fraudauit. ſi-
quidem Imp. tranſacta (vti diximus) Ponti-
ficia controuerſia, Philiberto Cabillonio Arau-
ſiorum Principi (qui tunc temporis ad Neapo-
lim inſtructum habebat exercitū) negotium
continuo dederat, illud ipſum requirēte Pont.
Clem. Florentinos inuadendi. Ob id Arauſi-
nus Romam contendit, & communicato con-
ſilio concludit, ſtatim cum ipſo menſe Augu-
ſto Peruſiam, omnium primam, ſe velle adori-
ri. &, (exacto inde Malateſta Ballione) ea ad
Pont. Rom. ditionem traducta, deinde in Flo-

rentinos inſultare, & poſtremo vrbem ſimul cum patria reddere Medicûm familiæ, quæ pro tempore exulabat. Porrò cum nullis planè rationibus perſuaderi poterāt Florentini, vt hanc intra mœnia, ciuitatemq́; reciperent, cuncta, quæ ad ſuſtinendum bellum neceſſaria erant, diligēter comparabant, vrbem ac municipia ſua omnia, præmuniebant. deniq; hoſtilem impetum fortiter expectabant.

Dum bellum adornatur Florentinum, Imp. cui iamdudum deliberatum erat, data occaſione, inaugurandi cauſa (vtq́; auito more Auguſtus ſalutaretur) in Italiam traijcere, conſcenſa Prætoria, Barcinone ſoluens, cum inſtructa longarum nauium claſſe, Libonotho flante prid. Id. Sextil. Genuam appulit. inde Placentiam transijt. vt & Pont. ex pactione Bononiam venturum, conueniret, & res Inſubricas (quibus haud ita pridem auctus erat) ſua præſentia interim confirmaret. ſiquidem ſtatus Mediolanenſis meliorem partem, armis è Gallorum manibus extortam, fortuito coorta neſcio qua inter Tribb. mill. & Franciſcum Sfortiam (in quem ea regio, iure gentilitio, propriè recidebat) diſſenſione, Anton. Læua, vir militaris diſciplinæ, & belli gloria inſi-

inſignis, in fide officioq́; Imp. continebat. etſi pars à vero Domino interim auelli ſe nequaquā patiebatur: quin Sfortiæ mordicùs adhærebat, partē aliquā etiā Gallis ſibi vendicātib.

Per eos ipſos fere dies Solymanus Otomanus Turcorum tyrannus, conflato in Hungaria numeroſo exercitu, cui ipſi identidem aderat, in Auſtriam incurſans, Viennam Pannoniæ ſuperioris, ſecundum Danubium poſitam, vrbem primariam obſedit. Eam Philippus Palatinus, Nicolaus Salmenſis, & Gulielmus Rogendorfus, Comites, ijdemq́; Tribb. mill. cū delecto peditum, equitumq́; Germanorum præſidio, fortiter tuebantur. ita vt, omni oppugnationis via perperam intentata, ac viginti, Aſiatica diritate, continuo, temere tamen, factis impreſſionibus, & deſideratis ſuorum circiter 60. millibus, re infecta, accepto maximo detrimento, ſub medium Octobrim, receptui Turcus cecinerit. Ardebat ita Barbarus, qui Aeacidinis quibuſdam minis Diras miſeris Chriſtianis imprecatus fertur, atque Deos ſuos gentilitios obteſtatus, adiuraſſe, preſto adfore ſe cū multo copioſiore exercitu, nec niſi expugnata illa vrbe pedem relaturum militémue in Thraciam reducturum.

Quo ipſo autumno peſtilens quidam ac letifer morbus erupit. quod inauditum malum manauit non ſolum per Belgium, atq; infernateis Theutones, ſed etiam ſuperiorem Germaniam tranſcendit, quod vel à notarum indicio, vel ab efficiētia potius Sudoriferum vulgo vocitabant. quippe correptos affectóſque eo morbo huberior quædam atq; inſolita deſudatio prodebat. ex quo ſudore cū cohorruiſſent, vehementiſsima febri, alte in fibris abdita, mirandum in modum iactabantur. ita vt, non integro vertente ſe die naturali, quantumuis licet bona valetudine firmaq́; corporatura ante fuiſſent, dolorib. diſtracti, protinus emorerētur. quod tabum, licet horarium, acerbe quoquo verſus pergraſſando, dici nequit, quantam hominum ſtragem promiſcue fecerit, & quantum terroris orbi incuſſerit. Porrò in mera ſolitudine humanæ opis (vt calamitate fracti & afflicti facere ſolent) diuinum numen tandem imploratur. itur ad pias preces, decernuntur ſupplicationes Deo. Andouerpiæ, ſicut & in alijs pleriſque Germaniæ ciuitatib. Amburbalia annua inſtituuntur. itaque ei malo poſtremo, vel ab Empiricis, vel à Britannis, qui conſimili contagione olim aliquando

liquando laborauerant, præſens remedium Theutoni didicerunt, adhibueruntq́ huiuſcemodi, vt ægrotanteis nimirum, lecto decumbenteis, atq́ apprime contectos fouerent, detinerentq́ immobileis, ac ſummopere cauerent, ne illi grauē immoderatumq́ ventum ſolum non ſentirent, ſed ne quamlibet quidem leniter fluentis aëris excitatione minimum offenderentur. quibus interim, etſi diætam præſcribebant, quam maxime hoc curabant, vt inſomneis eas (quot diximus) horas ducerent. ideo male habentibus cuſtodes adiungebant, vt ne ſcilicet letalis ſomnus incautis obreperet. ad quem, quo natura facilius, vel vltro prouocabantur ægrotantes, eo ſane difficilius ob impeditos aggrauatosq́ ſpiritus vitaleis, ac vix ab eo coërceri poterant. in quem, ſi forte per incuriam cuſtodiæ incidiſſent, conſopitorum inſtar, profunde dormiendo extinguebantur. Horum autem quamplurimi, quando iam dicta ratione curioſius operti, lectóque foti, obſeruabantur, nec nō totas viginti quatuor horas vigilabant; ſuperabant quidem. partim verò ad priſtinam valetudinem ægre, partim tardiuſcule, partim nunquam redierunt, nec mirum, cum tantopere & corporis,

& animi vires eſſent affectæ. Qua de lue iuxta cordate atq; eleganter, primi nominis Medici, Caſtroandouerpanus, & Rolandus Machlinianus ſcriptos libellos reliquerūt: & quidem illos vtiliſſimos, vel ob hoc, ad conſimilem occaſionē iure merito digniſſimos, qui in omnibus librarijs ſtudioſe conſeruentur. Erant verò, qui id genus contagionis cœlitus immiſſæ, morbum Angelicum dicerent: & ante quadraginta treis annos, perſimili omnino peſtilentia illic pergraſſante, incredibilem hominum ſtragem editam, coætaneorum memoria propalam aſſeuerarent. quam opinionem periclitatione atq; vſu longinqui temporis confirmabant. quòd ab illa vſq; tempeſtate ad hāc diem, in illo cœlo, ſtellæ quadam hærerent. Apud Teutonos verò ſupernateis, annonæ charitas ſumma tunc temporis etiam fuit. adeoq; ea prouincia triplici grauiſſimorum ſupplicio rum genere (quo, cum offenſas minime videtur diutius pati poſſe Deus, in ingratitudinē hominum animaduertere ſolet) non obſcure afficiebatur, bello, peſtifera lue, & fame. id quod ad ipſam, quæ in illud temporis incidit, Religionis μεταμόρφωσιν *quidam detorquere conantur.*

Hic

Hic non poſſum ſatis mirari quorundã hominum ſtoliditatem, quum nobis aliquod malum immiſerit Deus vitijs hominum exacerbatus, culpã in alia reijciũt, & ut canes ſolẽt, proiectum mordent lapidem, non attendentes ad proijcientem. Piè faceremus, ſi noſmetipſos accuſaremus: quandoquidem nemo ſine crimine viuat.

Secuto Nouembri Pont. quo ſit commendatiorem Imper. redderet nuperrime ſuſceptam aduerſus Florentinos expeditionẽ; Bononiam venit. nec ita multo poſt eodem Imp. eſt profectus. Inter quos, cùm præ cæteris hoc ageretur, quî res Italicæ componerẽtur: Imp. ob vrgenteis cauſas ad Teutonos recurrit, facta priùs libera poteſtate Sfortiæ, vt à crimine Maieſtatis ſe purgaret. quo ſiſtente, cognitaq; rei cauſa, & accepta, quam moderate prudenterq; deferebat, exceptione (ſuaſore & impulſore Pont. qui ea in re Inſubri multam operam ponebat) penſione pecuniaria, tempore certo præſcripta, multato reo, certa tamen lege ac conditione, culpam Imp. condonauit. ac ſimul Decembri ſtatum omnem reconciliato conceſſit, excepto Nouocomo & arce Mediolanenſi: quæ in primi anni ſcripturam retinuit.

Eodem

Eodem tempore Veneti, qui Sfortiæ & Florentinis fœdere iuncti, in Apulia, atq; in togata Gallia diutino bello Imp. ante laceſſerant, in haſce conditiones deſcenderũt: Imp. quidquid de ſuo vtrobiq; ipſi occupaſſent, reſtituerẽt: & imperatam pecuniam perſoluerent. Pont. vero Rauennam ac Ceruiam, cum vniuerſa iuriſdictione, redderent.

Septennio ferè poſt Rhodum à Turcis deditione captam, milites illi, quibus olim Hieroſolymitariorum D. Ioannis, ſubinde autem Rhodiorum cognomen fuit, ac occupatis illis nimirum ſedibus, diu vltro citroq; circumuagati, ac in Italiã longis nauibus deuecti, tandem eo ipſo anno, cenſente ac innuẽte ita Pont. conſentiente porrò Imp. in Melitam inſulam, tanquam cõmutata colonia, commigrarunt, ea maris Mediterranei inſula, qua ex parte Africam reſpicit, atq; Camarinam ciuitatem, ſatis lato ab Sicilia mari, periculoſoq; diſiuncta eſt circiter 60. paſſuum millibus, cuius ambitus pari interuallo prope deſcribitur. quo loci, quia ſedeis poſuerunt; Melitenſes milites quartùm iam vulgò appellantur. vnde ex occaſione egredientes, maria omnia luſtrant, & piraticam facientibus Barbaris tum Reipub.

Chriſtia-

Chriſtianæ hoſtibus Turcis, naualibus prælijs concurrunt.

Ineuntis anni 1530. (ſtylo Romano) menſe Februario apud Bononiam, nouo quidem more (ſiquidem id ceremoniarum genus Romæ fieri conſueuiſſet) à Pont. eo die, qui D. Mathiæ conſecratus erat, inauguratur Imp. Cæſ. Car. V. Aug. quem diem, natura ſibi fortunatum, multis de cauſis ſtatuebat, & quòd natalis ei eſſet, quotannis honorifice percolebat. Hoc enim die, ſtatim cum monade, ſupra ſeſquichiliadem annorum à nato Chriſto, Gandaui, Pleumoſiorum metropoli, illuſtriſſimo partu Carolus fuerat æditus. hoc (inquam) die, ante quinquennium, collatis ſignis Franc. I. Franciæ Regem, ad Ticinum, viuum ceperat. 1530.

Sub idem tempus, Ferrarius, eôdem ab Imp. accitus, ad ſedandas tranſigendaſq; controuerſias, quæ ei cum Pont. erant, publico commeatu inſtructus, vbi Bononiam acceſſit: committitur negotium Imp. vt litem Vindiciarum lege definiat. Imp. vero, vtroq; interim bene ſperare iuſſo, 11. Cal. April. ab Aemilia Germaniã repetijt. inde in Belgio demum ſecundùm Ferrarium iudicauit: Mutinam & 11. Cal. April.

Regium

Regium Lepidi, amplas ciuitateis, unà cum earum territorio uniuerſo, ex æquo & bono, iuriſdictionis quidem Ferrarienſis eſſe. illis igitur, uti ſuo Ferrarium, denuo indueret Põt. ſed, manẽte interim antiquo & conſueto cenſu, pro re nata à Ferrario reciperet centena millia aureor. Ducator. Pont. tamen ab hoc Imp. iudicio alienus, pro parte virili & ſententiam eius improbare, nec iudicatum facere. ſecuto Iunio, Franciæ Rex, cum paria feciſſet, liberos obſides recepit, ac ſubinde deſponſam Leonoram, cum reducibus obſidibus, ad Celtas venientem, nuptijs ſumptu incredibili, & luxu maximo, non ſine populari lætitia, in urbe Parrhiſiorum factis, uxorem duxit. cui certatim vel ob hoc in uniuerſum omnis Francia congratulabatur, quod à diuturno & exitioſo bello, in communi pace, regnum tandem aliquando reſpirare, ac refloreſcere videretur.

Pacata reliqua Italia, ſoli iam ſupererant Florentini, aſperrimo bello implicati, & ab ſocijs, fœderatiſq; deſtituti. veruntamen inſigni animorum altitudine nec aduerſæ fortunæ, aut minitanti hoſti uſpiam cedebãt. quin communita ciuitate, & meliore parte municipiorum,

cipiorum, militem cogebant, & ſibi immenſa pecuniarum vi prouidebant, quæ cuncta dum magna ſolertia ipſi curant, Mal. Ballion tempore Peruſiam Arauſino, Pontificíque tradidit. ſed idem de ſtatu deiectus, Florentiam tranſiens, ſub ea ciuitate ſtipendium merebat. ita nullo fere labore, recepta Peruſia, Arauſinus continuo territorium Florentinum inuadit. Hîc vno curſu Spellam, Cortonam, & Anetium pactione capit. poſtremo autem XI. Cal. Nouemb. (anni ſuperioris) caſtra ad muros vrbis ponit. interim, vbi Arauſinus cognoſcit tam amplam vrbem, vno, nec eo quidem numeroſo exercitu, vixdū expugnatum iri: res obſidioni propior (vti erat) quàm oppugnationi vſq; eo fuit, donec Imp. (cui, Sfortia, & Venetis iam ſibi reconciliatis, tunc quidem nulla omnino alia, præter vnicam Florētinorum ciuitatem, capeſſenda reſtabat) ad Arauſinum exercitum, eas omneis militum copias, vna cum toto apparatu bellico, quæ vniuerſa iam pridem in togata Gallia habuiſſet, adiunxiſſet. in quibus erat veteranorum legio, nec non exercitatiſſimi Tribuni, ac duces, centurioneſq; acerrimi, excepto nominatim Ant. Laua. qui forte Mediolani ſubſtiterat.

rat. In hoc Florentinum bellum Ligures, Senenſes, ac Lucenſes Pont. & Imp (quanquam fortaßis nollent) auxilia itidem ſubmittebãt. Nec verò obſeſſorum virtuti quidquam deceſſit. à quibus, etſi veterrimi ſocij aperte deſciuerãt, nec Franciæ Rex (de quo ita meriti fuerant, ut ἀχαριςίας crimen ſubiturum illum fuiſſe minime credidiſſent) tandem ſuppetias laborantibus iret, interim & à talibus rerum dominis opprimebantur, & à tam potentibus exercitibus obſidebantur, non infractis animis modo Florentini ciues contra impetum hoſtium vehementer obdurabant, verum etiam fortiter ubiq; ſeſe gerebant: donec Piſtorio, Prato, atq; Empoli, tribus ſimul amißis oppidis, legatum præterea Ferrucium, una cum copijs, in Stellatinis profligatum, atque interfectum, nuntius malorum, iuſſus in ciuitatem retuliſſet. quo in prælio, quanquam Arauſinus fuerit cõfoſſus; quia ſolito preßius, anguſtiuſq; coërcebantur, quia commeatus in urbe parum, minus item munitionis & neceſſariarum rerum erat, quibus propugnationem prorogarent, quia deniq; inter Mal. Ballionem & hoſteis ſecreto conuenerat: in his difficultatibus poſiti, honeſtam pactionem

opta-

optabant. Miſsis igitur in caſtra, ad Ferdinādum Gonzagā (is in demortui Arauſini locum fuerat ſuffectus) legatis, decimo demum menſe, poſt obſeſſam, oppugnatamq́; Florentiam, 4. Id. Sext. non omnino iniquis cōditionibus, concordiam conſtituerunt cum hoſtibus; modo ne conuentis derogatum eſſet. quorum hæc fuit ſumma: Et à Pont. & abs ciuitate Imper. attribueretur auctoritas Dictaturæ, nimirū formulam præſcribēdi, qui deinceps foret ſtatus ciuitatis, incolumi ſemper manente libertate. Sed in hac ipſa rerum perturbatione, ac confuſione, dum pacta colligitur pecunia (quo ſic militibus ſtipendia perſoluerētur) Barptolemæus Valorius, legatus Pontificius (qui omnia Ballionis conſilia tetigerat, ipſeq́; ex conuētu Peruſiam fuerat rediturus) Florentiam introgreſſus, vbi aliquot ciueis ſupplicio capitali affeciſſet, alios exilio, alios alio pacto multaſſet, ad extremum vniuerſam rem Florentinorum ad Pont. Rom. poteſtatem traduxit. Imp. etiam inſuper aut diſsimulato, aut de induſtria ſuppreſſo libertatis vocabulo, ita à Clem. Pont. capita rerum agendarum ſuggerente, inſtructus, deinceps tulit: Vt illa ipſa norma ac regula cum magiſtratuum, tum ci-

» *uitatis eſſet, quæ vniuerſe Dictatoribus Me-*
» *dicibus fuiſſet. interim principem in ea locũ,*
» *Alexander Medices, Pont. nepos, Imp. verò*
» *deſignatus gener (vtpote cui naturalẽ filiam*
» *deſpondiſſet) obtineret. ea lege, & conditione,*
» *vt ab eo, tanquam hæreditario iure liberi in-*
» *uicem ſuccederent. & ſi abſq; liberis deceſſiſſet*
» *Alexander; propinqui Medicûm familiæ, ni-*
» *hilominus tantundem iuris in Florentinos,*
» *atque ipſe habuiſſet, reliquo etiam tempore ha*
» *berent. quæ Imp. ſententia deinceps tenuit.*

Eodem tempore, ingens, & aſpectu horren dus cometa, de cœlo viſus, per integrum fere menſem perſtitit.

PONT. *ex Aemilia Romam reuerſus, vix paululum ſane illius, nec reprehenſione egentis victoriæ (quæ cum maximo Italiæ malo, non multo antè parta fuerat) commodo vſus eſt abſq; omni incommodo. quippe ſecuto Decembri, ſtupendæ quædam aquarum tempeſta tes non ad ipſam vrbem ſolum, ſed in toto Latio fuerũt: & quidem ſupra fidem abſentium maiores. Depluerat forte integrum biduum: ita vt nec flumina, nec torrẽtes, nec lacus, nec paludes conſuetis alueis continerentur. His accedebat. Auſter cum agnatis ventis per eos*

dies

*dies à meridiano cardine vehementiſſime re-
ſlauerat, is Tyberinus fauceis ita inſederat, vt
non modo iam influxu ſuo, ac ſuo more nō in-
terſecaret maritimos æſtus Tyberis, tot mon-
tanarum aquarum fluctibus (vt reliquam o-
mittamus illuuiem) auctus: ſed potius ceden-
do recurrere, atq; eo pacto ripas, quibus arceri
conſueuiſſet, perfringere, tranſgrediq; cogere-
tur. qui profecto Romæ præter ſuperiorū tem-
porum memoriam ſic creuit, vt vrbis maior
pars alte infra aquam eſſet. itaq; annona ac
victus, per omnia fere compita, tanquam in
ſtagno degentibus, in ſcaphis ſubueherentur.
Stetit inundatio vrbana dies aliquàm mul-
tos. quæ vbi ſubſedit, innumeræ cum publico-
rum, tum priuatorum operum conſpicieban-
tur ruinæ: puta pontium, moletrinarum, æ-
dium. Rerum verò, quarū illic facta ſit iactu-
ra, nempe mercium, omnis generis ſuppellecti
lium, nec non ſegetum & annonæ æſtimatio-
nem, gazam Regiam exæquare, fama fuit. ma
ius porro, quod fuerit præ hoc, vel armenti,
vel gregis, vel alio quouis diſpendio, diſcri-
men: videlicet hominum promiſcue demerſo-
rum cadauera, ac miſerabilem cladem, mihi
religio eſt dicere. Expreſſit iſtum* κατάκλυσμον

ad perpetuam rei horrendæ memoriam terſiſsimis rhytmis, populari lingua, ſane quàm elegantiſsime Aloyſius Alemanus, haud vulgaris poëta Florentinus.

Circa idem tempus in Belgio maritimo, puta in Friſijs, Bathauis, Zelandis, ac Flandris (qui omnes Imp. & Auſtriadûm familiæ ampliſsimæ hærent) nec nõ in Morinis, Armoricis, ac alijs Franciæ ſubiectis populis, Oceano finitimis, coorta, ſolito maior, vndarum tempeſtas (propter Circium & Corũ, ventos pertinaciſsime tunc reflanteis ſub Septentrionibus, mare forte inſolẽtius æſtuabat) abſorptis integris colonijs cladem incredibilem hominibus intulit: brutorum, beſtiarumq́; infinitam ſtragem adidit: rerum deniq; iacturam inæſtimabilem vtrobiq; fecit.

Imp. *ab Italia profectus ad Germanos, vt cũ S.P.Q. Germ. de Religione ageret, cum comitia maxima apud Auguſtam Vindelicorum, quo conuocatus eſt totus ſtatus Imperatorius, diu duxiſſet: in regionẽ ſane (vti prouerbio dicitur) venit: trabemq́; in omnibus repperit. Proteſtantes enimuerò* ἐξομολόγησιν *quandam, qua Religionis ſuæ, & fidei communicatas rationes aperte declarabant, in Senatu Imp.*

tu Imp. obtruſerunt. cui formulæ Confeſſionis Auguſtanæ nomē adhuc manet. Porro Imp. horum ἐξομολογήσει introſpecta intercedere, contrauenire, ac legem ferre, de non mutanda aut innouanda religione, donec œcumenico quopiam Concilio οἱ κατέχισαι ſecus decreuiſſent. Quæ Proteſtantium nomenclatura, ac ſodalitas inde conflata, inuentaq́ ſunt: quia ſuperioris anni Oenipontano in Comitio Ferdinandus (Imp. germanus frater, atque eo abſente, in Germania regni Imperatorij vicarius) rogaſſet inter cætera, litationis illius (quæ vulgo eſt Miſſa) in Imperatorijs diœceſibus vt necubi intermitteretur vſus, quoad futura Synodus aliter cenſuiſſet. Hac lege repudiata, quota Germaniæ pars contraueniſſet, Proteſtantes deinceps ab vna conſpiratione & conſenſu religionis, ſimul ſunt vocati, volentes more Lutheri viuere: & in eius diſciplina ſtare. in his erant ampliſſimi quiq́ Teutonûm Principes, puta Ioan. Saxo VII-VIR. *Georg. Brandepyrgicus, Erneſtus, ac Franciſcus Lunæpyrgici, & Philippus Heſſus, Cattorum Regulus. Pari deinde Sacramento obligatæ, præter innumera alia oppida, hæ ampliſſimæ ciuitates quodammodo famulabantur.*

 tur.

tur. nempe Argentina, Norimberga, Vlmus, Conſtantia. qua vna Proteſtationis nota, reliqui Teutoni (qui ab his veluti δὶς διὰ πασῶν diſsident) facilime diſcerni queant.

IMP. *deinde, Auguſta Agrippinam Coloniam vbi deſcendit, alteris in comitijs fraternam optionem multis rationibus, coram Electoribus inducit. in hanc curam tota mẽte incumbit, nimirum, vt frater, cui Hungaria, & Boëmia, duo regna, præ cæteris titulis obuenerant, tanquam conſors & particeps Imperij, Rex item Rom. diceretur. quæ dignitas nunc in Europa, ſecũda eſt ab Imp. quo quiſquis fuerit reſpondentibus* VII. VIR. *votis ſemel aſſumptus: ex eo magiſtratu, quaſi gradatim ad ſuprema Reip. gubernacula, vel abdicante eadem, vel moriente Imp. ex lege aurea aſcẽdit: id negotiũ, poſt breuem aliquã cõſultationem Imp. ſuffragante toto Senatu (& ſi vnus forte aberat, quem iam modo nominauimus, Saxo Proteſtantium Princeps) cito confecit. Eam ob rem ex Vbijs atque Agrippina Colonia, Aquas (quæ ciuitas 40. paſſuum millibus inde diſtat) religionis ergô, diuertit. ibi ritu vetere ſolennibus ceremonijs, ad aram pigmento illitum, Dalmatica Regali indutum, & diademate*

*dem ate ornatum Ferd. fratrē trieteride pro-
peſe minorem natu, 3. Id. Ian. in Ann. 1531.* 1531.
Cæſ. nuncupatum, Roman. Regem propalam III. Id.
pronuntiauit. His confectis rebus, cum maxi- Ian.
*mo aſſectatorum comitatu Bruxellam, Bra-
bantiorum Ducum Regiam, Imp. ouans ſe cō-
tulit. quo paulò poſt, ad fratrem redijt Maria,
eius germana ſoror, Ludouico Hungarorum
Regi, exacto quinquennio ab Turcis profliga-
to, & in fuga amiſſo, olim nupta Regina. cuius
regis morte, Pannoniæ ſecundæ meliorem par
tem non ſine macula infamiæ, reip. Chriſtia-
næ inuſta, Barbari occuparunt. Eam itaque
Mariam tunc commodùm demortuæ auiæ
Margaritæ Auſtriadi (quam aliquando in
matrimonium locatam fuiſſe Philiberto, Al-
lobrogum Regulo legimus, & pacem Camera-
cenſem ſolicitaſſe ante diximus) ſubrogauit
in locum: & viduam, viduæ ſuffectam, ſuo
Belgio præfecit.*

*Quintili prope exacto ortum immanem,
viſuq; horribilem cometam excepit menſis
inſequēs. qui per omneis fere Sextilis dies cæ-
lo, fixarum ſtellarum inſtar, ſtetit.*

*Secuto Octobri conceſſit in fata Aloyſia Al-
lobrox, Caroli eius gentis Reguli germana ſo-*

ror (cuius ab initio huiusq; opuſculi mentionem fecimus) Herois ſingulari virtute prædita. quæ ad multos annos, pro abſente, & vnà cum præſente filio, Franciæ rebus magna cum laude præfuit.

Hic ipſe annus, ob ſummam annonæ caritatē vniuerſæ Franciæ funeſtus extitit. quippe exhauſtis ſemel horreis, ſicuti eatenus frumentum vndiq; redundabat, ita aliquā multos inde annos, iſta victus inedia ac calamitas continenter in Celtis manſerunt. in Belgio verò minus eſt laboratum, quia ille populus è Dacia, & Auſtrali Germania Oceanea, nauibus importato frumento, ſic ſatis commode reficiebatur. Anno eodem miſeranda morte extincto Bonifacio, Monferratenſi Marchione, qui genus vſque à Palæologis, Græcis Impp. trahebat. Ioan. Georgius, κατεχούμενος antea, & antiſtes, auus nempe nepoti ſucceſſit. quo procurante, Friderico, omnium primo Mantuanorum Duci, Margarita Palæologa, Bonifacij ſoror, nupſit. cuius matrimonij iure, quando in viuis eſſe deſijt ſecuto anno Ioan. Georg. nouiſſimus Palæologorum δι' ἐρημωθεὶν (quòd cum eo maſcula ſtirps iam dictæ familiæ excidit) in Mantuanum, ea prouincia, ſicut

ut ſuo loco dicetur, deinceps eſt tranſcripta.
Ineuntis anni 1532. ab infernatibus Germanis ad ſupernateis properat Imp. apud Ratisbonam ſenatum habiturus. quæ comitia dum coegit, Norimbergæ alterum ſynhodium fuerat: quô conuenerant nimirum Proteſtantes, & in his ſeptem Germanici nominis ſatrapæ ac principes, vna cum 24. ciuitatum legatis. Intercedebant tamẽ magna in primis nomina, vt Imp. atque Proteſtantibus, concocta diſſenſione, concordiæ reconciliatio eſſet. Rerum igitur agendarum ordine inſpecto, & excuſſo diligenter negotio, maximè quod expeditionem Pannonicam denuo moliri Turcam, & copioſiſſimum exercitum paratum, atq; inſtructum habere, nequaquam falſus rumor erat: Antario bello percuſſis Teutonûm animis, quo ſic, ex officio, in communem patriæ hoſtem, vireis in vnum cõferrent, compellente videlicet neceſſitate, 13. Cal. Sextil. poſtremò concluditur: Vt actione de ſtatu Religionis intermiſſa, & aliò, nempe ad vniuerſæ Europæ ſaniora melioraq; iudicia, reſeruata, vel (vt vulgus dicit) ad Concilium generale reiecta, iuſtitium interea, & pax in tota Germania eſſent. quæ Synhodus ſpondebat

1532

13. Cal. Sext.

Imp. manibus pedibusq́; (quod aiunt) adnixurum ſe, vt intra ſeſquimenſem indicta, vertente anno, cogeretur. Sin minus iſtud negotium omnino non præſtaret, omnem viam & rationem initurum ſe fore pollicebatur, vt ex formula Conſtitutionũ Imperatoriarum, quouis pacto conglutinata concordia; mutuis diſcordijs frenum inijceretur. Irent porro interim ſibi, contra capitalem Reip. Chriſtianæ hoſtem, exercitum paranti, ſuppetias ipſi; quemadmodum ſacramento erant obligati. ita factum eſt, vt compoſitione illa cõſtituta, omnes ſine manifeſta querela diſcederent, & auxilia Imp. ſubmitterent.

Haud ita multo poſt Sextil. Ioan. Geor. Saxo, VII. VI R. ille Proteſtantium princeps, Lutheri verò Mecænas, & patronus ſingularis, mortem obijt. cui par filius ſuccedens Ioan. Fridericus Lutherum nihilo ſeciùs coluit, amplexusq́; eſt.

Sub idem tempus Chriſtiernus Dacorum, Cimbricæ Cherſoneſi, & Suetiæ Rex, qui ob intentatam tyrannidem, ante annos nouem, concitatam metuens multitudinem, relicto Regno, ſolum verterat: diuturni exilij tædio maceratus, cùm hactenus opibus ſuſtentare-

tur

tur Imp. cuius Germanam ſororem Iſabellam vxorem habebat, vix tandem inſtructa claſſe Liburnicarum nauium, ad regnum (iam modò diſpertitum) armis repetendum, ſero animum adiecit. nam ab huius Regis fuga, Fridericus, Holſatenſium Regulus, Chriſtierni auus, in Daciæ & Cimbrorũ Regem, vna omnium ordinum conſpiratione ac conſenſu fuerat adoptatus. & ſecuto biennio, erumpente è latebris manifeſta rebellione, Sueti, in exulis locum Guſtauũ, ex honorata Hericorum familia oriundum, ſubrogarant. Chriſtiernus igitur, vel obridente fortuna, vel potius culpam pœna premente comite, Oceano Germanico nauigans, poſtquam non perferente tantum ſcelus pelago, pars nauium naufragium feciſſet, & in maxima reliquiarum iactura militum epibatarumq́ robur amiſiſſet: in medijs aquis relictus, nullo labore, ab hoſte domeſtico profligatur, ſuperatur, capitur. eadem verò hora, qua ipſe capiebatur, hoc incidit etiam inſuper incommodi, vel acceſſit potius patri, vt eius filius, quem vnicum ex coniuge ſuſtulerat, apud Imp. morte occumberet immatura. Itaq; Chriſtiernus captus à ſuis, vinctus, clauſusq́ ergaſtulo, animi dolore confectus, nouiſſimè contabuit. Septem-

Septembri omen, cometam ingentem, ac horribilem, qui in multas hebdomades cœlo defixus hæſerit, conſpectum, magna conſternatione multorum legimus.

Conflato interea in Hungaria numeroſo exercitu, in quo armatorum militum, ſupra ter centena millia fuiſſe dicuntur: inde celeriter tranſiens, Auſtriam Scythica feritate inuaſit Turcus. qui ferro ac flamma prius peruaſtata vtraque Pannonia, tandem omnibus illis ſuis copijs Iuntium circumcluſit. Sed ea arce, tormentis vniuerſis continuo, fruſtra oppugnata, vbi cognouit Imp. cum inſtructiſſimo exercitu, nec eo exiguo, patriæ & obſeſſis auxilio ire, rectaque (quod faciebat) contra ſe ducere: poſtremum, accepto non minore damno, quàm dedecore, ad ſuos ſepedetentim ſubtraxit. quo exercitu non maiorem, neque florentiorem vllum vnquam habuiſſe alium Imp. extra omnem eſt controuerſiam. conſtabat enimuero ille promiſcue ex omnium bellicoſiſſimis populis, puta Germanis, Italicis, Hiſpanis, & Belgis. Huc præter priuatas, ac publicas Teutonûm vireis, accedebant externa auxilia: quæ ſecundùm Pont. ſupremi item nominis Itali, nec non Luſitanorum Rex ſubmiſerant.

rant. Erat porro imperſonatus ipſe Imp. quo ınque caſtra promouebat, apud exercitum. ius vnius præſentia faciebat, vt Turca oſtẽ- tum ſe potius, quàm pugnatum veniſſe vi- eretur. nec adeo obuiam euntem Imp. exſpe- auit: ſed quòd eius Fortunam (ſicut à capti- is Barbaris percunctatione didicimus) qua ptima ad extremum fere cum ſumma æmu- rum admiratione eſt vſus; metuebat, ſane uàm male ſuo conſulens honori, amiſsis ſuo- ım aliquot; poſt Claudiana quædam toni- ua, tempore auerſis Lunulis Conſtantinopo- m ſe ſubduxit. Cæterum Imp. nuntio in Ca- a allato, Iuntium obſidione Turcica eſſe li- ratum, nõ curauit aut fugacem hoſtem per- qui, aut vlla ratione aleam iacere, qui re- ım Hungaricum (quamlibet idipſum flagi ntefratre) recuperaret. Cuius momento mporis immutati inſtituti, quæ potiſsimum erint cauſæ: nos profecto latet. hoc ſcimus ætexi conſilio neſcio quid. primo, quòd tan- s exercitus commeatus amplioris egebat. inde, quòd deficiebat neruus belli, pecunia. ſtremo, quòd pro foribus ſtabat hyems. tria bus gerendis maxima incommoda. Cribro idem diuinabant multi. Nos pro comper- to ha-

to habēmus, exitum rerum hunc, non tam teſtem, quàm indicem futurorū extitiſſe. nempe, Imp. ſubito à ſe alium meliore exercitus parte miſſa, in Italiam (Pont. qui ob id Bononiam iterum veniſſe renuntiabatur, collocatum) iter à Pannonÿs vertiſſe.

*At paulò ante, quàm in Italiam reuertit Imp. Reges duo, Franciæ & Angliæ, tragulam ei iniectabant: inſidiarum occaſionem aucupantes inde, quòd totam illam hyemem rebus in Panonicis occupatum iri eum, Belgioq́ abfuturum, arbitrabantur. Hi nimirum tacite ſua mutuo communicauerant conſilia inter Caletum metropolim & * Geſſoriacum. Vertentedemum anno duodecimo, pôſtquam huic perſimili altero congreſſu, inter Ardeam & Itium portum primo coÿſſent. Cuius ſecundi congreſſus hunc fuiſſe ſcopum, nō leuis eſt opinio: vt renouato fœdere, & redintegrata amicitia, communi Marte, coniunctisq́ viribus, aduerſus abſentem, Impeditumq́ Imp. arma ſumerent; in quem multis nominibus non optime erāt animati. ideoq́ ipſi contra Turcum, perpetuum hoſtem, auxilia petenti, citra Chriſtianam religionem mittere recuſarant. ſed, vbi Barbaris fuga elapſis; viderunt Imp. ad ſe*

* Bononiā Belgicam vulgo.

ſuosq́

ſuosq́; reſpicere, à ſuſcepta deliberatone ipſi itidem deſtiterunt.

Eo ipſo fere tempore, Ancona, antiquitus celebrata Picœni ciuitas, & ipſa non incommoda nauium ſtatio, ad oram maris Adriatici poſita; quæ ad eam diem libera, & ſuis legibus vixerat, ſocia interim ac fœderata Ponti. Rom. ſubtili machinatione, & inſtructis in tempore & loco armatorum inſidijs, à Pont. ſubacta eſt. Vtebatur porro ipſe iſta inductione: Quod nimium libertate ſua abuterentur ciues; quòd aduenas & peregrinos hoſpites durius tractarent; denique quòd minus officioſe, quàm deberent, ſe colerent, ac reuererentur. itaque licentia eos deteriores fieri (vti vſu venit) cauſabatur; atque domi ciuileis alere diſcordias. cui ſociæ ciuitatis morbo, niſi ipſe auctoritate ſua mederetur, extimeſcendũ fuiſſe ſummopere aiebat, vt iſto domeſticorũ diſsidiorum exemplo inuitatis Turcis, ſui excidendi, cum totius Reip. Chriſtianæ exitio, atq; incommodo Italiæ, ſpem certam ipſi facerent. Cõcuſſa in hunc modum, quæſito colore, Anconatum licentia, ciuitatem Pont. ſuo adiunxit Imperio. quæ ipſa inde in hæc vſq; tempora, in dominatoris famulatu perſiſtit.

Secundi

Secundi Bononienſis congreſſus & ſi initio cauſſa videbatur ſontica; nimirum, de cogendo Cancilio Vniuerſali. deq; inſtantium rerum neceßitate; multis (vti ſit) in medio curſu contingentibus, extrema eius collocutionis
„ *concluſio fuit: vt Auſtriadæ fratres, ex con-*
„ *uentu, fœderatam Italiam, omni modo atque via tuerentur. quippe icto illic fœdere inter Pont. Imp. Inſubrem, Ferrariũ, & alios Principes omneis, ac reliquas Italiæ ciuitateis (Venetis ſolum eò non receptis, qui prioribus pactionibus ſteterunt) veterem duntaxat ſocietatem auctam, & confirmatam fuiſſe liquet ex hiſtoria. quorum omnium ſummatim iudicio; vbiubi res ita poſtulaſſet, Ant. Leua Tribunus maior per Epiſtalma eſt deſignatus. quibus confectis rebus Imp. 6. Kal. Mart. in*
1533. *Anno 1533. Felſina decedens, Genua deinceps, commodam tempeſtatem nactus, afflante Subſolano, in Hiſpaniam ab Liguribus tranſmiſit.*

Menſe Februario Galeotus Picus, Lud. Concordiæ F. cum aliqua manu amiculorum nomine, reuera autem ſatellitum ſceleris, ex inopinato Mirandulam verſus mouit. qui, vt intempeſta nocte ad mœnia acceßit, furtim,

ea,

ea, quam maxime opportunam delegerat, parte, cum coniuratorum globo intro irrepſit. hic ſtationarios milites (qui tunc forte profundo ſomno conſopiti iacebāt) ad vnum omneis occidit. inde recta in Prætorium conuolauit. ibi ob turpiſſimam vindicationem, & inſaturabilem dominandi libidinem Ioan. Franciſcum, paternum Fratrem, fundi dominum, & vna cum eo filium, parricida iſte Centauricè obtruncauit: deniq; hac cæde patrata, ab ſicarÿs ſtipatoribusq; ſui corporis occupato foro, Picus ſingulare eius arcis imperium arripuit, qui deinceps in tutela ac præſidio Franciæ latuit. Iſtud porro oppidum, Gallica ſtatiua non abs re dici poſſit. quo receptaculo, prope dicam nido, atq; arce, Galli, ſiue cogendi fuerint, ſiue hibernis continendi milites, ſiue denique citra, vltráue Alpeis eis bellum gerundum fuerit, poſtea ad quamcunque occaſionem ſunt vſi.

PONT. in Aemilia dies aliquammultos ponente, non οἴχεται, *ſed præclare ponebatur opera interpellatorum; vt ei Francia, nouo quopiam fœdere, anquiſitæ affinitatis prætextu, iungeretur. Quocirca Romam reuerſus artificioſa Epanadoſi, perſuaſo Rege, nihil quid-*

quam debere eum angi ſuſpitione Italicæ ſocietatis: (de qua iam modo diximus) cuius, præ ſe, princeps, auctorq́; eſſet Imp. coniunctionem affinitatis Bononiæ propoſitam ac pactã, matrimonio facile confirmauit. nempe, vt Catharina, Laurentij Medicis, (illius qui Vrbinatûm Regulus olim aliquando fuiſſet) filia, Henrico Aureliano, ſecundo Gallorum Regis filio, nuberet. in quam rem dum tota mente incumbit, præſcribitur, indicitúrque Niciæ, quæ eſt ad mare Mediterraneũ Bracatæ Galliæ ciuitas amœniſsima, ab vtriſque Synhodium. Qua in deliberatione cum tamen veſtigium nõ ponerent Pont. & Rex (quippe Allobrox, citra conſenſum Imp. à quo totus ſtabat, ægre illam ſuam arcem ipſorum congreſsibus crediturus videbatur) regijs poſtulatis propẽſus Pont. reſpondit. & ſecuto Octobri, vela faciens infero mari, leni Helleſpontio vtens, Maſsiliã, Franciæ ditionis portũ, arcem item munitiſsimam, ex Latio traiecit. quo loci venientem introductumq́; Pont. Rex honorificè ac regifice excepit. Vbi cõmunicatis viciſsim conſilijs, quatumuis licet multa inuicem in aurem dixerint, in extrema tamẽ parte ſeriæ deliberationis, nihil ſanè concluſerunt, præter mi-

CATALINA

ter minorum(quorũ vterq; propter valde puſillã ætatẽ ad coniugium minus erat habilis) antè commemoratas nuptias. quæ quidẽ magna Pont. delectatione ac voluntate, ſumptuoſiſsime ſunt factæ, ac conſumptæ. Vnde, poſtquam menſem vnum circiter illic commoratus, rem, vti maxime volebat confeciſſet, Pont. flante Africo in Latium renauigans, næ parum proſpiciebat, in tam caduca atque fragili hominis vita, ſe (vti mox oſtendemus) impendentem mortem manere.

Permagni momenti eſt, quod eo anno in Anglia ipſi regi accidit. Is, cum arderet amore Annæ Boleines, de ſtatu demigrauit, quod aiunt. quippe coniugẽ Catharinã Aragoniam (qui cum duodetriginta annos vixerat, & ex qua, cùm maſculam tum muliebrem ſobolem ſuſtulerat, ſed obierat mortem filius, ſuperſtite adhuc Maria filia) cum perinique repudiaſſet: Boleinen ſuperduxit vxorem, ex eius compreſſu grauidam. cuius partu editam Eliſabetam, Principem nominauit Anglicanam, cũ manifeſta iniuria, ac fraudatione Mariæ. Annæ verò matri diadema regium impoſuit. Pont. igitur partim irritatus leuitate Regia, partim inſtigãte Im. Ex reginæ nepote, ſua ſul-

Henricus Angliae rex vxorem repudiat

Eliſabeta

1534. *mina iacere ac poſtremo ſecuti an.1534.menſe Martio propalam iudicare: Et Aragonium diuortium iniuſtum eſſe, & Annæum matrimoniũ æque irritum. Hîc Rex,ſpe ſua iam fruſtratus(quippe videbatur antea Pont.erga ſe, vt ipſe vellet, animatus) quòd fidei Pontificiæ publice derogatum oppido quàm nolebat, tacite primo ſtomachari & labrum mordere; deniq; ad conuitium cõuerſus, contumaciter ab officio Põt.deſciſcere; in ſe,quidquid illi eatenus maximo emolumento fuiſſet, tranſcribere;ac poſtremo ſe Principem Eccleſiæ Anglicanæ dicere. id quod quamplurimi mortaliũ ſummopere ſunt admirati. Sed longè plures non tam factum improbant,quàm itentidem factum nollent. Sic leuiſsimarum cauſſarum maximi interdum ſunt effectus.*

Circa id temporis Chriſtierna,illius Chriſtierni Dacæ Exregis (quem prælio nauali profligatum,captumq; non multo antè diximus) filia, Imp. eadem ex ſorore neptis, ex Belgio per Germaniam, Rhætiamq; Mediolanũ vſq; honorifice ex conuentu,deducta,menſe Maio, ſplendidiſsimo ſumptu, pro cuiuſq; dignitate ab ciuibus facto: Sfortiæ Inſubri in matrimonio collocatur.

Sub

Sub hæc Ph. Heſſus, collecto exercitu, Huldericum VVirtenbergicũ, affinitate ſibi iunctum iampridem regno exutum ab aduerſarijs, atque ſodalitio Sueuico (qui omnes non obſcure videbantur ope Imp. niti, quandoquidem ea prouincia eius fratri continuo fuerat attributa) vi, ſuæ ditioni reſtituit. quod Heſſi audax facinus, Auſtriadæ fratres ægre inprimis ferre, & in tam graui vulnere dolere. Veruntamen ne ea res tunc quidem tragœdiam aliquam excitaret in Germania, Teutonũm quique potentiſſimi, fide ſua interpoſita, præclarum beneficium in rep. ſanè poſuerunt: vt nouiſſime ingens illa controuerſia in hũc modum ſedaretur. Nimirum, maneret in recuperata poſſeſſione Huldericus, tanquam fœderatus ac cliens: ea tamen lege, vt, ſi à maribus eius ſtirps excidiſſet, δι' ἐρημίαν διαδοχῆς, ita cenſente S.P.Q. Germ. conſentiente. contrauenienṫe nemine, Ferd. Cæs. foret hæres atq; eius ſucceſſor.

Quintili exortus Cometa, in multam partem Sextilis ſecuti perſtitit affixus cælo. nec ita multo poſt VII. Kalen. Octob. Pont. multos abhinc mẽſeis βαλοςόμαχος exiſtens, biẽnio fere minor ſexagenario, ſed in nullũ prope

mortalium gratioſus, ac ſplendidus: vitam cum morte commutauit. Palatinis odioſus, dum viueret, ac durus. Principibus præterea ſuſpectus, paßim ingratus, auarus, minime liberalis, & alienus à natura in rependendis compenſandiſq; beneficijs. Homo alioquin grauis, cautus, ſolers, rerum ſuarum prouidus, ad vniuerſum mundum adminiſtrandum ac regẽdum habilis; niſi Panicus quidam caſus ſæpißime eius varium indicium corrupiſſet.

Moriẽte Clem. VII. Ridolfus Ballion, Malateſtæ F. Peruſiam, quæ Pont. dominatu tunc quidẽ tenebatur, cum ſtipatoribus noctu clam intromiſſus, Prolegatum Pontificium, vna cũ familiarioribus eius familiæ adminiſtris, nec nõ ex illis aliquot, qui à Põt. ſtabãt cũ crudelißime interfeciſſet, in ſeceßiõe populari, in cuius gratiã facinus admiſſũ videbatur, quòd rerũ potiri vellet, eius ciuitatis nouã, ſingularemq; dominationẽ ſibi cõparauit. quã tamen (vti mox indicabimus) breuißimam habuit.

Poſtquã Clem. VII. Nouemdialibus ſacris, ex conſuetudine Rom. iuſta facta fuerant, comitijs decuriatis Purpurati patres, eius ipſius diei, quo Senatus coijt, nocte, V. Id. Octo. ſcilicet, vna cõſpiratione, & concordia omnium,

in demortui Põt. locum ſubrogarunt Alexan- Paulus III.
drum; ex illuſtri familia Farneſiorum, ad vr- pontifex.
bem natum, virum præcipitata iam ætate,
ſeptuagenario propinquum, ſed literatum,
ac mores compoſitos præ ſe ferentẽ, in ea digni
tate veterrimũ, & ſenectutis auctoritate fa-
cile Principem ſenatus. qui pro vſitata nomi-
num μεταμορφώσει *ex Alexandro, in Paulum*
III. cõuerſus, ita vulgo deinceps eſt appellatus.

Ab hoc ipſo menſe, in conſecutam hiemem,
à Pontt. Romm. religione diuerſiſſimæ opinio-
nes, non modo apud Lutetiam, ſed in tota pro-
pe Francia, è latebris ſenſim erumpebãt. Au-
ctores enimuero ac Principes eius ſectæ, creſcẽ-
te de die in diem aſſectatorum frequentia, fa-
moſos quoſdam libellos, ceu vulgo acerbos
potius, cum noctu & interdiu vndequaq; re-
ſperſos, cõtra moribus conſtituta τῶν εὐχαριστη-
ριῶν, *(vel vt ita loquar, Sacramenti altaris)*
iura: poſtremo ad regale palatium, Regi etiam
rem ipſam ſignificatam volentes, ceu clauo de-
figebant. Rex porro commotus nouitate rei,
magnam religionẽ, cæremoniamq; indicere.
deinde, ad præſcriptam diem in vrbe Parrhi-
ſiorum inſtitutis Amburbalibus, aperto capi-
te præſens, imperſonatúſque, at ſequente

eum coniuge Leonora, vnà cum liberis, cum S.P.Q.Parrh. in maxima tædiferorum pompa, accenſam itidem facē ipſe dextra geſtare, ac præeunteis ſacerdotes, cæremoniarū magiſtros, ac retruſæ, cœleſtisq́; rei myſterium (aut, vt nunc loquuntur, venerabile Sacramentum) circumferentem ſacrorum Regem, ponè ſubſequi: itaq; vrbem luſtrare. Nec id ſolū præſtabat Rex. Eius diei poſtmeridianis horis, conuocato centumuirali conſilio ac S.P.Q.Parrh. publice in αἰρεσιστάς, atque ipſos eclogarios, ad commiſerationem incitata oratione grauiter declamauit: hoc potiſsimum argumēto: Rogare velle, & iubere ſe, vt in vniuerſum omneis, nullo nec affinitatis, nec amicitiæ reſpectu, operam ponerent in eo ſecum, vt tandem aliquando nouorum Theologaſtrûm hæreſes (prius quàm latius ſerperent) radicitus extirparentur. Huiuſcemodi vero deliberatas rationes magnifico iureiurando propalam itidem confirmauit: ſe brachiorum alterum, ac dextrum, ante reſectum iri, quàm vt ab ipſo, tali contagione affecto, reliquum corpus contabeſceret, ſponte fuiſſe toleraturū. Qua Regia ſententia paſsim accepta, ſane quàm acerbiſsime in deprehēſos animaduertebatur. atq; etiā fuſe

neſto

neſto ſpectaculo (dum raperentur ad ſuppliciū conuicti mutatæ Religionis) quaſi vrbem obequitaret, Rex ſtrictim interfuit. Quo S.C. haud obſcure fidem fecit ſubiectis populis; ſe, Regio quodam animo, inſtitutū perſequi; nec (abſit) commiſſa enunciare nolle, criminis eiuſdem, culpaúe conſcientia.

Prid. Kalend. Nouemb. Alfonſus II. eo nomine Ferrarienſium Regulus, extremum vitæ diem clauſit, Princeps domi, militiaq́ue clarus: itaque ſuis percharus. quamlibet id curaſſet ſedulo, vt ne qua lacuna eſſet in auro. Ei ſucceſſit Hercules, natorum maximus, ſenili ſeueritate, & magna exſpectatione iuuenis. Hercules Dux Ferrariæ.

In. A. 1535. Fridericus Dacorum Rex morte occubuit, vir iuris, æquiq́ue obſeruātiſſimus; nec illiberalis Princeps. Cui, nequaquā indignus tali patre, filius Chriſtianus continuo eſt ſuffectus. 1535.

Secuto Iunio Monaſterium, Veſtfaliæ metropolis, ex Anabaptiſtis eſt recepta. quæ res magni momenti cum videretur, paulò altius à capite à nobis repetitur. Nomen ipſum, Anabaptiſta, ex Græco fonte tractum, Latinis fortaſſe retinctor, cum profeſſione iſti hæreſi

deuotorum ac donatorum hominum per omnia reſpondet. Nec verò iſta lues noſtra primũ tempeſtate ſe prodidit. quin videtur eam initio in Saxonibus ex lacunis veterum αἱρεσιώτων, And. Caroloſtadius ſub annũ, à ſeſquimilleſimo, viceſimum excluſiſſe: ſubinde vero fouiſſe, ac aluiſſe Thom. Muncerus. Iſte Lutheranam diſciplinam primo ſecutus, ſimulatq́; frequentem auditorem habuit, reducto calculo, animo voluit, quemadmodum nouum aliquod doctrinæ genus, de ſuo inuentum, nec de alieno tranſcriptum concioni proponeret. Deſciſcens igitur ſenſim à priore ſententia, de toga, quod aiunt, ad pallium recidit: ac poſtremo in odioſum ſibi Põtificiale caput iuxta inuehi, atque in moleſtum præceptorem propalam debacchari cœpit. iſtius hæreſis ſummæ capita erant huiuſmodi. „ τὸ

„ βάπτισμα, ſiue ſacram illam infantiam puero-

„ rum aliquando iterandam eſſe lauationem.

„ „ Cui ita luberet, plureis ſimul vxores habere

„ licere. „ Non eſſe audiendum Magiſtratum,

„ quin circumſcribendum ſenatum, politiæ no-

„ mine velut amputato. „ Omneĩs homines, ea-

„ dem fortuna, atque conditione, & vndiq; ſui ſimileis, communione rerum omnium inter ſe

vti

vti debere, ne nominata quidem voce, proprij & ſui. quæ omnia, cum iſte exlex partim per ſe, partim per diſcipulos aſſectatoreſq́, vti ſpecie grata, in folle, offerret ignaræ multitudini, turpiſſimarum, ſeditionũ, & funeſtiſſimi illius belli Ruſticani auctor extitit. quod decẽnio fere, ante recuperatum Monaſterium, miſeranda clade ſeditioſorum eſt diremptum. Sed eo in conflictu, qui in hoc vlcere tanquam vnguis extiterat, captus forte Muncerus, capite ſubinde pœnas luit. cuius hominis inſignem malitiã vnicum hoc arguit ἀπόφθεγμα. *quòd ſub cenſoria virgula, ſciſcitanti Heſſorum Regulo: Cur tot hominũ millia, ſuis technis ad laqueum perduxiſſet? quamlibet circumretitus frequentia ſpectatorum, intra labrum ridens nebulo, reſpondit: At quia ipſi ita volebant. Iſto auctore igitur fundata, ſtabilitáque Anabaptiſtarum hæreſis, tantum non perſecutionibus reſtincta, ſed Monaſterij mirandum in modum progreſſa, caput extulit, hoc fere initio. Bernardus Rotmanus, qui biẽnio ante, in ſuburbana parœcia, Lutherũ itidem imitatus, in multa populi Monaſterienſis frequentia declamauerat, ægre quidem, ſed tamen intro tandem eſt receptus: vt ille,*

conni-

conniuente ciuili Magiſtratu, veruntamen nolente Monaſterienſium Pont. Franc. Valdeco (qui ſacrarum perinde ac profanarũ rerum ius abſolutum ac ſupremum in ea ciuitate habebat) Hagiographa, quod vſque aliquò ſtrenue faciebat, interpretaretur. qui, quod ſibi non conſtitit, igni, quo deinceps ea vrbs arſit, ignem addidiſſe videtur. Contulerat illò ſe, ſiue caſu, ſiue de induſtria (incertum eſt) quidã ſartor veſtiarius, Ioan. Leydanus Batauus, homo ſupra patriam indolem acutus, & Anabaptiſtarum facile Princeps. Iſte magna ſubtilitate circumuento Rotmano, & alijs Theologaſtris, in ſuam ſententiam pertractis, quibus ſanctum Prophetarum nomẽ imponebat veterator, tantum auctoritate paulatim valuit apud imperitam vulgi multitudinem, quæ ex ſe ad quamcunque rerum nouitatem facillime præcipitatur, vt melior ciuium pars ei hæſerit, & eius impijs legibus ſteterit: itaque in eundem errorem prolapſa, vim intulerit conciuibus. & quicunque ſecus, atque ipſi facerent, ſentiebant de ſuſcepta religione: hos exilio partim multauerit: partim à patria, domóque exegerit: partim denique ſecuri percuſſerit: ac poſtremo nec à fanis abſtinuerit,

Monaſte-

Monaſterienſes iam tum in mera inſolentia viuere: ſe certatim, in publica congratulatione, more ſuo, aquis redintingere: (vt ita dicã) πολυγαμοὶ, ac multinubi eſſe incipere: aurum, argentúmque, quidquid vſpiam inueniſſent, vaſa, lapides, ſupellectilia, mundum omnem, & quæ pretioſiora viderentur, vti bona publica, ærario inferre, & armario communi aſſeruare. Quam rem indigniſsime ferens Valdecus, armis ſtatũ ſuũ repetere cõſtituit. oppugnat igitur Monaſteriẽſes Anabaptiſtas, qui, vbi parũ vel nihil proficit oppugnãdo, exſtructis hinc inde oppugnaculorum molibus, intra vrbem concluſos lenta obſidione premit. Leydanus verò, cuius indies creſcebat apud populum gratia, per alluſionem diuinorũ oraculorum, excogitata in ſomnÿs Lydia quadam cantilena, Rex poſtremo ſalutari voluit Monaſterienſium. quam etiam, delectis ſatellitibus, & luxu regali fluens, arroganter præ ſe ferebat maieſtatem. Sed nec nomenclatura regia contentus, magni Vatis ac Prophetæ Dauidimaſtix iſte, nomen glorioſum ſibi aſſumpſit. inquiẽs: quatuor Prophetarũ inſignium, alteros, puta Dauidem Hebræum, & Ioannem Leydanum æquitate, & ſumma iuſtitia

excelle-

excellere: alteros autem, nimirum Rom. Pont. & Mar. Lutherum, ſumma iniuſtitia & iniquitate eſſe infames. Rex creatus, præterea legum, quibus Anabaptiſtæ uterentur, edidit volumen: cui ſpecioſum quidem, ſed fucatum titulũ præfixit, Reſtitutio. ob id ſcilicet, quòd cœnobium Chriſtianum re atque verbo inſtituere, inſtaurareq́; ſe velle iactabant. quippe collata in vnum ad commune commodum, bona, vocabant Reſtituta. Rex verò præ cæteris, ſcripto & voluntate egregie diſcrepans, quidquid & publicæ, & priuatæ cuiuſquam rei erat, in propriam & ſuam libidinẽ conuertebat. Idem iam Pſeudopropheta, duodetriginta viros Apoſtolos creauit. iſtos, in vniuerſum orbem, promulgatum Anabaptiſtarum inſtituta emittit, ac renunciatum gentibus: Cum telo eſſe ſe, & comparare exercitum, qui cum propediem vim eſſet illaturus cunctis terræ Principibus, ac ita de ipſis iniuſtitiæ pœnam ſumpturus: quo ſic ipſe, quinta orbis Monarchia ab ſe inſtituta, fortiter, ſapientérque iuſtitiam ſeruaret. Dicto regis obedientes, extruſi quoquouerſus Pſeudoapoſtoli, iuſſa exequuntur. Verum in Logodædalos inſolenteis, malóſque, qui exquiſitis quidem verbis, de

Reſtitu-

Reſtitutione ac Iuſtitia docebant, reuera autem contrà veniebant, vt in Placiadas ſecundos, paſſim eſt animaduerſum. Ab Apoſtolis etiam inſuper Rex, ex coniunctiſſimorum turba, duodecim delegit Duces. quibus magnifica pollicitatione illectis, perſuaſit, curaturum ſe, vt Dynaſtæ facti, Cillicorum bona modio metirentur. interim principia obirent, ceu Vicomagiſtri, aut Tribuni mill. qua ex parte maximum eſſet ab hoſte periculum, illic cum armatorum ſtatione excubarent. Interim Valdecus, nixus auctuſq; auxiliјs totius prope Germaniæ (quæ etſi in religione variabat, Anabaptiſtas æquè tamen oderat) vrbem diu ſedendo, pœne extrema fame cum offuſcaſſet: obſeſſorum pleriq; omnes, ad pactionem tempore quidem inclinabant. ſed partim ſolertia, partim Titanico aſpectu Regis, exitum rei longe ſecius, atq; vulgus, interpretantis, factum eſt, vt mutire contra auderet nemo. qui miracula, quæ ipſe ſomniaſſet vigilans, dum populo proponit, aſſeritq; breui liberos ac ſaluos omneis fore: non obſcure declarabat, ſe Peruſinam famem perpeſſurum, atq; in iſta perfidia permanſurum potius fuiſſe, quàm ſeſe hoſti traditurũ. Sed vnus quiſpiã ex vrbe clam,

ad ho-

ad hoſtiũ caſtra delapſus, Valdeco Pont. ac domino rationẽ ac viam oſtendit, quo pacto vi atque impreſſione, euerſis propugnatoribus, ſigna omnia, modo vellet, in vrbem introferret. quod indicium cum à Tribunis collaudaretur, expeditioniq́; ſecreto dies diceretur: iacta poſtremum alea, feliciter cecidit. quippe ipſo commodum D. Ioannis Baptiſtæ, illius ſanctiſſimi præconis, & præcurſoris Chriſti, die (Monaſterienſibus fatali) poſt aliquam dimicationem, reſiſtentibus initio propugnatoribus, ex Anabaptiſtis Valdecus ſuam diœceſim biennio obſeſſam recepit. vbi poſt magnam ſtragem Monaſterienſium, ſtudioſe conquiſitus Rex Lydius, ſecundum factionis capita, viuus in Valdeci venit poteſtatem. Cæterum victori ea Cadmæa fuit Victoria. nec enim in vrbe peſſime habita, integrum quidquam omnino, præter dealbatos parietes, inuenit: ſicut id bellum Hiſtoriographi Teutoni ſubtiliter deſcripſerunt. quos quotuſquiſq; paulo attentius egerit, præ cæteris conſideratione perquã dignis, hoc offenderet: Statum Chriſtianæ Religionis, ſi extra Synhodum vel in minimo canonis uncto immutetur, facillime à malis ciuibus (quales ſunt pleriq; omnes mortales) offuſcari,

deprimi

depressi & conculcari. itaque conculcata regula diuini iuris, ſecuram irrepere quampiam animis mundanis licentiam. inde crudelitatem, peruerſitatem, abuſionem & ſtultitiam impune ferè paſſim pergraſſari. quale monſtrum, ea, quam diximus, vrbs aliquammultis annis aluit. Res profectò digna, quæ & ob oculos omniũ quotidie verſetur, maximè vero primatum exẽplo caſtigationis vitiorum. Valdecus nihilominus multitudini ſimplici vbi pepercit, recepta diœceſis vulnera paulatim ſanauit. Rex verò Α᾿ βελλεροκόκκυξ, & vna cum eo ſubitæ (quas nominauimus) imagines, pœnas grauiſſimas Valdeco publice luerunt.

ARIADENVS **Ahenobarbus, Turcicæ claſſis ductor cum Muleaſſem Maurum regno ſuo fraudaſſet, Thiniſſam* Carthaginis reliquias, vrbem tum ad infeſtandum mare Mediterraneum, tum ad maioreis progreſſus opportunam, ſibi vendicauerat. Eam verò Imp. (cui deliberatum erat aliquando in Africam tranſmittere) ex Barbaris recipere cõſtituit. imperata igitur claſſe Andreæ Doriæ, oræ ſuæ Mediterraneæ præf. accitis eodẽ ex Belgio 60. Liburnicis, præter auxilia Italica, Põt. & Luſitanorũ, omni inſtrumento belli, & milite in*

*Barbaroſſa peregrino vocabulo.
*Tunetũ vulgo.

*naueis impoſito, menſe Iunio, Barcinone ſol-uit. qui plenis velis Numidiam petens, primo curſu magna virtute ac cõtentione militum, Colithen arcem, & cum ea, Turcicam claſſem. quæ tunc inibi fortè in ſtatione erat, occupa-uit: ac mox Thiniſſam, quæ duodecim inde ab-erat paſſuũ millibus, copias admouit. Sed Ahe-nobarbus, poſt leuia aliquot prælia, cum Chri-ſtiana ſeruitia, forte vinculis ſoluta, arcẽ, qua & ipſi claudebantur, ſibi aſſeruiſſent, percalli-de vrbe delabitur * Hipponem: indeq; in vlte-rius ſuum piraterium, * Argylen, celoce vectus, transfugit. nec multo poſt, 12. puta Kal. Sext. Thiniſſa potitus Imp. ſeruorum infinitæ pro-pe multitudini in concione laudatæ, poſt vin-dictam niceteria dedit. Deinde * Colithen ar-cem, prius abunde prorſus communitam, no-ua munitione inexpugnabilem factam ſibi re ſeruans, Muleaſſi Numidæ regnum reſtituit. ſic tamen, vt & clientem & tributarium eum ſibi faceret. ac poſtremo, ſecundo Africo, his re-bus glorioſe geſtis in Siciliam velut ad decre-tum triumphum nauigauit.*

* Bonã nuhc.
* Algeriã alij.
* Gõletã vulgo.

Circa idem fere tempus Rex Angliæ Ioan. Fiſcerium Pont. Roceſtrium, & Thomam Mo-rum, ipſum morum leporem, & litterarum de-

Card. Roffen. et Thomas Morus martyres.

cus, nec non Principem Senatus Britannici, quòd diuortium Aragonium, & ambitionem Eccleſiarchæ, & ália Regis auſa improbabant: ſecuri percuſſit. qui horror totã Angliam perfudit. Cæterum eo magis irritatus Rex ferebatur: quia Põt. Rom. ergaſtulo clauſum Fiſcerium, albo Purpuratorum aſſcripſiſſet.

Deligit tunc primum Franc. I. toto regno, qui nomina darẽt, 40. peditum millia: eaq; in ſeptem æqualeis legiones diſpertit, exemplo, imitationeq; Etruſcorum. quod inſtitutũ Gallicum, quia cum Etruſcæ militiæ legibus atq; diſciplina non peſſime conueniebat: putatum eſt eius rei auctorem Clem. VII. in illo cõmemorato Maſſilienſi congreſſu, Regi extitiſſe: nec enim vllum alium militarem ordinẽ illic ante eam diem fuiſſe liquet, præter equeſtria ſyſtemata, & ipſa antiquiſſima.

Secuto Auguſto Pont. Paulus III. accõmodatus iam ad Pontificatum, collecta præpropere militum manu, Rudolfum Ballionem, Perusia exactum, perſequitur. de cuius ſtatu vt recognoſceret ipſe, non multo poſt eòdem ſe contulit. & repudiatis veteribus, quibus antea vixerant Peruſini, legibus, ciuitatem in ſuam redactam poteſtatem, nouis formauit.

Octobri Franciſcus Sfortia, Mediolanenſium Dux, nulla ſobole obijt. quæ dominationis origo, vti ab annis circiter LXXXV. in atauo cognomine (qui etſi quæſito colore eum Magiſtratum occupauerat, tamen non male ſe in eo geſſerat) cœpit, ita ſtirps cũ hoc ſecundo Sfortia excidit. cuius mortem luctus publicus eſt conſecutus. quia nimirum hic populus ſingulari Principe, præ cæteris ciuitatibus gloriabatur. itaque ille ſtatus ex teſtamento, præter id quod clientela eſſet Imperatoria, ad Imp. primo translatus, ſubinde iure hæreditario recidit ad Philippum F.

Imp. è Sicilia in Italiam prid. Kal. Decembr. traſmittens, Neapoli Florentinorum cauſam audiuit. Philippus Strozza, vna cum liberis, & nobilitate Florentina exulante, per Saluiatum, & Rudolfum Purpp. PP. querebantur: indignum eſſe, Alexandrum Medicem ſingulare eius ciuitatis habere Imperium: nec non in ea agere tyrannum, iuſtitiam igitur vt ſeruaret, Imp. rogare, ex pacto, quod inter Pont. & ipſius maieſtatem quinquennio antè obſeſſa patria pepigiſſet. Contrà Alexander eôdem, aſſiduorum caterua ſtipatus, vbi venit, nihiloq; ſegnius ſuas rationes defendit:

dit: exſulibus poſtremo reſpondit Imp. Modò ne inique tulerint Alexandri dominatum, curaturum ſe, vt poſtliminio reuerſis & cuncta bona, ante fiſco addicta redderentur, & omnibus generatim, remiſſa culpa ignoſceretur. Ad illam Imp. ſententiam non minus animoſe, quàm ſtomachoſe oblocuti exſules, minime veniſſe ſe, inquiebant, ſciſcitatum de conditione ſeruiendi, ſed æquitatem poſtulatum; vtq; pactam ab ſe populo Florentino libertatem ipſe confirmaret. itaque, vbi ad fractam ſe canere, intelligunt; animis indignatione ſaucijs, è Cumanis in Latium reuertunt. Alexandro vero, vt cauſa meliori, ſponſa (quam antea nominauimus) ſecuto anno datur.

In. An. 1536. Ianuario, ceu vitæ tædio, ceu iniuriarum indignitate, & continuis moleſtijs affecta, Aragonia illa exregina, legi naturæ ſatisfecit. cuius afflicta fortuna animos omnium ad miſericordiam alliciebat. quam, licet peregrinam, & propter virtutem, qua etiam ſummas excellebat Heroides, & propter eius præclara in remp. merita, non vulgariter Britanni vſq; adamauerant. 1536.

Moriente Sfortia II. Inſubrum Regulo,

Rex Franciæ, de ſtatu illo occupando ſtatim cogitauit. quem iure ſibi, ab Ludouico Rege, cui ipſe ſucceſsiſſet, arrogabat. Quo vt tandem aliquando perueniret, Allobroges vicinos, & Taurinos quamprimũ inuadere conſtituit. cauſabatur etiam inſuper ex dote materna, hæreditatem iſtam tanquam ex æquo & bono ad ſe pertinere. Eã ob rem, cùm menſe Martio, Philippum Scabotum Brionem, *Halmerotem, cum exercitu emiſiſſet in vicinitatem, nullo labore, continuo tota Allobrogum ciuitate potitur. qui inde tranſcendens Alpeis Pœninas, reſiſtente nemine, Taurinum, gentis vniuerſæ caput, Foſſanũ, Charium, Vercellas, & alia oppida, pari celeritate occupauit, denique irruens in Monferratenſeis, Albã, ex eis, iniuria cepit. atq; is interim, quidqd recuperaſſet, ſolicitè muniebat.

*Ammiralium vulgo Franciæ.

Secuto Maio, dum in morte Aragoniæ exſultat Boleine, ecce tantum non deprehenſa iſta in inceſtu, verum etiã adulterij nota infamis, ad ergaſtulũ detruditur. Frater, Georgius de inceſtu damnatus, Norus autem, Veſtonus, Bruertonus, & Marcus Flandrenſis fidicen, corriuales, Regi pœnas acerbiſsimas dederunt. & paucis abhinc diebus Anna in arce Londi-

Anna Regina Angliæ adultera.

Londinēſi(Turrim appellat vulgus) capite lu it. Sed regius ſane fuit iſtius fœminæ animus. quæ, cum Thameſim fluuium tranſuecta, raperetur in cuſtodiam, pro turri, ab æditiore loco, in confertiſſima populi, qui ſpectatum confluebat, turba: quia aduerſus ſe captiuam non adhiberet reuerentiam populus, acriter inprimis ac proterue: Siccine, inquit, ſceleſti? vah: Etſi me mori omnino vultis, moriar nihilominus regni huius Regina, vel ſi non vultis. Ab hac, Rex Ioannam Semeram, nobilem quidem puellam, ſed ipſam neceſſariā ac familiarem gynæcio Boleines, vxorem accepit.

Iunio menſe, religionis componēdæ gratia, annuentibus Chriſtianorum plerisq; Principibus, Synhodum, quæ demum anni proximi Maio coiret Mantuæ, Pont. Max indixit.

Quintili ſecuto Baſileæ obijt D. Eraſmus Roterodamus, ſexagenario propinquus, omniū, quos ſol hic vidit, vt doctiſſimus, ita & eloquētiſſimus: vt immortalia eius ſcripta abūde teſtantur. qui antiquis nihilo inferior, ceu Muſarū Phœnix, in re literaria cyclopediam probe abſoluiſſe videtur. cuius interitu literæ vniuerſæ grauiſſimum damnum fecerunt. Mors Eraſmi.

IMP. *q tūc hibernabat apud Neapol. vti di-*

 ximus,

ximus, nuntio allato Regem Franciæ in Italiam traducere exercitum, odoratus rem, & perculſus indignitate, Romam proficiſcitur. vbi honorificentiſſime exceptus, rogato in Senatu Pont. & Purpp. PP. mirandum in modum dolere ſe oſtendit, & quòd res nouas hoſtis nõ hoſtis Gallus denuo moliretur, & quòd pactiones conditionesq́; pacis periurio perturbaſſet: iccirco Pont. orare, vt ipſe ſibi aduerſus prouocatorem Regem auxilio ſit. Sed Paulus III. vel qua erat prudẽtia, vel pacis amantior, verba Imp. dedit. Inſtabant etiam tum forte τὰ σωτηρείας Chriſtianorũ. Imp. igitur (uti vulgus autumat, primigenitus in eccleſia) præclaro humilitatis argumento, imitatione Chriſti, prid. Paraſceues, poſtmeridiano nempe tempore, duodecim egentium pedes proluit, atque linteo deterſit. ijs Agapen exhibuit, cum ijs cœnauit. ijs denique omnem argenti abacum, menſæ illatum, à cœna eſt delargitus. Ritus eſt iſte annuus in vrbe lauationis ſordidatorum, Pontt. Romm. curioſitate iam pridem obſeruatus.*

* vulgo Paſcha.

Roma egreſſum Imp. omnis Etruria certatim ſummo honore accipit. ab Lucenſibus igitur in Inſubreis pergens, cum Ant. Læuæ ex-

uæ exercitum antè imperaſſet, Taurinis confeſtim ſigna intulit, & Foſſanum vſque aliquo progreſſus recepit. Hic Halmerotes, confirmatis ſuis, (erat enimuero tunc forte Vercellis) & quæ præoccupaſſet; diligenter communitis oppidis. diplomate, ad Regem Lugduni ſeſsitantem tranſuolat. Imp. vero redactis in quadrum numerumq; omnibus ſententijs, cum ſibi videretur pro re nata, parum vel nihil rei facturus in Taurinis, proditionis (vanæ) intelligentia, ad occupandam Maſsiliam, ex togata, in bracatam Galliam ſe conuertit. quò dum ipſe comparata ingenti claſſe, ab Sabbatia nauigat, iubet eâdem Læuam, Vaſtenſem, & Gonzagam, principia exercitus, terreſtri itinere feſtinato properare. illuc etiam è Belgio accerſitus Maximilianus Iſelſteinus, Comitis Bureni F. cum M. C C. equitibus, & aliqua expeditorum peditum manu contendit. Quod poſtquam Rex audiuit, qui itidem paulò ante numeroſum exercitum collegerat: Lugduno Auenionem profectus, rerum ſuarum ſatagit. annonam, frumentum, & pabulum, quæ in agris, aut villis eſſent, ſtudioſe collata condit in caſtellis idoneis, & armatorum præſidijs. denique,

 quacun-

quacunq; Imp. cum exercitu tranſiturum putabat,(quò ſic hoſtem frumentationis & pabulationis difficultate offuſcaret)multa infirma oppida, vti ad defenſionem inidonea,vel depopulatione,vel incẽdio vaſtat, & exinanit.

At paulò ante quàm Lugduno diſcederet Rex,derepente moritur Franciſcus,filiorũ Regiorũ maior natu,in ipſo iuuentutis flore. quẽ & propter egregiam eius indolem, & certam excellentiæ ſpem non modo pater,ſed vniuerſum regnũ Franciæ ſummopere luxit. Et porro Ferrarienſem quendam (qui ob id crimen in fruſta eſt decerptus,quemque ad id ſubornatum ab Læua, & Gonzaga Rex propalam aſſerebat, quantumuis licet ipſi ſe Regi de iſta ſuſpicione diligenter purgabant) propinaſſe venenum,rumor fuit vulgaris.

Imp.in Bracata Gallia bellum gerente,eius iuſſu Naſſouius è Belgio in Picardiã incurſans, cùm ferro flammaq; regione peruaſtata, Guiſam, Tercẽſis agri oppidum inter alia cepiſſet: arcẽ Peronã ſubinde obſedit.quẽ verò in Taurinis cum alteris copijs reliquerat, Ioan. Iacobus Medices,(ille,qui Marinianus tandẽ aliquando Marchio eſt factus) Gallicas excurſiones acriter propulſabat:caſtraq; poſtremo Taurinum promouebat. Con-

Jo. Jacobus Medices.

Contra, Guido Rangonius, Comes, pro re nata Gallicarum partium in Italia ſtudioſus, cũ duas circiter legiones militum apud Mirandulam collegiſſet, hortatore, & expeditionis comite Cæſare Fregoſo, ex improuiſo, Genuam feſtinans, nullo tormentorum proludio, ſcalis admotis, ſubito oppugnauit. Sed is, ſingulari fortitudine Genuenſium, (maxime verò virtute Auguſtini Spinulæ, & Baptiſtæ Corſi, cui cognomentum erat Farinæ, hi enimuero qua ex parte Rangonij milites irruptionem intentabant, cõfirmatis ſuis, hoſtem acriter propulſabant) poſt ancipitem dimicationem, tãdem eſt repulſus. ſalus profecto Ligurum præſentia ducum tunc præciſe ſtetit. quorum quidẽ fuit victoria, at non incruenta. extitit enim fere par oppugnatorum & propugnatorum clades, in quibus tamen Farina eſt conciſus. Quod Fregoſi conſilium vbi male vertit Rangonio, ab Liguribus ad Taurinas Gallorum ſtationes ſe ſubduxit.

Imp. interea, poſtquã ad Aquas Sextias, occupatum ab ſe oppidum, itinere paulo minus bidui, ab Auenione, copias collegiſſet: dubitaretq́; Druentiam, non altum, ſed impeditum, periculoſumque flumen ob vicinitatem ho-

ſtium,

ſtium, qui Caualconte communitis caſtris ſe continebant, tranſmittere: pertinaciter tamen in aciem Gallos elicere, (ad ſingulare etiam certamen Rege verbis & legationibus prouocato) omni ratione ac via tentabat. Sed vbi cunctatorem Gallum è nido extrahere non potuit; ob commeatus difficultatem, meliore exercitus parte iam conſumpta, & ægritudine magis animi, quàm morbo corporis, mortuo Leua, expeditionis illius auctore, cui plurimum confidebat Imp. ac poſtremo neceſſitate compulſus, & ſtomachoſus Rom. prouincia excedens, Genuam reuertit. reliquias vero mirandum in modum extenuatas, labore & inedia fractorum militum, in Taurinos remittit: in Leuæ demortui locum ſuffecto Vaſtenſi, cuius fidei præterea Inſubreis commiſit.

Ea ipſa die, qua bracatam Galliam reliquit Imp. ſoluta itidem Peronæ obſidione, cum arcem per aliquammultas dierum hebdomades, tormentis, impreſſione militari, cuniculiſq; fruſtra diu oppugnaſſet: herbam tandem Naſſouius dedit Florangi Martio* IV-VIRO Franciæ, qui Gallicum illud præſidium defendendum ſuſceperat. Quarum victoriarum

*Mariſcallo, vt vulgaris & popula

riarum profuſam lætitiam, Celtæ & immanium ignium coruſcatione, & pyrobolorum iactu, nec non comeſſationibus publicis declararunt.

risGallorum lingua effert.

RANGONIO*(uti diximus) Genua perperam oppugnata; in Taurinos profecto; Cæſareani Taurino ſtatim diſcedunt. Ob id Rangonius apparentis victoriæ veſtigijs inſiſtens, Carinianum copias admouet. quod etſi magno impetu inuadit, reſiſtentibus fortiter oppidanis, primo repulſam patitur. Sed dũ is nouam adornat irruptionem, ij, qui intra oppidum erant, & propter prioris inſultus cladem, & propter ſauciatos quamplurimos militum propugnatorum: incolumitatem pacti, Rangonio ſe tradiderunt. Capto igitur deditione Cariniano, Carmaniolam* ex Saluſſana iuriſdictione, cum multis alijs oppidis, vi expugnauit.*

* Ciuitas vulgo eſt Saluſſa.

Nouembri ab Liguribus Imp. in Hiſpaniam renauigat: poſtquam contra Allobrogem & Saluſſanum, Monferratenſem ditionem Mantuauo adiudicaſſet, quippe cum ipſa clientela eſſet Imperatoriæ. qua prærogatiua mares duntaxat venirent (ſicut conſtat ex iure ciuili) honorandi. debebatur iſtud quidem*

* Is eſt apud vulgũ Marchio Saluſſæ.

gratiæ

gratiæ Imp. Si Margarita Palæologa, Mantuani coniunx, in maſculæ clientelæ poſſeſſionem mittebatur. Sed eodem fere temporis puncto Galli Caſſale, eius ſtatus primariam vrbem, occupauant. Vaſtenſis igitur, vbi ſolicitante Mantuano, feſtinato collectas ad Aſtã copias per arcem, quæ inuicta adhuc ſtabat, introduxiſſet, poſt diuturnã, difficilemq́ dimicationem, multis vtrinq́ cadentibus, Gallos tandem ab occupata ſtatione repulit. itaq́ Mantuanus tranquille, recuperata itidem deinceps Alba, in adiudicata ſibi ditione pedẽ poſuit.

Eo anno partim ob immutatam rem religionis, partim ob grauiſſimas, eaſq́ continuas pecuniæ exactiões, Angliæ populus, ſpeciatim verò Lancaſtrij, & Iorchi iritati inſtinctu, nixiq́ ope Antiſtitum in Regem conſpirarunt. qui collecto quammaximo exercitu, cuius hi erant præ cæteris ordinarij duces: puta Darcia, Robertus eques, idem Stratarchus (vir ampliſſimæ clientelæ) deinde Huſia, & Aſcia: magnis & conſtãtibus animis, Prætoriũ petebant: illum ſuum tumultum, ſacrũ nuncupantes. Henricus verò Rex coniuratis obuiã mittit cum inſtructo exercitu Nordofolchiũ Regulum,*

* Vulgo Conſtablus à Gallis.

gulum,& Sariſberium, Prætorÿ præf. Sed his ipſis negotium dat, vt, quoad eius fieri poſſet, à conflictu ſe moderate cõtinerent, quin pagerent potius cum concitato populo: cui, ſuo nomine, cuncta ſponderent, quæ ipſi vellent, modo arma deponerentur. Simulatis igitur cunctationibus, dum pro virili parte iuſſa Regÿ duces exequũtur, bellumq; aliquô vſq; duxiſſent: ad extremum ſedata tranſactaq; eſt iſta controuerſia, ÿs quidem cõditionibus, quæ in ſpeciem non ſolum vtiles, ſed honeſtæ etiã ſeditioſis videbantur. qui ſimulatque arma depoſuerant, Rex pactiones reſcindit, & comprehenſa iſtius factionis capita, & in his præclara nomina capitali ſupplicio afficit.

In. An. 1537. Ianuario Iacobus V. eo nomine Scotorum Rex, Magdalenam, Franciſci I. Franciæ Regis, filiarum maiorem, ſumptu ſane Regio factis Lutetiæ nuptÿs, duxit vxorẽ. at nõ multo poſt, quàm recens nupta adoleſcẽtula, Gallicanis aſſueta deliciolis, vna cũ coniuge in Scotiam tranſmiſit, ſiue delicatiſſimo cùm viri, tum regionis horridioris faſtidio, ſiue ægritudine quadam animi affecta, nullo concepto fœtu, moritur. 1537.

Nocte illa Nonarũ, quæ 8. Id. Ian. præceſſit, accidit,

Laurentius Medices Alexandrum ducem interficit.

acciđit, vt Alexander Medices, qui iuuenis, annum viceſimum ſextum non plene attigerat, à coætaneo prope, affine interficeretur. Hic nimirum Alexander, quia in multis tyrannice ſe gereret, & in voluptate amatoria nimium ſibi indulgeret, magnam populo anſam dabat; ab ſuo corpore, acerbæ ſeruitutis iugum aliquando repellendi. atque indidem occaſionem Laurentius Medices, eius perneceſſarius, affinis & familiaris, adoleſcens Alexandro biennio fere minor iam dudum aucupabatur: qui ſublato iſto onere ciuitatis, patriam priſtinæ redderet libertati. ſed cum vſque eo idonea oportunitas nulla ſeſe obtuliſſet; caſum in id tempus potiſſimum reſeruaſſe videbatur. hoc initio. extra prætorium, nullo ſtipatum machiæphoro, ſolum Alexandrum (allectatum atque inuitatum nempe ſpe fruendi concubito nobilis cuiuſdam fœminæ com plexu) noctu in ſuas ædeis deductum, triclinio recipit Laurentius. qui, ſiue mora, dum ſimulat accerſitum ire ſe optatam Venerem, officioſæ inſtar ſedulitatis, lecto recumbentis Ducis gladium à ceruicali primus amouet. inde egreſſus, Scoronconcolum quendam famulum, cuius animum lentis beneficijs multo ante ſibi concilia-

conciliauerat ; cui nihilominus clauſa eatenus habebat ſua de occidendo Duce conſilia; euocat. confert cum eo, quam parabat rem, exinopinato. quem vt alacrem perſpexit, & promptum, tempori ſeruiens, hominem ſecum, in triclinium, quo iacebat Alexander, ducit. itaque correptis telis ambo, citra alienam operam (quidquid hîc falſo quidam ariolentur) Ducem confoderunt. quo confoſſo Laurentius, clauibus obſerrata æde, ad illum ipſum adminiſtrum, aſſumto itidem altero famulo, ſed eo nullius facinoris conſcio, permutatis equis, clam vrbe elapſus, Bononiã tranſvolat. indeq; Venetias, vt Phil. Strozzam, fatalem Ducis aduerſarium, illic conueniret: ſoſpes pergit. Interim, comperta iam morte Principis XLVIII. VIR. collegium, cuius ſumma eſt in vrbe Florentia magiſtratus auctoritas, coijt. qui partim metu, partim, vt ſic melius res ire inciperet aliquando, quàm adhuc iuiſſet: poſt paruulam aliquam ſententiarum diuerſitatem, Coſmum Medicem, Coſmus. duodeuiginti annorum adoleſcentem deligunt nomine quidem clientelæ caput, re vera autem Principem ac Ducem reip. quo in ſtatu eum ſtatim Imp. ſua voluntate confirmauit,

E & rebus

& rebus compoſitis, ſtabilitisq́, Fortuna ſubinde iuxta collocauit. itaque ſtirps illa futuri Principatus (quam celeberrimus vir ille Coſmus ſenior huius atauus, iã abhinc centũ, tricenos annos, ſeuerat) immanium ventorum, & diſsidiorum ei, ac interdum horribili temporum tempeſtate, ſanguinis & perſecutionum plena, varie exagitata, in hoc ipſo Coſmo, at nepote cognomine, neque prius, tandem fundata, extulit caput: & radices alte egit in adoleſcente: qui profectò euaſit in virum vndecunque iuſtum, & circumſpectum: nec hac modò, qua excellit amplitudine, ſed etiam in omni Imperio digniſsimum Principem.

Per idem fere tempus Galli nouis excurſionibus Belgiũ infeſtabant, nec vllus fere tranſmittebatur dies, quin præſidia inimica inter ſe leuibus prælijs certarent. Galli porro ex Artuſia, menſe Aprili, Heſdinum arcẽ ceperunt. qua victoria inſoleſcentes, hoſticum, ferro flammaq́, depopulabantur. in quos, cúm incredibili celeritate lectiſsimum exercitũ Florentius Burenus duceret, quòd ſe viribus impares recognoſcebant, hoſtes Burenarum copiarum impetum, cedendo euitarunt. itaque

Heſdino

Heſdino arce quamprimum recepta, & Fano Pauli, ac Monſtrulo oppidis ſecuto Iunio expugnatis, Cæſareani poſtremo Terauanam obſederunt. Sed poſt aliquam obſidionis irritæ moram, menſium decem inducias pars vtraque fecit; ea lege, vt pacatis Belgis, in Taurinis nihilominus bellum eſſet.

Tunc demum ludos Fortuna bellatoribus reliquit. quippe Cæſareani, vti in Belgio Gallis longe erant ſuperiores, ita in Italia viciſſim ſuccumbebant hoſti. qui, ad prioreis copias adiuncto nouo (eoq; numeroſo exercitu, ductore Humirio, trans Alpeis ducto) primo Albam Pompeiam, & continuo Chariolum, occupauerat. itaq; camporum omnis erat in Gallis dominatus.*

* Charaſium vulgo.

Cognito, in locum demortui Alexandri Ducis, Coſmum Medicem ſuffectum eſſe, Phi. Strozza, & cum eo Florentinorum exſulum ſodalitium, ianuam patefactam ſibi exiſtimabant, recipiendæ ſimul cum patria libertatis. Conferũt igitur continuo ſua conſilia cum popularibus Saluiato, Rudolfo, & Gaddo, Purp. PP. cunctis itidem Florentinis. colligunt extemplo aliquid copiolarum, cumq; ipſis, ac ordinarijs ducibus, Roberto, PH.F. præter cæ-

 teros

teros bellicoſos viros, illud agmen Florentiam verſus extrudunt. Porro quamprimum Florentinum territorium ſunt ingreſſi, ibi tum Purpp. PP. multis de cauſis deliberarunt expedire; Vt, cum armata militum manu, exules tantiſper Cortonæ commorarentur: dum ipſi Florentiam profecti, auctoritatem fidemq́ue ſuam interponerent: (maxime vero quòd Saluiatus auus eſſet Coſmo) operam ponerent reip. quò ſic ſine armorum ſtrepitu, communi omnium patriæ, æquabili quapiam pactione, libertas redderetur. Qui verbis bene accepti, & promiſſorum ſpe detenti Florentiæ, donec in nouo ſtatu ciuitati fuiſſet prouiſum; re inorata, nouiſſime dimittuntur. id quod, ſicut non minori ſtomacho fuit interceſſoribus, quàm pro quibus intercedebatur: ita fecit ſane, vt irritus ille tunc quidem extiterit exulum labor. Phil. Strozza, & illius ſodalitatis principes nihilominus inſtitutorum quadam conſtantia, cum prætentandũ omnino ſtatuiſſent, quod animo informatũ anticipatumq́ue fuerat, ſecuto Quintili, contractis apud Mirandulam nouis copijs, per Bononienſem agrum Florentiam contendere, & libertatem ſpirare. qui ſane, cum aduerſarium flocci

umflocci

um flocci faciendo, viderentur ſibi iam modo & propter alias cauſas, tum propter excepta nonnullorum ciuium conſilia, in manibus tenere victoriam: in hanc partem inſigniter errauerunt, ita vt Pyrauſtæ quodam interitu interierint, hac ratione. Aliquo itineris interuallo, cum expedita militum cohorticula, Ph. Strozza, Barptolemæus Valorius, & vna cum ipſis omnes fere primarij viri, exercitũ, quem continuo ſe ſubſequi mandauerant, præequitando, ad Montemurlum, tredecim non amplius paſſuum millibus quod diſtat ab vrbe caſtellum, vſque inconſideratius proceſſerant, ad properationem illam quiddam nimirum intereſſe iudicabant, nõ exſpectare, dum ad locum veniſſet exercitus, qui non longe aberat: ſed cauſam totam, & tempus ſtatim arripere, & cum neceſſarijs amiculis, ac ruſticis, inſtantia ſecreto tractare, & eorũ vnumquemq́; ſua præſentia bene animare. Sed horum cœptis plane repugnauit Fortuna. quippe imbrium continuatione impediti biduum milites vix greſſum trahebant. Dux itaque de illo ipſo tumultu, & aduerſarium ad Montemurlum quidem ſedere, ſed improuidum atq; imparatum, tempore factus certior,

conflatã derepẽte partim ex Hiſpanis, partim ex Italis aliquam magnã militũ manum, cum Alexãdro Vitellio, illuc continuo mittit, inſultatum in anteſignanos, & præcurſores temerarios, antequam robur accederet totius exercitus. Vitellius igitur cautiſſime ingrediẽs, & in fugam coniecta, profligataq; cohorticula illa, quæ non multo ante cum Petro Strozza ſe de via oſtenderat: Montemurlum Cal. Sext. mane, priuſquam luxiſſet, mox inuaſit. q uti minus inſtructos, conſternatos metu, & perturbatos repentino ſuo incurſu exſules offendit. ita nullo fere labore illud caſtellum, infirmũ per ſe, obtinuit. quo capto, viui in eius poteſtatem, præmultis alijs honeſtis ciuibus venerunt Ph. Strozza & Valorus cum Philippo filio, nec non Ant. Franciſcus Albitius, qui illa ipſa nocte, ex caſtris, admiſſo equo illô præuolarat. pars tamen aliquota ſalutem fuga ſibi quæſiuit. pars etiam ab Hiſpanis, non obſcuro humanitatis exemplo, manumiſſa eſt. Porro ex omni captiuorum grege, qui Florentiam pertrahebantur: plus minus tredecim ſubinde ſecuri percuſſis, ex principis clementia, reliquis parcitũ fuit. ac Ph. Strozzam ſeniorẽ, in ima arce, anno plus clausũ ergaſtulo, omni

ſpe

ſpe longioris vitæ iã fruſtratũ, impendẽte nimirũ nece violenta, grauius in ſe ipſum conſuluiſſe, conſtans fama tenet: quãlibet multi vel animo dicant, vel credãt contra, atq; ego ſcripſi: nempe eum aliena manu enectum fuiſſe.

Cum iam And. Doria, multos abhinc annos Neptunium quoddam regnum in mari cum ſupero, & infero habuiſſet, in eaq; (quam ſæpe diximus) maritima Imp. prouincia, cũ ſumma ſui nominis gloria verſatus, Turcis, Barbariſq; piratis multam cladem intuliſſet, Coronem ciuitatem, inter alia, ad Peloponeſum expugnaſſet, nouiſſime verò hoc ipſo anno, inſigni prælio nauali 12. naueis longas, & cũ his aphracta, aliáque nauigiola quædam ex Turcis cepiſſet, iniquiſſime id ferens tyrannus Aſiaticus, atque ob id inflammatus iracundia (quod informatum eius animo erat, Venetos in eo, multis nominibus, ſibi incommodaſſe) bellum Venetis aperte indixit. & Sextili Ahenobarbo claſſis inſtructiſſimæ præf. mari illo præmiſſo, ipſe itinere terreſtri, cũ exercitu validiſſimo, Corcyrã, Venetæ iuriſdictionis, inſularũ Adriaticarum vnã, oppugnatum contẽdit. Sed parati Veneti, & egregiè inſtructi omnib. quæ ad bellũ, terra mariq; ſuſtentãdum

neceſſaria erant, non modò per ſe fortiter ſuæ tuebantur, ſed ipſis etiam, pro re nata Imperatoria claſſis patrocinabatur. ita vt, poſt inſultus Corcyræorum varios, poſt tentatam iterũ atq; iterũ expugnationẽ, vbi intellexit Pont. Imperatoremq; vna cũ Venetis in ſuũ caput conſpiraſſe, non minori fere accepto detrimento, quàm dedecore, ſecuto Septembri Conſtantinopolim repedauit.

HVMIRIVS, *poſtquam Alba Taurinorum præmiſſum cum parte copiarum Fregoſum, vi Chariolum occupaſſe cognouit: eòdem reliquas exercitus ſtatim traduxit, indeq; coniunctis viribus Buſcam contendit, quod oppidum tormentis Gallicis dum concutitur: audito Vaſtenſem numeroſa integrorum Germanorum manu vetereis copias recens ſupleuiſſe & cum exercitu ſibi obuiam ire: oppugnatione Buſcana remiſſa, Humirius ac Fregoſus* * *Pænariolum ſeſe ſubduxerunt. Cæterum allato in caſtra eo nuntio, Vaſtenſis Charium ſtatim deflectit. quam ciuitatem tormentis multis ferociter exagitatam milites incredibili feritate inuaſerunt. itaque captam, edita prius non parua propugnatorum Gallicanorum ſtrage, diripuerunt. Eodem curſu famæ, Mon-*

*Pinnariolum vulgo.

mæ, Moncalerium expugnarunt: ſubinde porro impreſſione militari fruſtra tentatum Charaſcum, & Albam (dum anguſtius vrgeretur) pactione receperunt. itaq; inſtantis victoriæ veſtigijs hærens, vno ſimul tempore, bipertitis caſtris, Panariolum, Taurinumq; Vaſtenſis obſedit. Hic Franciæ Rex, vbi intelligit fortunæ ſuccumbere ſuos, & Vaſtenſem duas ſimul ciuitates obſidere, auctoratum exercitum copioſum, ſubſidio laborantibus ſuis in Taurinos tranſmiſit. & cum eo Henricum F. qui iam modo ex morte fraterna, Delphinate prærogatiua fuerat amplificatus, eiq; collegam adiunxit Annæum Momoranſinum illum, qui aliquando ſecundum ab Rege obtinuit magiſtratum. qui exercitus ſimulatque cum tribulibus in Taurinos coijt, continuo ſubductis caſtris ſoluitur vtrinque Vaſtenſis obſidio. Aliquanto vero pòſt ille ipſe Rex ad tranſalpinum exercitum cum tranſijſſet, magnosq; progreſſus feciſſet: cogitabat poſtremo etiã in Inſubreis excurrere. Verùm Pont. præteritorum memor, & præſentia cernens, dum futurum præuidet, vt omnis Italia cum publico naufragio, bellis ardeat, reip. Chriſtianæ egregiam operam poſuit. Vt Nouembri

E 5 (ita

(ita petentibus Caſareanis) trimeſtreis in Italia itidem inducias, primo fieri colliberet. deniq; exacto priore trimeſtri, vno ſpiritu aliud trimeſtre prorogaretur. quippe aliquid dum interuentu ſuæ perſonæ, de ſumma compoſitione, paceq́; concilianda inter bellatores confecturum ſe, etiam ſperabat; & in animum induxerat.

Eduardus Anglus.

Menſe Octobri, nocte vero illa, quæ diem D. Eduardi memoriæ dicatum præcedebat, Eduardum (vnicam Henrici Regis prolem maſculam) in populari gaudio Semera peperit. at mater ſecundo decimo die pòſt deceſsit. itaq; manifeſtus eſt error eorum, qui ex præmortuæ matris, ab Anatomices peritis diſſecto vtero ſpirantem adhuc fœtum, extractum ſcripſerunt.

Secuto Nouembri Pont. poſtquam catenus eſt comperendinatus, Concilio ſemeſtre proximum etiã inſuper prorogauit, & cui ſeſquianno antè apud Mantuam diẽ dixerat, mutato loco, verbis illud ipſum denuo Vicentiæ deſignauit, quæ eſt ad Meduacum citra Apenninum Venetæ ditionis ciuitas. vbi ipſe ſubinde Campegium, Symonetam, & Brunduſinum,

treis,

treis, ex albo Purpuratorum, habuit Legatos.

In extremo ſpiritu paulo ante commemoratarum induciarum, cum per Legatos, & ſecus, collata in vtriuſq; concordiam, accuratiſſima diligentia, quo ſic depelleretur pernicies à Rep. & exitium ab Italia (bellum nempe) Pont. vidit, ſe per alienam perſonam non poſſe eò, quò intendiſſet, quauis alia via peruenire, ad poſtremum auctoritatem ſuam pacificationi adhibere conſtituit. Officioſe igitur ſe ipſis offerens, vtriq; etiam pollicẽs; ſe, in ſumma illa ſua ſenectute, Niciam iccirco venturũ, vt conſtituta die, ibidem ambo (Imp. & Rex Franciæ) ſiſterent, rogatu ſuo impetrauit. Põt. igitur ab vrbe partim terra, partim mari eò trãſmiſit. Imp. vero ex Hiſpania nauibus traiecit. Rex equis aduectus. itaq; licet diuerſis itineribus, omnes tamen adæquè mẽſe Iunio A. 1538. *quò præſcriptũ erat, coiẽrũt. Vbi,* 1538.
cũ neq; multorũ dierũ opera, neq; vlla ratione tũc quidem à bello ad integram pacẽ, quò ipſe (Pont.) reſpiciebat, eos quiuiſſet traducere, nouiſſime rẽ eò deduxit, vt nõ ſine ſummo honore ſuo, & magna omniũ bonorũ voluntate, induciæ fierent decennales: quibus expreſſe continebantur

Margarita Austria Octauio Farnesio despondetur.

tinebantur maxima, ac præclariſſima quæq; nomina, quæ alterutri ſtudebant parti. Eo ipſo in congreſſu, Matrimonij ſocietate, Octauio Farneſio, Pont. nepoti, Margarita Auſtrias, illa modò vidua, quæ (vt dictum eſt) Alexandro Medici primo nupſerat, deſpondetur. His confectis rebus Nicia diſceditur. Pont. ob pacificatoriam legationem ab Liguribus honorificentiſſime habitus: inde Romam reuertens, vbique triumphali pompa excipitur. Imp. in Narbonenſem Galliam nauigauit, vt inibi remotis arbitris (quippe colloquio Niciæ, neſcio quo reſpectu, pepercerant) Regem conueniret, qui Foſſas Marianas terreſtri itinere petebat. Quò appropinquantem cum claſſe Imp. Rex ipſe, qui parua celoce luſoria aduehebatur, conſcenſa eius Prætoria, vna cum lectiſſimo comitatu, poſt amiciſſimam aduentus congratulationem ſalutauit. Vbi, niſi qui ipſe viderit, ab amplexu mutuo, hilaritatem quantam vterque vultu & geſtu præ ſe ferebat, non facile credat vnuſquiſque. Hîc ex alto repetita officia, & (vt vno verbo rem omnem expediam!) Syncretiſmus. nec enimuero finem confabulationi facturus Rex videbatur, niſi eam nox vicina diremiſſet.

itaque

itaq; peramicè ſalutato, ac in poſterum bene valere iuſſo Imp. Prætoria celoce repetens Rex, ad continentem reuehitur. Poſtridie, mi lite omni in nauibus relicto, Imp. oppidum introgreſſus, iterumq; ab Rege, & Regina ſorore, ac tota curia ſane quàm honorificentiſſimè atque hilariſſimè exceptus, inibi propè biduum perſtitit. quippe poſtperendium pra diũ, cum ore ſigna amoris, verbis ac geſtu officium ac beneuolentiam oſtenderet, vale inuicem dicto, Imp. Hiſpaniam, Rex verò ſuam ſedem repetit.

Dum Niciæ tractantur induciæ, Carolus Geldriæ dux, nulla poſt ſe relicta prole, decedit. is, quia natura deditus Franciæ, non modo in ditionem Imp. crebris excurſionibus, ſed in ſuos etiam infeſtus (quippe videbatur iniuria eo tendere, vt illa ipſa regio tandem aliquando dominatu Gallicano teneretur) ſuperiore anno, dum morbo præpeditus, non optimè valeret, paulo minus tota poſſeſſione fuerat exutus, & Gulielmus Cleuenſium Prin ceps, à populo adoptatus. itaque Carolus ad ſummas tum corporis, tum rerum adductus anguſtias, ex pactionis formula, cenſente ita ſenatu, & conſentiente populo, Tribunitiam

illam,

illam, ducalem poteſtatem, in Gulielmum affinem vniuerſe tranſcripſit. magna querimonia Imp. qui iure æquabili ſe dominum illius hæreditatis eſſe aſſeuerabat.

Menſe Octob. Franciſcus Maria Roboreus, Vrbinatum Dux III. Piſauri & Senogalliæ dominus, nec non Venetæ militiæ magiſter, vita defunctus eſt: princeps, quem ſubiecti omnes & magni fecerunt, & amarunt plurimũ. Patri demortuo Guidobaldus F. populo Vrbinati æque charus, ſucceſsit. Huic demum præmonito, Camertium ditionem per fecialem repetitam, niſi vltro redderet; Pont. arma continuo intentabat. Guidobaldus verò, cum ſibi videretur, aut non poſſe, aut non debere auctoritati Pontificiæ reſiſtere, trãſacta ea controuerſa, ad extremum eius poſtulatis reſpondit. itaque ex Vrbinatum ſpolijs dignitatẽ illam ducalem ſubinde ſibi induit Octauius, Pont. nepos ille, cui nuperrime ſolennibus nuptijs Margarita Auſtriæ, in matrimonio fuerat collocata.

Illo ipſo an. cum parteis Pont. Rom. odioſas nec deſereret Rex Angliæ, quin hominem acerbe & penitus odiſſet, Anachoretarum ſcholas toto regno ſubuertit omneis. tam. n. fratrum, mendicitatis conſortium, collegia, quàm Archiman-

chiman-

chimandritarum opulenta clauſtra perturbauit, ornatum etiã, inſuper emblemata & pretioſiſſima omnia, quibus religionis ergô, maiores arcam, loculum, & monumentum D. Thomæ Bocheti, illius olim Cantuarienſium Antiſtitis, vndique veſtiuerant, indidem populo inſpectante auellenda curauit, atq; è delubro ſuſtulit. oſſaq́; aduerſus quæ, tanquam ſancta, Britanni reuerentiam ſummam aliquando adhibuerãt, rogo impoſuit. cinerem autem vento traditum, diſſipauit. S Thomas Bochetus.

Decembri morte occubuit Andreas Gritus, Veneti Senatus Princeps. quem ſummum magiſtratum ſuæ ciuitatis, cum ſumma ſua laude & gloria, integro quindecennio habuit. Ei Ianuario in A. 1539. Petrus Landus Patricius, 1539. *vir vndequaque conſultus, & rerum naualium peritiſſimus, ſucceſſit.*

Illo ipſo fere tempore Ioãnes Menapiorum Regulus obit. itaq; Gulielmus F. dum legitimo iure paternam cernit hæreditatem, tralaticia (quàm diximus) Sicambrorum prouincia, ſimul ei ſit confirmatior.

Secuto Maio in partu perijt Iſabella Auguſta Caroli V. ſoror verò Ioannis, Luſitanorum Regis: matrona chariſſima. quã, quo viuentẽ a-

mauit

mauit ardentius, eo mortuam ſane fleuit acerbiùs Imp.

Eiſdem penè diebus Pont. qui Synhodum exacto biennio Vicentiæ indixerat, illoq́ pro ſe, treis (quos nominauimus) legatos miſerat: quia pauciſsimi omnino tranſalpinorum põpulorum comparerent, ſæpe tardatum & procraſtinatum Concilium Vniuerſale, pro re nata, remiſit. & aliò, dum ſibi, & Purpp. PP. opportunioris temporis daretur optio, reſeruatum, prorogauit ac ſuſpendit.

Coſmus Leonoram Toletanam ducit.

Menſe Iunio, Coſmo Medici Florentinorũ Duci, Leonora Petri Toletani, Proregis Neapoleos filia nullo magnificentiæ modo adhibito, verè nupſit.

Secuto Quintili Ahenobarbus numeroſa claſſe, per Adriaticum mare diffuſa, continuò in Neocaſtrum, munitiſsimam arcem inſultauit. quam noſtri ex Turcis anno ſuperiore, trium claſsium, puta Põt. Imp. & Venetorum coniunctis viribus ceperant: præſidioq́ illic reliquerant veteranorum Hiſpanorum quatuor millia, duce Franciſco Sarmẽta. Eam verò Barbarus, poſt immanem tormentorum tempeſtatem, poſt multas, ordine continuatas impreſsiones, deuotione quadam militari*

*Caſtrum nouum vulgo.

ſatius,

ſatius, quàm vi, nouiſſime Sextili conſecuto recepit. Vbi ſane altera Cannenſis clades reip. eſt inflicta. quamlibet illam ipſam Hiſpanorum legiunculam, quæ illic interierit, & Romanas fauiſſas expilaſſe olim aliquando, & omnem propè Italiam diutius decerpſiſſe fama fuerit.

Decembri Rex Angliæ, Annam Menapiam, Gulielmi ſororem, venuſta admodum ac liberali forma, Heroidem, vxorem duxit. ſed non multo poſt illas nuptias, tanquam mutata perſona & conuerſa ſcena, pro Andria Thyeſten exhibuit. quippe Ecceſtrium Toparcham, Eduardi IIII. Britannici nepotem Henricum Montacutum, & Eduardum Neuelem, treis præſtantiſſimos viros, in ſuſpicionem vocatos, ſimul, ſuſpirante populo, ſecuri percuſſit.

Tunc cum in Belgio victus inopia ſumma eſſet, Dacæ, & Auſtralis Germania maritimæ ingraueſcentem annonæ difficultatem ſuppeditato frumento tempore ſubleuarunt. Porro in Italia eo anno tanta fuit annonæ caritas, vt, quamlibet ſedulo prouidebant publicis neceſſitatibus importato coëmptóque frumento curatores ædiles, fames tamen, & inedia mul

tas hominum myriades conſumpſerint.

Eodem tempore accidit, vt Gorduni ob imperatam ab Maria, Imp. ſorore (quæ eadem pro fratre Belgium regebat) pecuniam, cōmurmurarent ac tumultuarentur. qua re ad aureis Im. in Hiſpaniam delata, nihil antiquius habuit, quàm vt illò mox accelleraret. Quô cum antea conſtituiſſet, ex ſua conſuetudine, poſt tranſmiſſum maris Mediterranei, ab Ligaribus, & dimēſa Germania, flagitatore Rege, & hortatrice Maria ſorore, contra conſilia principalia, præterq; opinionem omnium Europæorum iacta alea, Regiæ amicitiæ fiducia, perexiguo interim comitatu, adulta etiā inſuper hyeme, conuerſo per mediam Franciā itinere, transijt. in quo, quàm honorifice fuerit vndiq; Imp. habitus, quàm magnifice exceptus, quàm deniq; regifice tractatus; non facile conſequatur hominum captus, nedum ego commemorauerim. quem vſq; ab Hiſpanienſi limite Aquis Auguſtis Aquitaniæ arce munitiſſima Valencinā Flandriæ finitimā ciuitatē, præ cæteris Franciæ primatib. per 1500. amplius paſſuum millia, Regij liberi deduxerunt.*

* Baiona vulgo.

In hac ipſa coïtione, vno conſenſu duas ampliſſimas ad conciliandum, legationes, ineunte iam

te iam Anno 1540. Imp. & Rex Franciæ, Venetis mittunt: vt ſecum itidem, contra perpetuum, ac communem hoſtem Turcum, fœdere iungerentur. Quibus cum vno eodemq́ tempore in aurem Galli dixiſſent; (nec enim carent artificio ſimulationis Principum inſtituta) in primis cauendum eſſe, ne tantus & finitimus hoſtis diutius ab ipſis prouocaretur. Valuit iſtius conſilij ratio. itaque Veneti, extincto bello Turcico, à quo tunc quidem per inducias vacabant: pacem cum Turco ſemel fecerunt, vtpote qua deinceps extra omnem diſcordiæ aleam poſiti, tranquille, prudentérque, vſque ad huius horæ punctum, vtuntur, fruuntur. 1540.

Improbiſſima calumnia.

At Imp. armatus potius quàm togatus in patriam vbi reuertit, ineunte Maio, affectatæ ſeditionis capita deprehenſa morte multauit. Maieſtatis verò deminutio, publica deprecatione quidē eſt expiata. Sed priuilegijs, immunitate, beneficijs, & prærogatiua orbatæ vrbi magnam imperat pecuniæ vim, ac nouiſſime extructam inibi arcem, tanquam oppugnaculum illi ipſi cōcitatæ multitudini, opponit atq́ obijcit. Porro ciuitas ſubinde Imp. liberalitatē, & Ph. F. gratiā ſedulitate & offi-

eiǰs ſic promeruit, vt priſtinæ dignitati vtcunque reſtitueretur.

Circa id temporis Pont. itidem debellat & contundit Peruſinos. quæ ciuitas, cùm pertinacia quadam animorum, portorium, ſalis nomine dare ei recuſaſſet, aperte rebellauerat, ac ſubinde Aſcanium Columnam præpotentem Herulum, conſimilis contumaciæ reum, poſtquam ex eius ditione Algidum, & Palicanum, duo oppida, præoccupaſſet: de ſtatu (qui quidẽ iure nexi, Pontificiǰs clientelis cenſebatur) reliquo deiǰcit.*

*Rupes Papævulgo.

Menſe Iunio Thomas ille Cromuëlis, à remo (quod aiunt) ad tribunal prouectus, & qui minus paulo infra Regem erat, vniuerſæ confuſionis Anglicanæ (niſi fallor) inſtrumentum, derepente comprehenſus capitali ſupplicio afficitur, at paulo poſt Rex (repudiatæ Menapiæ coniugi, cùm honeſtatis, tum virtutis fama præclaræ, alioquin principi fœminæ, attributa luculenta penſione annua, vnde in Britannis laxè viueret) amori nihildum cum affecta ætate refrigeſcenti, indulgens, ad Catharinæ Auardæ (ea Nordfolchiǰ Reguli erat neptis) amplexum ſe conuertit.

Eodem menſe Fridericus Gonzaga (Mantuanorum

tuanorum omnium primus ab Imp. Ducali nomenclatura ante decennium honoratus, cum eius maiores Marchiones fuerint vocati) deceſſit. cui Franciſcus F. ſed puerulus, gratioſus, & inclytus, ſucceſſit.

Sextili Gulielmus ille Budæus in fata conceſſit, vir eruditionis eximiæ, & Græcarum literarum ſcientia, rarus. hoc auctore Franciſcus I. Franciæ Rex, annua ſtipēdia litteratiſſimis quibuſque tum linguarum, tum artium liberalium profeſſoribus Lutetiæ decreuit. à quo ceu fonte ſcaturiente, feliciſſimorum ingeniorum riuuli deinceps per totum orbem manarunt, & adhuc manant. Qui præter variam rerum cognitionem atque vſum, cum reip natus natura videretur, ei ab Rege ſummi ſemper honores deferebantur. Vacabat etiam poſtremo poſtulatiōibus, quod ſummæ eſt dignitatis genus apud Gallos, aduerſus eum reuerentiam ſummam omnis curia adhibebat. denique cunctis tanti fuit viuens, vt reliquo tempore mens demortui in libris eius ac monumentis perpetuis ſit ſpiratura.

Hic annus, ſicut, & antecedens, cometam ingentem quidem & aſpectu horrendum, præ

ſeſert: quanquam neuter parum vel nihil egregij portendit. quippe iſto ipſo biennio nihil dum memorabile aut nouum euenerat, contra atq; à credula ſimpliciq; antiquitate doctum vulgus autumabat.

1541. *In. A. M. D. XL I. VIII. Kal. April. (is eſt viceſimus quintus Martij dies, quo die potiſſimū Florentini annum ſuū auſpicantur) ſummo omnium ordinum applauſu, marem primo partu peperit Dux Florentina. hic Franciſcus nempe, Princeps vocatus eſt Florentinæ iuuentutis.*

Iam modò Franciæ Rex, vbi verbis Imp. cōfirmata ſpe (de transferēdo aliquando Mediolano in Aurelianum filium) ſe multis indicijs fruſtratum intelligit: partim indignitate rei cōmotus, partim vindicationis deſiderio inflammatus, belli inſtrumenta præparare videbatur. quippe Gulielmo Menapio primùm omnium quòd eum inimiciſſimum Imp. eſſe cognouerat, Ioannā neptim, ipſamq; Henrici Nauarræi Regis filiam, vel inuito vtroq; parente, deſpondet. ob id inuitato, euocatoq; ad ſe Menapio, nec dum nubilē virgunculam, connubio iungit ſecuto Iunio, innuptis quibuſdam nuptijs res ea peragitur. nam vnde-

vndecim annos non plene egreſſam, ideoq́; ineptam coniugio puellã, dum adoleſceret, ſponſo interea eò, vnde venerat, redire beneq́; ſperare, iuſſo: mater ſuæ cuſtodiæ reſeruauit.

Illo ipſo temporis puncto, Annæus Momoranſinus, ſicuti triennio ante ſingulari fauore, ad ſecundam illam ab rege dignitatem * *Mag. Eq. (quam toto abhinc quindecennio, poſt Caroli Borbonij deceſſum vacantẽ, quam libet ambientibus multis, Rex nulli tamen detulit) fuerat aſſumptus: faſtidio quodam animi, beneuolentia regia identidem plane excidit. arguebatur enimuero, quaſi ipſe Imp. de quo ipſe Regi mare quidem aureum, ſed falſo eſſet pollicitus, ab Hiſpania vſque (vti indicauimus) per mediam Franciam, ad Belgas, traduxiſſet. Momoranſinus autem, quia ſe curiæ odioſum eſſe videbat, priuatim deinde de ſuo viuens, extra aulam latuit. Contra, manifeſto Fortunæ ludibrio, Regi, & curiæ Halmerotẽ multo ante nominatũ,* * *Etampis illa Hera (Regiæ deliciolæ) reconciliauit & mitigauit. iſte nimirũ vecordiæ accuſatus aliquãdo, quòd in officio Ducis bello Allobrogico & Subalpino claudicaſſet, ſententia ſenatus ergaſtulo per-*

*Conſtabla s tum vulgo.

*vulgo domina & Dux ab Eſtampes.

petuo venerat multandus. Sed illud ipſum S.C. Rex ita correxerat: vt honore deminutus, interim ab aula duntaxat exularet.

Ad aliquam multas (vt innuimus) perturbandarum decennalium induciarum cauſas, hoc fomentum belli fortè etiam acceßit. Cæſar Fregoſus, * *Michaëlita, miles Gallicanus, ob rem priuatam, & Antonius Rincon, Hiſpanus, Turcicæ legationis cauſa, ſimul ab Rege Venetias deſtinati, dum in togata Gallia, ſecundo Pado nauigant, ab Vaſtenſi quadam cuſtodia Quintili menſe, ad Ticini oſtia, ceu de via intercepti, clam ſubinde interficiuntur. hic exclamare Galli, & paßim lamentari. Cæſariani porro ſedulo ſe purgare. Rex tamen non accepta vlla eorum excuſatione, Georgio Auſtriadæ, Archiepiſcopo Valentino (is deſignatus iam Eburonum Antiſtes), ab Hiſpania per Celtas, induciarum fiducia, ad nouum & ampliſsimum illum ſuum Pontificatum fortè tendebat) Lugduni non multo poſt manus iniecit.*

* Eques ordinis D. Michaëlis.

Cum ſub id temporis Franciſcus, Ant. Lotharingici Reguli F. Chriſtiernam illam viduam, ex Imp. affinitate coniugem ſibi accepiſſet. ideo Galli tulerunt moleſtius, quod

exacto

exacto anno Renatus Cabillonius Arauſiorum Princeps fiduciarius cliens, Imp. acceptiſſimus; huius itidem Franciſci filiam duxiſſet vxorem.

Ineunte Auguſto, Imp. quo ſic aliquando Barbarorum, in improbitate exſultantium, frangeret audaciam, ad Argyles expugnationem animum adiecit. oppidum iſtud eſt Mauritaniæ Cæſarienſis, Balearibus inſulis oppoſitum. idem portus piratarum, & ſentina prædonum. Profectus igitur ab Ratisbonenſi comitio in Italiam, Lucæ Pont. eſt allocutus: & à Florentino, Ferrario, alijsq́; Italicis Satrapis inibi eſt ſalutatus. nec multo poſt paratus & inſtructus, contra voluntatem tamen Doriæ, claſſis Præfecti Claſſicorum Ducum facilè principis, & præter opinionem vel trierarcharum, vel nauarchorum, qui tunc natura incertam & diſcrimini proximam fore nauigationem (vti erat, propter vicinum Arcturi ortum, & propinquam Aequinoctij diem) non incepte præiudicabant ex Lunæ portu, atque Spedia, ſigno profectionis propoſito ac educta Aquila, ornatiſſimam claſſem ſoluit, Mauritaniamq́; pleniſſimis velis petit. ad iſtam expeditionem auxilia ſubminiſtrabant

F 5 Imp.

Imp. Pont. Luſitanus, Melitenſes milites, & reliqui maritimæ Italiæ Reguli. Comparatæ etiam inſuper magno ſumptu altera claſsis in Hiſpania, & ex Belgio accerſitæ Liburnæ, eôdem iubebantur contendere. Sed his auſis fortuna plane tunc videtur obſtitiſſe. ferebantur porro tardius egreſſæ naues Hiſpanicæ, quippe Imp. ſimulatque eo appuliſſet, & exercitum, ac inſtrumenta belli in continentem ex nauibus expoſuiſſet: & militem in expeditionem miſiſſet: ecce coorta, ab Hædis pluuialibus maritimorum æſtuum tempeſtas naueis in vniuerſum omneis ſic afflixit, & lacerauit: vt nõ modo cœpto non inſiſteret, ſed ex Vergiliarum hiemali occaſu, ingraueſcente tempeſtate, accepto maiore incommodo & detrimento rerum, quàm animo quis collegerit, reliquas infirmas naueis, quotquot à naufragio ſecum ſuperfuerant, Nouembri in vicinam Hiſpaniam neceſsitate compulſus, referret. ab hoc vero alterum Reip. Chriſtianæ vulnus Barbari inflixerunt. quippe Turcus ipſe numeroſiſsimo cum exercitu in Hungariam incurſans, Budam Regiam ſedem, & Peſtum in aduerſa Danubij ripa poſitum municipium non multo ante occupauerat. quæ clades vndique accepta,

cepta,

cepta, non tam Fortunæ ipſius iniuriæ, quàm inueteratis Chriſtianorum diſſidijs (prope dicam flagitijs) debebatur.

Eo anno Rex Angliæ ad populum tulit legem illam: Ne quis Diuos deinceps coleret, vel (vt vulgus ait) à negotijs, aut ab operibus, laboribusue, ſtatis Sanctorum ferijs, feriaretur. Iuſſit itidem, vt in ſua quiſq; paræcia, paræcus, diuinorum oraculorum interpres, ſacroſancta Biblia lingua populari & profiteretur, & haberet. Quæ res myſtica, quòd in ea vel ſubtiliſſima ingenia labi, fallíq; paſſim, centū exemplis probari poſſet, num tutò rudi plebeculæ proponi debeat, nec ne, à multis ambigi video. Mihi vero, iuxta ac pleriſq; omnibus hoc eſt perſuaſum. Siquidem arcanorum interpretatio, iuxta Chriſtianum præſcriptum diuinitatis donū exiſtit, non eſſe temere, & illotis (quod aiunt) manibus, ad tam remotam ab humano captu myſteriorum menſam accedendū. quæ licet, pro ſuo vnuſquiſq; ſenſu, mira quadam ſagacitate probè tenere, & aſſecutus ſibi videatur, næ toto cœlo vt plurimum ferè aberrat, & omnia intelligēdo facit, vt nihil intelligat. qua ſanè arrogātia fit, vt pertur bato rerū ſacrarū vſu, & hæreſes neceſſario naſcantur,

Impiae leges Henrici VIII.

ſcantur, & conduplicatus error hominũ mentibus illabatur: deniq; vt inſtar nauiculæ exundante controuerſiarum mari, Chriſtiana reſp. continuo iactetur.

1542. *Paulò pòſt, in. An. 1542. Auarda illa immodicæ libidinis conuicta, capite pœnas dedit Regi. quippe recognouerat nõ modo ante nuptias vitium ei illatum fuiſſe, ſed etiam coniugij ius violaſſe viroſam mulierem furtiuo concubitu. qua ſublata, deinde in aliquot comprehẽſorum capita, partim mœchos, partim turpitudinis iſtius conſcios, publicè animaduertit. inde ad ſextas iam nuptias tranſiens, Catharinam Parrham, ex nobili quadam equeſtri familia, nouiſſimam ſibi iunxit vxorem. ea enim Regis fatum ſuperauit.*

Menſe Iulio, ad Etruriam, dehiſcente terra, fragor ruinarum, aliquàm longè temporis memoria maior exſtitit. quippe cum maximæ moles, & firmiſſima ædificia paſſim concuſſa, vel ab hiatu contremiſcẽtis ſoli ſunt abſorpta. Sed in his Scarparia, ſubappenninum oppidũ, Florentinæ iuriſdictionis, non ſine magna oppidanorum cæde, meliori ex parte corruit.

Secuto Quintili furorem ſuum, ſpeciatim ex legatorum violatorum morte conceptum,

Fran-

Franciæ Rex ebullit. Coniunctus enimuerò & neceſſitudine & fœdere Menapiorum & Sicambrorum Regulo, conflatos ſumma ſolicitudine quinque exercitus, ſimul in expeditionē vno eodemq́; ferè tempore, ſed diuerſis itineribus, quinquepertito mittit: nihil dum tale quidquam cogitante Imp. qui tunc quidem temporis in Hiſpania ſeſſitabat. Primus exercitus, ſimulato, ac vario colore in Sicambris, Menapijſq́; collectus, ducibus, Longauallenſi Gallo, & Martinuanroſſemo Sicambro: duas exæquabat Legiones; cōſtabat enim tredecim ferè peditum, binis verò equitum millibus. qui finibus ſuis egreſſus, in finitimam Brabantiam cùm ex improuiſo inſultaſſet, Hogoſtratam arcem deditione cepit, qua capta, munitione bellica refecto exercitu, vbi olfecerunt duces, Arauſinū cum agmine duûm millium peditum, & 400. equitum turma, Breda proficiſci, & Andouerpijs ſubſidio ire: ex inſidijs, per idonea loca diſpoſitis, ipſo die qui D. Iacobo erat dicatus, eum ſunt adorti, & vrbi propinquum, quò tendebat, (quia non numero ſolum hoſte inferiores, ſed ex rudib. tironibus, illæ Arauſinæ & raptim collectæ erant copiolæ) facilè fuderunt: & in fugam coniecerunt.

qua

qua elati victoria Galloſicambri, conſecuta nocte, in fundo (vulgò D. Vilebrordi) ſuburbano, poſitis caſtris, biduum deſederunt. Arauſinus autem cum diſſipatorum equitũ, quos ex prælio collegerat, reliquijs interim in vrbem introreceptus (peditatu vniuerſo poſt ſe relicto, cuius pars intercepta ab hoſte perijt, pars in agris errauit) ingenita quadam mentis altitudine ciuium animos confirmauit. Andouerpas etiam inſuper Maria, Im. ſoror, his rebus excita, Arcſcotanum Regulum admiſſis equis ac diplomate, nocte eadẽ, iuſſum Machlinia tranſcurrere, ceu vrbis propugnatorem deſignauerat. Sed præclara vrbs, quanquam duũmvirũm Marianorum cõſilio adiuta per ſe, contra impetum hoſtis inſtructa ac parata, Lanceloto Vrſelio equite & Nicolao Schermerò Pugile Coss. in armis excubabat. Vbi præ cæteris egregiam operam patriæ poſuit Cornelius Hiſpania, ordinis Senatorij, in bello expertus vir, ac, pro re nata, Andouerpanæ militiæ Magiſter. nec paruo ſane tunc vſui fuerunt inquilini mercatores. ſiquidem ex Germanis, Dacis, Italis, Hiſpanis, Luſitanis, Britanníſque delecta, duũm millium manus, tantum non, ad theſauri (quem illic ſemper habent lucu-

luculentiſſimum exteræ illæ nationes) cuſtodiam, verùm etiam ad militaria miniſteria, vbiubi res poſtulabat, alacriter ſe & continuo comparauerat. quorũ exemplo animati ciues, peregrinos populos dextrum brachium ſuæ vrbis propalam appellabant. Sed in his Italorum virtus, & ad ſubleuandam remp. mira quædam animorum propenſio eminebat (ſicut præ me, Ioannes Seruilius, qui iſtud Antarium bellum minutatim deſcripſit, teſtatur) atque apparebat. qui non modo ad omnia militaria officia ipſi aderant promptiſſime, quin de ſuo, 300. peditibus ſtipendia perſoluebant. Nocte igitur illa, in vigilijs, cuſtodijs, ſtationibus, & id genus alijs vrbanæ propugnationis præparationibus, traducta: poſtridie, vbi luxit, Gallicanorum armorum Rex, poſt clarigationem, ad mœnia proxime adequitans, Franciæ Regi, deditionem Andouerpanos poſtulat. Sed is, non minus animoſo quàm ſuperbo propugnatorum reſponſo, ad caſtra remittitur. Secundo die, ſimulátque vrbis occulta quædam proditio erupit, ſupplicio machinatoris & architecti ſtatim eſt reſtincta. Comparebant etiam tum auxiliares Pleumoſij, hæc erat mille ducentorum peditum manus, è fini-

ſinitimæ Flandriæ ciuitate contracta. Hic Sicambrogalli, patefactis conſilijs, excluſi vrbe, & appropinquante auxiliorum agmine, demirati alacritatem vrbanam, ne tentata quidem irruptione tridui illius, poſtquã illo magno tumultu acceſſerant, multo mane caſtra mouerunt, & vaſa collegerunt. Probabilis tamen, iudicio ſaniorum, & expertorum hominum, in vrbe erat trepidatio. nam ſi hoſtis poſt anticipatam victoriam, iacta alea, in vrbem ſtatim incurriſſet, cuius ad eam diẽ mœnia exilia, & omni ex parte præter Scaldim, debilia extabant, ciues etiam plerique omnes opifices, nulla ferè aut exigua diſciplina militari, aut bellorum experientia, præterea Arauſini afflictis rebus initio conſternati, inter ſe tumultuabãtur: facile procul dubio, futurum fuiſſe periculum, in imparatis exiſtimari debet. Andouerpijs itaque obſidione ſolutis, quacunque infeſtus natura in Brabantiam hoſtis, ibat hoſtico incendijs peruaſtato, Louanium, Grudiorum coloniam, breuis diei itinere inde diſtantem, mouet. Vbi ſimulat oppugnationẽ. Dum porro miſſi ab ciuitate Legati, cum inimicis de pecuniaria redemptione intra teli iactum, peragunt: quidam ex Palladis (quæ

illi præſidet celeberrimæ Belgarũ Academiæ) grege Martius tiro forte ignem inijcit tormento, pilámque accenſo puluere ſulfureo elicit : contra voluntatem magiſtratus. quem caſum cum ad publicam ſalutem ſpectare putarent, ſocij flumina geminabant. at, ſine mora, cum mirabilis horror caſtra hoſtium perfunderet(correptis ſecum, & in vincula coniectis, qui pacificatoriæ Legationis cauſa, extra ciuitatem cum hoſte fuerant collocuti, Damiano nempè & Blæhenio :) odorati, inſtructum equitatum Cæſareanorum appropinquare, protinus loco ceſſerunt excurſores: nec fugæ modum impoſuerunt, donec ſe Aurelianis copijs, in regione Lucæpyrgenſi coniunxiſſent. Eam enimuero Carolus Aurelianus, alter Regiorum filiorum, ſecundi exercitus Gallici dux, cum ferro flammaq́; defædatam, vndique infeſtaſſet, vti nullo confirmatam præſidio, ſecurè quodammodo depopulabatur. nec nõ praeoccupatá eius Ducalis prouinciæ meliore parte, Danuillariũ exciderat: Virodunũ diruerat, & reliqua oppida, ad defendendũ idonea, cuſtodijs, præſidijsq́; diſpoſitis firmauerat. Tertius exercitus, cui Ant. Borbonius, Vendomæorum Regulus ab Rege fuerat præfectus:

 Ex Picar-

Ex Picardia, Artuſios, & Pleumoſiorum, territorium iuuaſit. qui, quamlibet multa conatus, nihil quidquam effecit. Quartum exercitum Gallorum duxit in Taurinos Gulielmus Langæus, qui licet initio neq; aliquò progrederetur: ad extremum irritus omnis eius extitit labor. Quintis nouiſſimiſq; cum copiis Delphinas, Regiorum liberorum natu maior, Perperuianum, caput gentis comitatúſue Rucellanenſis, Hiſpaniæ finitimam ciuitatem, attentauit tantum. quam, cùm multis tormentis concuſſam, capere nullo modo poſſe vidit: aliquandiu continuatam oppugnationem, non ſine damni iniuria, nouiſſimè intermittit. Sed Franciæ Rex nuſquam ſane peius poſuit ſumptus. nam cum tot ſimul alendis exercitibus (quibus omnium mortalium animos, ad ſingularem aliquam exſpectationem excitauerat) bonã ærarii partem exhauſiſſet, magnam Imp. anſam dedit, ad præmunienda oppida, contra incurſum Gallorum, quæ vſque ad eam diem aut infirma, aut expugnatu facilia extitiſſent. præterea, ſimul ac Aurelianus Lucæpyrgicam ſtationem reliquit quamlibet præſidia occupatis oppidis impoſuiſſet; Cæſareani mox, exactis Gallis, veteres

teres ſedes receperũt: excepto Iuoſio. Cæterùm modo Rex diſperſas illas, & tantas vireis in vnum contraxiſſet, quemadmodum non malè quidam conſulebant, easq́; ſimul vni parti regni Imperatorii obieciſſet: in prono fuerit ei victoriæ vſurpatio. ita ſanè fit, vt multis ſimul negotiis implicatus quis raro aliq̃d egregiè præſtet. & neſcio quàm domeſticum vitium eſt Gallorum, ambitio. Eodem verò tempore Boſſutus Belga, Tribunus maior, præ cæteris ordinariis ducibus, valido cum exercitu in Menapios inſultans, vniuerſam illam penè ditionem incendiis, excurſionibusq́; peruaſtatam, nec non Duram eius gentis arcem, quindecim non amplius dierum interuallo occupauit.

Stomachoſus Pont. etſi tempore duobus hiſce bellatoribus Legatos miſit, ad conciliandum, vt depoſitis armis, Concilio œcumenico Tridenti indicto, animum vna ſecum intenderent, ſurdis cecinit cantilenam. quippe vterque ſe mutuo periurii, ob perturbatas inducias, accuſabat. itaque ipſe itidem ſuo inſiſtens inſtituto Polum, Moronum, & Parrhiſienſem treis Purpp. PP. ad Tridentinum conuentum ſimul deſtinauit,

Ea æſtate locuſtarum myriades infinitæ tantum non in Germaniam, ſed in Italiam etiam tranſuolarunt, colore atro, & inuſitata magnitudine. quod inſecti genus cum fruges omneis terræ, & ſegetem agrorum depaſceret, calamitatem populo fore illi portendit. res memoriæ digniſsima.

Menſe Decembri ab Anglis, quibuſcum ſuo in ſolo manus conſeruerunt, Scoti ſua ipſorum incuria magis, quàm virtute hoſtis vincuntur. quo ex conflictu ſuperſtes Iacobus V. eo nomine, Scotorum Rex, cum ad Regiam reuertiſſet, triennio maior tricenario, in ipſa ætatis viriditate, ab immoderata animi ægritudine, deceſsit: Maria filiola hærede regni ex aſſe ſcripta, quam vnicam octiduo ante obitum Patris, mater cognominis Lotharingiaca, Claudij Guiſani filia, pepererat.

*Nec Menapium vis hiemis (quod eſt alioquin anni tempus ad res gerendas incommodum) retardauit, quin coacto exercitu, præcepta Dura, amiſſum non multo ante ſtatum, ex Cæſarianis receperit. quibus Areſcotano duce ſummario, veris initio ad remiſſam expeditionẽ redeuntibus, magna celeritate recollectis viribus, proximè * Sitharte oppi-*

*Ita vulgo.

dum q.

dum IX. Kal. April. in. A. M. D. XLIII. fortiter concurrit. Vbi inito prælio, Marte ancipiti vſque aliquo confligitur. Impetum enim Areſcotani equitatus Sicambrorum equitum apertæ alæ cedendo euitarunt. ſed interim aciei Menapiæ pertinacia, Cæſarianorum peditum ordines perturbaſſet: poſtremo vicit. Sic ſemper ferè ſors domina campi. Cuius Victoriæ veſtigijs inſiſtentes Sicambri & Menapij, Limpyrgicum Ducatum finitimũ incredibili feritate inuadunt. eius meliorem partem ruinis, direptionibusq́; defœdant, nec ita multo pòſt Martinuanroſſemus in Aduaticis, circa Ducalem ſyluam vltro citroq́; pergraſſatus, & præoccupata Ameroſphordia, Vltraiectinæ ditionis ciuitate, dum quoquouerſus infeſta ſigna impunè circumfert: reliquias Limpyrgicas, & poſtremo Falcopyrgicum territoriolum, & Dalemicum, ferociter peruaſtat.

Illo ipſo menſe Martio, ceu refricato vulnere, Britannicus irritatus iniuria recentiſſima Gallorum, quod natura Franciæ deditis Scotis, & antiquiſſimis ſocijs, nuperrimo bello, contra ſe auxilia ſubmiſiſſent: ex veteribus nouas aucupans querelas Franciſco I. Franciæ Regi, terra, mariq́;, bellum, clarigante Fetiale indixit.

Modo fatalis quædam neceſsitas, Menapiorum Regulo in perſonata illa felicitate exultanti, impendebat, quippe Imp. Belgicarum turbarum fama, in Hiſpaniam tranſcendente, vehementiſsime commotus, cum primum illud ei per anni tempus facere liceret: in Belgium tranſuolare conſtituit. Poſtquam igitur Philippum F. ex ephœbis iam egreſſum, annorum ſexdecim adoleſcentem, Mariæ, Ioannis Luſitanorum Regis filiæ, eidemq́ꝫ conſobrinæ, indulgente nimirum Pon. in matrimonio locaſſet: & iureiurando publico in totius Hiſpaniæ Principatu confirmaſſet: non amittens tempus flante Africo, Genuam Maio appulit. quo inter cæteros Italicos ſatrapas, Imp. reducem Coſmus Medices cum ſalutatum itidem iuiſſet: arces illas duas, puta Florentinam, & Ligurnenſem (quas ambas ab Alexandri morte, vſque eo ſibi retinuerat Imp.) ducentis aureorum ſcutorum millibus, & amplius, redemit. qui Imp. ſoluto conuentu, ab Liguribus diſcedens Buxeti (quod eſt inter Cremonam, & Placentiam, Aemiliæ caſtellum) Pont. iterum conuenit quidem: ſed in pacis ſuaſione multam operam ponentem, non audiuit. Camerinam ei iam mouerant Franciæ

Rex,

Rex, & Menapius. quorum ab vtroque & damno & iniuria affici ſe, ab altero verò etiam fraudari ſuo & pprio ſe, dicebat. quippe flagrabat Geldriæ recipiẽdæ deſiderio generoſus animus Imp. in illo ipſo Buxetano tridui cõgreſſu. Pont. nihilominus, dum Nóẽmate ſimulat ſe eo pacto componere, confirmareq́; velle perpetuum ſtatum Italiæ, Ducatum Mediolanenſem, Octauio nepoti, Imp. auro oblato popoſcit. at, quamlibet ſubtilis licitator Pont. non addicente Imp. impoßibilia captans, longe aberrauit à ſcopo: nedum ſtultè id optauit, quod aſſequi non eſt. itaque inſtitutum iter perficiens Imp. veterum iniuriarum oblitus, cum Britannico contra Gallum, fœdere iungitur.

Interea excubitor Gallus hinc Landreſium, ex iuriſdictione Hannonia occupatum oppidum, cuſtodijs & præſidijs firmat. inde, dum vndecunque rerum ſuarum ſatagit: accitis etiam Turcicis auxilijs, mare Mediterraneum infeſtat. Ahenobarbo enimuerò ſub Franciæ Rege, pro re nata, ſtipẽdia merenti, Gallicana cum claſſe coniunctus Franciſcus Borbonius, Anguianus comes, ad Niciæ expugnationẽ, direptionemq́; remis veliſq́; iuſſu Regio contendit. quam ciuitatẽ tormẽtis plurimis cõquaſ-

ſatam cùm in tentata violentiſſima irruptione expugnare nequiſſet: ad extremum menſe Auguſto, ex pactione obtinuit: Nicienſibus nequaquam futura invtili, modo ſtetiſſet, nempè, Vt ſibi quibus antea ſub Allobrogum Regulis vixiſſent, iiſdem itidem, ſub Franciæ Rege, legibus liceret vti frui. Capta Nicia, reſtabat inuicta arx, impendens ciuitati. quam tuebatur Paulus Simeon, miles Rhodius, vir iuxtà clarus, ac fortis Dux. is cum nullas admitteret compoſitionis conditiones, tantam obſidionis vim, qua terra mariq́; circumcludebatur, infracto animo ſuſtinuit: & nihil dum commotus, exemplo dedititiæ ciuitatis, hoſtium molitiones deſpexit.

IMP. *porro ſub id temporis, poſtquam ex Germanis ſupernatibus, ex Italis ac Hiſpanis apud Bonnam, Rhenanum oppidum, paululum ſupra Agrippinam Coloniam, conflato validiſſimo exercitui, poſt omnium ordinum recenſionem, Ferdinandum Gonzagam, Proregem Siciliæ, præfeciſſet: II. Kal. Septemb. in Menapios, vltriceis Aquilas duxit. Vbi comparuit Epiſtalmate euocatus itidem Arauſinus, is duas pleniſſimas Belgarum legiones ex peditum duodenis, equitum verò millibus binis,*

nis,

nis, & amplius, & in his delectæ nobilitatis robur, adduxerat. quibus coniunctis viribus continuo Duram, in ripa Ruræ fluminis poſitam, eius gentis arcem, petit. hanc, ſimulatq; oppugnationis inſtrumenta admouit, non obdurantem triduum contra horribilem tempeſtatem tormentorum, atq; Cæſarianorum militum virtutem, vi expugnat: quo die D. illius Barptolemæi memoria recolebatur. Ea datur diripienda militi, & nouiſſime incẽdio vniuersè vaſtatur, excepto ſodalium Franciſcanorum clauſtro. qua in expugnatione ſingularem laudem conſilio meruit Stephanus Columna, Præneſtinus, Florentinarum cohortium Trib. idem Cæſarianorum caſtrorum præf. Dura non minus fortiter capta, quàm ferociter direpta, ad ſecundum inde miliarij lapidem in conſpectum Iuliæ (quæ Menapiorum metropolis, Ruræ fluuio perinde imminet, & genti ac Regulo nomẽ ex ſe participat) cum exercitum promouiſſet Imp. 5. Kal. Sept. poſt breuiſſimam obſidionem ipſa ſe dedidit. Iulia dedita, ad ſextum miliarium productis poſtridie caſtris, proxime Ruræmundam copias extendit, hoc eſt totius Geldriæ caput, id, quia ſecus Moſam, ad oſtium iam modo dicti

 flumi-

fluminis eſt ſitum, quod habet vernaculum ἔτυμον, re ipſa prodit. iſta ciuitas recentiſsima caſtigatione Duranorum, duriſsime afflicto-rum, perculſa, à primo Cæſarianorum conſpectu, ad pactionem deſcendit. 4. Non. Sept. igitur Imp. vti fundi dominus, Ruræmundã intro inuectus ab victore exercitu ouat. hîc honorifice ab ciuitate acceptus, in acclamatione populari audit, Salue Imp. Cæſ. Salue Carole V. Dux Geldriæ. agnoſcit dominum Ruræmũdenſis cliens, fidelitatemq́ iureiurando cõfirmat. inde Venlam contẽdit. Ripenſe etiam illud eſt oppidum, tertio ab Ruræmunda miliario, & ſitu, & obiectu præterfluentis Moſæ firmiſsimum, adornatur oppugnatio. hîc Venlenſes, & euentu ſociorum, & caſu fœderatæ vicinitatis conſternati, dum inclinant atque propendent ad compoſitionem: ecce, Gulielmus Menapiorũ Regulus, ad Cæſariana caſtra vltro profectus, ſe & ſua omnia Imp. officioſiſsime credidit: ſimulq́ Venlenſibus mandauit, vti ſeſe dederent. quo exemplo ſubleuati Venlenſium animi nihil libentius fecerunt. quo, cum paulatim reliqua Sicambrorum municipia, & Zutophenius comitatus coïſſent: gratuitæ reconciliationis templum omnibus aperuit

ruit Imp. quippe his rebus breui confectis, V-
biorum antiſtitis, VII. VIRI, ſeriæ interceſ-
ſioni, ac ſpeciatim operæ Henrici Brunoniſui-* *Prun-
cani Reguli, errata Menapij conceßit, & recō- ſchuui-
ciliato pacem, his ſummatim conditionibus, chij.
dedit. „Vt dediticius Menapius Ducatū Gel- “
drenſem, & Comitatum Zutophenium abalie
naret, ſic vt eorum poſſeßio penes Imp. & legi-
timam eius poſteritatem reliquo tempore eſ-
ſet. „Eos populos adacto iureiurando libera-
ret. „Ameroſphordiam, & quidquid iuriſdi- “
ctionis Sicambrorum, vel Zutophoniæ illius
præſidijs teneretur, ſine intertrimento reſti-
tueret. „deniq; arx illa Menapia, Κορακόλιθος “
vulgo Raueſtena, ad præterfluentis Moſæ ri-
pam ſita, ceu Marpeſia quædam cautes, vt ex-
ſcinderetur. „Contra Imp. Menapium com- “
pēſaret vniuerſa Iulienſi prouincia, bello quæ-
ſita, præter Henrici Pergam, & Sitharte. quæ* *Heins
duo oppida, donec ſuam Imp. fidelitatem con- bergā
firmaſſet, ipſe interim ſibi reſeruaret. „poſtre vulgo. “
mo parceret, indulgeretq́; omnib. generatim,
qui contra eius maieſtatem arma ſumpſiſſent:
& nominatim Martinuanroſſemo Sicambro,
cuius, qꝫ diſciplina bellica præſtabat, in multis
bellis, egregia opera Imp. deinceps eſt vſus.

IMP.

IMP, *Menapij audaciam frangente, Aurelianus iterum in Lucapyrgum incurſans, occupatam meliorem eius prouinciæ partem, noua munitione, præſidijſq; firmauit.*

Circa id temporis, Anguianus Gallus, & Ahenobarbus Turca, arcem Nicienſem, quamlibet incredibili feritate oppugnant, ſtudent (quod prouerbio eleganti dicitur) cœlum capere. Cæterùm, ſimulatq; in caſtris indifferentium hoſtium rumor eſt auditus, Vaſtenſem magna ſolertia ex Inſubribus collecto exercitu, ad opem ferendam ſocijs Nicienſibus reſpicere: Turcæ perfidi pacta illa, quæ cum Anguiano dediticij ciues pepigerant, ſoluerũt, & Niciam, dum coërceri deprecatione Gallicana Barbarorum furor nequijt, immaniter direptam, incendio etiã inſuper defœdarunt. itaq; manubijs luculentiſſimis onuſtas naueis ſubduxerunt, & quò Rex deſignauerat, ad Tauroëntium hibernarunt. Eo nuncio igitur in caſtra relato Vaſtenſis ad victoriæ auſpicium vtens, Montem Regalem, ampliſſimam Aemiliæ ciuitatem, à Gallis præoccupatam, deflectit. ſed cum eam & tormentorum tonitru ferociſſime concuſſam, & armorum impetu pertinaciſſime oppugnatam capere non poſſet:

prope fuit, vt propter cruentam repulſam expugnationi diffideret. hanc ipſam tamen his artibus, ædito videlicet ſtratagemate quopiam militari, & commenticijs literis, contra militum incurſum, & telorum iactum, obdurantē pactione obtinuit. inde Aſtam coloniam repetens, ſtudio Ludouici Viſtarini Carmaniolam recuperat, ac ſubinde Carinianum, quo diligenter communito, ipſe, milite in præſidijs locato, ad ſuam prouinciam Mediolanum redit.

Dum bello illo teterrimo ciuili, Chriſtiani (vti oſtendimus) conflictantur, Turcorum tyrannus cum immenſo & horrendo exercitu in Hungariam, præſidijs vacuam, incurſans: reſiſtente nemine: Strigonium occupauit, ac poſtremo inuſitata quadā oppugnationis vi, poſt multas fulminum tempeſtates, & continuas irruptiones, Albam Regalem cepit. Hic Aſiatica diritate in propugnatores milites, & Albanos ciueis omnium ordinum ſæuijt. Immane & illacrymabile ſpectaculum ædidit. Grauiſſimū reip. Chriſtianæ vulnus inflixit. damnum incomparabile Hungaris impoſuit. Ab his progreſſibus, Barbarus cum Pannonias excurſionibus fœde vaſtaſſet, incredibili

rerum

rerum præda abacta, & Chriſtianis ſeruitijs plenus dominatur, Conſtantinopolim reuertit: magno probro Principum Chriſtianorum: & ſpeciatim cum æterna infamia Gallicanæ nota, quippe conſtat tantarum turbarũ Franciæ Regẽ præciſe tunc quidẽ auctorẽ exſtitiſſe.

Compreſſa (vti diximus) Menapii audacia Imp. Landreſium, ex quo, ceu è nido indices euolantes Galli, finitimam regionem vltro citroq́; infeſtarant, deliberat armis repetere. Profectus igitur ab Sicambris, multo viarum anfractu, & multis caſtris tandẽ in ſuam Hannoniam cum victore exercitu peruenit. Porro antequam ad Landreſium caſtra metaretur, Gonzagam cum parte copiarum præmittit Guiſam de via tẽtatum. Cui occurrens Petrus Strozza: is D. plus minus equitũ alam ducebat: forte Franciſcum Ateſtinum, leuis armaturæ equitum Cæſarianorum præf. qui ab inito prælio ſuos reuòcare conabatur, dum ante ordines procedit longius, delabente equo, intercepit, quo contribulis caſu renuntiato, & cognito, Strozzam, cum iam modò commemorato equitatu, Guiſam intro equitaſſe, anticipata ſpe cadens Gonzaga, & iuſſu Imp. (qui aduerſæ valetudinis cauſa Canneti,

neti, quod oppidum inde, itinere vnius fere diei diſtat, ſubſtiterat) educta Aquila Areſcotano, & *Rullo ſe coniungit, hi vbiquam multo ante Landreſium, Belgarum cum exercitu obſederant, quò itidem Britannicus Rex auxiliatricem legionem duce Valopo, miſerat, in his caſtris quinquaginta, & amplius, militum millia, (lectiſsimũ ſane florentiſsimumq́ & ex bellicoſis gentibus conflatum exercitum) habuit Imp. Contra Franciæ Rex, cum deliberatum haberet ſuis in eo præſidio clauſis ſuccurrere, quamlibet exiguum, neque ſuum eſſet oppidum, contractis vndique viribus cum non multo minore exercitu ibidem ſtatim comparuit. Landreſium verò tuebantur magnanimi duces, Landa & Decius: cum delecta promptiſsimorum militum manu, qui in defenſione, & offenſione æque perinſignes fuerunt. Id oppidum in extremo Hannoniæ angulo poſitum, Campanos, Rhemos, & Picardos, finitimos Gallos reſpicit: eo alluit Sabis, cuius fluminis, vti & Somonæ, fontes paululum ſupra cernuntur, indidem Guiſa quinque. Cameracum verò & Valencina, pari prope itineris interuallo, ſenis abſunt milliarib. Locus per ſe quidem anguſtus, ſed naturali ſitu,

* Vulgo Comes à Rues, vel iuxta Gallicã orthographiam Ruez: ſic vt vtrũuis ſit monoſillabum.

ſitu, & operum munitionibus firmiſſimus, id tunc tripertitis Cæſarianorum caſtris obſidebatur oppidum, quod ad multos dies cõtinuata tormentorum tempeſtate conquaſſatum, dum tota mẽte in hanc curam incumbit Gonzaga, vt aliquando expugnet: Rex Franciæ, ex illa parte, qua Guiſæ eſt obiectum Landreſium, criſtas attollens, ad frontem Cæſarianorum caſtrorum ſe oſtentatum venit. Hic Gonzaga, cõſpectis lilijs, cum eius deliberationem neq; Belgæ, neq; Britanni ſuſciperent: ne quid ageretur confuſius, quàm vellet abſens Imp. paulum ab oppido copias ſeduxit: eo quidem conſilio, quo ſic Gallos receptu prohiberet. Interea Rex, tempori ſeruiens, multis ſimul ex locis, leuibus prælijs committit, & vtriuſque armaturæ Doryphoros equiteis in Cæſariana agmina, ſimulato Pammachiæ proludio, extrudit, eaq; aſtutia eodem temporis puncto, diuerſa ex parte audaciſſimorum equitum alam circumducens, extenuatum obſidione præſidium, & commeatu, & munitione, ac nouis auxilijs confirmat. Quo ſtratagemate belle ædito, Cameracÿ, duobus non amplius à Landreſio miliaribus, biduum obduxit: ita tamẽ, vt appropinquantibus Cæſarianis, manum

conſe-

conſerere velle videretur, quod ipſum, quia maxime volebat Imp. ſimulatq; intellexit, ecquid ad Landreſium ageretur: nedum confirmata valetudine, Canneto ad caſtra trãſcurrit, vbi excuſſo rerum inſtantium negotio, conſtituit omnino acie decertare, itaq; proxime in Regem, perpetuum hoſtem, ducit: ſic vt intra telorum iactum vterque conſiſteret exercitus, ibi tum ab omnibus fere caſtrorum portis vtrinque concurritur, qua prçliandi licentia mirum, quantopere milites inflammarentur ad conflictum craſtinum, ſicuti nemo nẽ arbitrabatur, qppe cũ heſternũ certamẽ nox diremiſſet, in ſua qſq; caſtra reuerſus, ad imminentẽ pugnam ſe cõparabat: quo ad vniuerſus interitus, aut Victoris dominatus, aut regum poſtridie exſpectari putabatur, cuius deſiderio flagrabat (vt innuimus) Imp. nec admodum recuſabat dimicationem Rex, quin ſummo animi feruore, & ſe, & ſuos inſtruebat. Veruntamen principia Gallicana minime committendum rebantur, & prç ceteris Melfenſium Princeps, qui pro re nata Neapoli exſulabat, hoc acriter contendit. Nulli hominum aut conſultum, aut ex vſu belli eſſe, videri nec poſſe, nec debere Regem, vbi eò, quò

H *maximè*

rio quidem fœderata, nec alterutrius interim partis, dominatum, quia intelligebat machinatione quadam Megarenſi Gallos appetere, ipſe ceu Comes Flandrenſis, ex antiquiſſima formula, patrocinium tueri voluit, & quo ſic ab illa parte res Belgicas redderet ſecuriores, arcem firmiſſimam publice, coactis fabris, operiſq; imperatis, inibi exædificandam curauit, cetera liberã ciuitatem, de priſtino eius ſtatu nihil dum immutans, Antiſtiti, qui ſacris iuxta ac profanis illic dominatur permiſit. Soluti vero exercitus partẽ exauctorauit: partem priore ſacramento confirmatã, ad Lucæpyrgum armis repetendam miſit, vbi ob inclementiam hiemis parum vel nihil effecit.

In. An. 1544. 13. Kalend. Februa. ad Aquas vitreas villã regiam (cum antiquorum deliciolis ac monumentis, opere & artificio comparandam) tertiodecimo ab Lutetia lapide, Catharina illa Medicis, decẽnio antè Henrico Delphinati nupta, Franciſcum filium, in profuſo totius Franciæ gaudio, primum peperit. quam vt aliquãdo repudiaret coniunx, tanquam infœcundam, recentib. & domeſticis exemplis nouiſſimorum maiorum, puta* *1544.* *(Gallicismus ſonat ita, Fonteine bleau, aut Fõteine bellea-tu.

H 2 Ludo-

Ludouici XII. & Caroli VIII. iuris humani Doctores concedebãt, nec recuſabat diuortium Herois iſta, ſingularis prudentiæ, ſed ſocer, & maritus, inſuſurrationes huiuſcemodi mundanas ſanctis rationibus conſtanter refutabant, &, æquitate quadam Chriſtiani iudicij, inquiebant Deo opt. Max. ſtandum, qualitercunque ipſe voluerit, a, faxit.

Duodeuiceſimo Kal. Maii, prope Cereſolum, Taurinorum caſtellum, Cæſariani, & Galli manus conſeruerunt. Pro. Imp. pugnabat Vaſtenſis: pro Francia, Anguianus. Conflictus hic, vt ſi quis alius, in primis memorabilis, & ingens fuit. Vbi, ancipiti Marte initio quidem vtrinque eſt dimicatum. Sed virtute ſui equitatus, magna edita Cæſarianorum ſtrage. & in his conciſo Teutonorum peditatu, poſtremo victoriam reportauit Gallus. qua clade conſternatis Cæſarianis, ſubinde Carinianum ab Anguiano obſeſſum, depacta incolumitate, deditur.

Menſe Maio, Rex Britannicus validiſſimam claſſem, cui Arcfordium Comitem præfecerat, in finitimam Scotiam immiſit. qui pleniſſimis velis eò, quo intenderat, delatus, primo curſu Lethen antiquiſſimum, & tutiſſimum

*ſimum portum ſtatim occupauit. Vbi ſimulatque exercitum in continentem Areforda expoſuit: minimo inde diſtantē Regiam ſedem, *Edimpyrgum vi peruaſit ac cepit. Ceterum, poſtquam arcem, quæ illic creditur eſſe talis, vt expugnari non poſsit, fruſtra ſe videt obſidere, ac oppugnare, vrbem incendio, agros, municipiaq́ multa excurſione peruaſtauit. itaque cæde & rapinis pollutum exercitum eò, vnde eduxerat, Areforda reduxit.*

*Fdinburgū ex vulgari.

Ab conflictu illo grauiſsimo Cereſolano, quamplurimi autumabant Imp. qui tum quidem Spiræ, in Nemetibus, maximis comitiis, ſenatum habebat, ad pacem inclinaturum. Sed inanem omnium exſpectationem ſolito obſtinatior belli inſtauratio fraudauit. quippe contractis vndique copiis Imp. Metis, Mediomatricum metropoli, florentiſsimum exercitum cōflauit: cuius ſummam auctoritatem Gonzagæ iterum attribuit. Sed, prius quàm inimiciſsimam ſibi Franciā inuaderet, de recuperando primum ſuo (Lucæpyrgo nempe) cogitauit. Illo Imp. in exercitu, pro re nata, bellica laude duces clariſsimi, Germanorū Principes duo, Mauritius Saxo, & Albertus Brandenpyrgicus, militabant.

Interea Ahenobarbus, aut Regis monitu, aut heri iuſſu, Tauroëntio egreſſus, Zephyro ſtãte, in Orientem renauigauit. Stomachabatur porro ille Turcicus famulatus & Gallus ſibi mutuo: hic tamen iure meritò, ille iniuria. quippe immanis Barbarus, non modo præclare nihil geſſit ac honorate, quin inſolenter & inhoneſte multa, in Prouincia illa, flagitia admiſit: & vti collibuerat, magnam Gallicanæ iuuentutis manum arripuit. itaq; vecordiam, ad turpiſſimæ libidinis notam probrum cum turpitudine coniunxit. Miſſum interim facio, quæ damna, quantum horrorem vniuerſæ Italicæ oræ, ac Siciliæ, quaſi per tranſennam litora ſtrictim præterlegendo intulerit, & incuſſerit. At Rex, ſodalitate familiaritateq; iſta Turcica, domi foriſq; dignitatem exiſtimationemq; ſuam valde deminuit. & propter alia multa incommoda Reip. cum maxime propter rerum Hungaricarum ſiniſtram conſequentiam, Italiæ inprimis, & Germaniæ odioſus eſſe cœpit. quæ res, quòd omnium bonorum pateat reprehenſioni, ingloria ſane atq; ignobilis eſt ad ſupremum diem peruentura.

Menſe Iunio, P. Strozza, coacto apud Mirandulam

*randulam exercitu, ſummati Regulo, exſuli, & Petiliano (quorum vterque non pœnitendam militum manū adduxerat) coniunctus, dum conſtituit in Taurinos, ad Gallicana præſidia, in Ciſapennina Liguria, prope Serrauallem Caſtellū, ſecundū Scriuiam flumen, ab Salernitano Principe, Cæſarianarū copiarum duce, profligatur. quô loci dimicatū quidem eſt, ſumma contētione, & magno armorum ſtrepitu. Ceterum omnium, qui prælio interfuerint, iudicio, Florentinorum auxiliorū, præpropere ex ciuitate eò ſubmiſſorū, præſentia, illa potiſſimum quæſita eſt victoria. Contra, (ſicuti ſacramento tenebatur, & facturum ſe receperat) ſi cum equitum ala, * Teſgallus, ex Monferrato, Strozzæ ſuppetias iuiſſet, nihil opinionibus militum eſt confirmatius, quàm victurum fuiſſe Gallicanum ſodalitiū. P. Strozza nihilominus ab ea clade ſeruatus, ac in Taurinos delapſus, animo infracto valens & vigens, cum delectis aſſectatoribus ſimulata religione, crucis rubræ nimirū figura Epheſtribus aſſuta, ex inopinato per media Cæſarianorum caſtra Placentiam tranſuolauit: ac inde imperata rerū, quas fieri vellet, neceſſitate, Mirandulā continuo recurrit.*

*vulgo Dominus de Tes.

quò loci recollecta, partim ex ſuis Serræuallenſibus reliquijs, partim euocatis, legiuncula, pari celeritate, per Ligures Salios, ac ſalebras Alpinas, ineunte Auguſto, incolumis ad Taurinos reuertit. qua in regione, rebus clare geſtis, & Alba occupata, informatam anticipatámque ſui ſummam exſpectationem animo Regis proculdubio confirmaſſet: niſi pacifer Mercurius ſtatim interueniſſet.

IMP. *ſimulatq; Lucæpyrgo appropinquabat, ſtatim metropolim illam ſuam pactione recepit, ſubindéque ſe reliqua eius gentis poſſeſsione, ab Gallis vſurpata, eadem facilitate denuo induit. his igitur victoriæ veſtigijs, quo intendebat, iens, & per hoſticum ducens, in Rhemos inſultauit. Cuius ditionis oppidum Ligniacum, militari irruptione tentatum, breui deditur. inde promotis caſtris Sandeſiderium, ad Matronam fluuium poſitam ciuitatem obſedit. Obdurauit ea ciuitas, aliquam multas dierum hebdomades, cõtra Imp. vim, tempeſtatemq; tormentorum. nec minus fortiter ſe defendit, quàm laceſſentem hoſtem inſigniter offendit. hîc enim, cum forte ſedecula quadam, ad machinas ſediſſet, vnde eodem horæ puncto Gonzaga aſſurrexerat, pila ænea verbe-*

verberatus Arauſinus, vir domi, militiaq́ clarus, interiit. nec ita multo poſt, ab collimã te fulguratore Cæſariano, taliter Sandeſideriani præſidii præf. occiditur Landa, ille acerrimus Landreſianæ ſtationis propugnator. Poſtquam verò orbati conſilio ducis defenſores, oppugnatorum vim ex muris alacriter aliquandiu repuliſſent, ad extremum, menſe Auguſto, Imp. honeſtis tamen conditionibus, victi neceſſitate, ciuitatem tradiderunt. inde, capta ciuitate præſidiis firmata, Imp. Lute tiam verſus pergit, ſecundum Septentrionalem Matronæ ripam caſtris poſitis, cui ex aduerſa fluminis parte Rex Franciæ, cum præpotente, & valido exercitu dum occurrit: pulchre Imp. veſtigia ſequendo, & itinera ſeruãdo: in vrbe Parrhiſiorum, Rheginis timidiore, ciues trepidare, tumultuari, fugam parare, quos vt ſua præſentia Rex animaret, & in impendentium rerum neceſſitate ciuitati pro uideret, ex caſtris derepente Lutetiam reuolat. Intereaporrò Imp. incredibili celeritate, Aſperonæum, Caſtrum Thirium, ac vetuſtate celebratam Sueſſionum Auguſtam, duobus & viginti à Parrhiſiis diſiunctam non amplius miliarib. præ multis aliis oppidis, occupauit.

Illo ipſo tempore, quo in Rhemos inſultauit Imp. Morinorum Bononiam Rex Britannicus inſtructo cum exercitu, itidem ex conuentu, inuadit. Ea ciuitas ab Itio portu terra, mariue, itineris pari interuallo, octo fere miliarib. diſtat. Cui Regi, Imp. iuſſu, Maximilianus Burenus, Hipparchus cum lectiſsimo luculentiſsimoq́; Belgici equitatus agmine, ſe coniunxit, quam ciuitatem, neque diurno, neque nocturno fulminandi labore intermiſſo, immanium tormentorũ tempeſtate ita quidẽ exagitabat Anglus, vt nõ modo directos parietes mœniorũ diruerit, verùm etiam vrbana ædificia pleraq́; omnia concuſſerit ac offuſcauerit. Erat nihilominus, & propter naturalem ſitum, & operum munitiones, ac nuperrime exſtructas hinc inde moleis, Pergamorũ facilis defenſio, & eam ducere promptiſſimi milites deliberabant, quandiu poſſent. At Veruinus Vinulus præſidij præf. Idib. Septẽb. relicta ſtatione, ad pactiones deſcendit. Bononia igitur potitus Henricus Britannicus, (quod Franciæ maxime conueniebat propugnaculũ) tantũ non militem Gallicanũ inde iubet excedere, ſed etiã incolas in vniuerſum omneis extrudit: itaque ex ſua gente, colo-

niam

niam eò deducit. Veruinus verò iſtius ſuæ vecordiæ aliquando, ſentẽtia ſenatus, pœnas capite luit.

Ouante itaque in Morinis Anglo, ecce, duo bellatores mutuo infeſtiſsimi. quod Imp. commeatus difficultate, ob admirabilem quandã Gallorum in demetenda meſſe, ac condenda annona ſagacitatem, laborabat: Franciæ verò Rex, Antario bello implicatus, tot ſimul vrgentibus hoſtibus, probabilibus anguſtijs angebatur, (ceu virgula diuina deſignatæ) pacis genio, Gabrieli Guſmano Hiſpano ſodali Dominicano, propẽſe auſcultarunt, is nimirum, ſuſcepta pacificatoria illa legatione, primum miſſus ad Imp. ab ſorore Leonora, ſedula commiſſorum renuntiatione rem eò deduxit, vt ſumma compoſitio ſolam requireret magnorum nominum interceſsionem. Poſt delegatam igitur fœderum interpretibus hanc prouinciam, apud Crepeium, Valeſiæ ditionis oppidum, celeberrimus condicitur conuentus. Hic ab Imper. Gonzaga, iam ſæpe nominatus, & Nicolaus Perenothus Granuellanus, ab Rege verò Claudius Annibalius Halmerotes, pro re nata identidem militũ Tribunus maior, Carolus Nullanus, ac Gilibertus Baiardus,

iardus, luculentiſſimi expromiſſores, iuſſa ſtipulatione ſuos Heroës mutuo alligarunt, & pacem VIII. Kal. Octob. his, in ſumma, conditionibus conſtituerunt.

Vt, quidquid ab induciis illis, Niciæ exacto ppe ſexẽnio factis, alterutri alterutrius, aut ſuæ, aut ſociæ, (vt Allobrogicæ, & alius cuiuſuis fœderatæ) iuriſdictionis, intra, extràue Italiam vſurpaſſent: illud ipſum, vniuersè, ceu ex Fabiana formula, inuicem, ſine intertrimento redderetur.

Vt Gentilitii iuris interceſſione, ac præſumpta opinione ſoliſtimi remiſſa, eum ſtatũ vterq; reconciliatorum ſibi retineret, quem alter altero antiquiorem eatenus habuiſſet, ac poſſediſſet.

Hic Imp. aut Mariam, ſuarum filiarum primam, aut ex neptum gynæceo vnam, Carolo Aureliano (vtram mallet, ipſe eligeret ſibi coniugem) duas dedit optiones, qui Imp. ne, an Ferdinandi Cæſa. filiam optaſſet, quadrimeſtri deliberatione declararet.

Si eligitur Maria, eius doti Belgium vniuerſum dicit Imp. ea tamen legẽ, vt ſuperſtite ſe, Belgicam prouinciam adminiſtret tantum Aurelianus gener, obeunte verò ſocero, huius matri-

matrimonii iure,& ex conuentu in ſuam poſſeſsionem demum vna cum legitima nepotum poſteritate veniat. Atque in hoc caſu, quo Belgium regat ac gubernet Aurelianus F. Franciæ Rex, Allobrogum Regulum, eodem temporis puncto, ſuo cùm ciſalpino, tum tranſalpino, de integro induat.

Si verò exoptatur ex fratre Imper. neptis, Aureliano ſponſa, Inſubrum dominatum ſponſaliorum nomine, ſponſo ſtatim, à conſumptis nuptiis, præbiturum ſe promittit Imp. ſed ea conditione: vt, ſi nullum ex ſe coniunx marem peperit, ratam iſtam Inſubricam poſſeſſionem ne habeſsit affinis, quin vſumfructum ea ratione amittat, & hæreditario iure ſucceſſionis excidat. Ea propter, modo ita ei collibuerit, liceat Imp. arceis duas, Mediolanenſem, ac Cremonenſem ſibi interea reſeruare, donec conſtiterit, vtrum ex neptis coniugio Aurelianus maſculam, an muliebrem prolem procreaſſet. Atque in hoc altero caſu, Rex, ſimul atque attributæ illius ditionis vſum ſubierit filius, ſtatim Allobrogi regnũ itidem præſtet: excepto Momeliano, & Pænarıolo, quæ duo oppida in eius (tanquam ſequeſtris iudicis) eſſent manu, ac poteſtate, quandiu Imper. iam

modo

modo nominatus arceis Inſubriæ retinuerit.

Veniat in partem eius concordiæ, ſi ita videtur ipſi, Rex Britannicus. Eius pacis fructu ſimul fruatur omnis in vniuerſum Chriſtiana reſp. puta clariſſima Europæ nomina, Põt. Max. Imp. frater, idem Rom. Rex, deinde Dacarum & Sarmatarum Reges, VII. VIRI. Electores, Venetorum Ariſtocratia, Heluetiorum Democratia, & eorum, qui Ducali excellunt dignitate, hi, Allobrox, Florentinus, Lotharingus, Ferrarius, Vrbinas, Mantuanus Reguli, ac poſtremo Ligurum, & Lucenſium Anarchiæ.

Hac procurata pace, Imp. poſtquam exauctorato militi miſſionem dedit, ſorore, quæ in caſtra fratri obuiam venerat, comitatus, ad auitam Regiam Bruxellam reuertit.

Contra Gallorum Rex, honoratiſſimè expeditus ab Imp. Delphinatem F. cõtinuo cum exercitu, Bononiam verſus, in hoſtem Anglicanũ mittit. Porrò Britannicus, offenſus iſtius compoſitionis nuntio, noluit pacis eſſe particeps. itaque ab oppugnatione Mõſtruli, quam animo deſignauerat quidem, ſed non abſoluit, (ſicuti à nõnullis memoriæ proditum video:) Bononiam illam Belgicam ab ſe captam, præ-

ſidijs

ſidÿs firmauit. & Kal. Octob. ex Caletibus, in tranſmarinum Regnum tranſmiſit. nec multo pòſt Franciæ Rex, cùm parum vel nihil eorum, quæ volebat, ob tempeſtatis inclementiam, efficeret, exercitum ſoluit.

PACE *(Crepeïana) ſecundùm facta, inter duos Europæorũ facile Principes, qui prope dicam, motum Reip. adferebant, præclara ſane mutuæ reconciliationis, & amicitiæ non fictæ indicia, ampliſsimæ illæ vltro citróque miſſæ legationes exſtiterũt: quo ſic dũ mutuo congratulantur, dum vicẽ gaudent, adiurata identidẽ pax, ſacramẽto confirmaretur. Sed hilaritate, quã verbis & vultu præ ſe ferebat nobilitas, lõge maiorẽ ἡδονὴν populus exprimebat. q̃ppe extincto calamitoſiſsimo bello, feriabatur ludibundus, gaudebat & triumphabat de pacatorum Heroum ſententia. denique conſtitutæ pacis ſecuritas homines cæteris curis ſolutos, partim ad otium & recreationẽ, partim ad laborẽ, & ciuilia officia traduxit. itaq; ſecutus an. 1545. æquabilẽ tranquillitatẽ excepit: licet Gallus cum Britanno ſubinde belligerabat. quem cùm maxima coqueret cura de recuperanda ſtatim ſua Bononia,* 1545.

præter

præter cætera inſtrumenta belli, dudum parata, claſſem cum Liburnarum, tum longarum nauium magno ſumptu inſtruebat. harum alteras ex Aquitanico ſinu, ex Armoricis ciuitatibus, & finitimis Oceano municipiis colligebat. alteras à remoto mari Mediterraneo in Oceanum euocabat. quas in ſumma, duas & viginti fuiſſe accepimus: claſsis ductore Barone Polino. qui à Maſsilia, ex Liguſtico nempe ſinu, in Germanicum Oceanum delatus, longiſsimo cœli circuitu, Hiſpaniam vniuerſam, & Luſitaniam, nec non Septentrionalem Galliam, litoratim circulauit. in Scotiam præterea & armatos milites, & immenſam vim pecuniæ miſit, vt ex illa itidem parte hoſti negotium faceſſeretur. Porrò Franciæ Rex, cum terra mariq́, tentatis rebus omnibus, Bononiam ab Anglis inſidentibus extorqueri nulla ratione poſſe vidit: id vnū habuit, in quo acquieſceret. Caſtrorum firmiſsimam molem è conſpectu Bononiæ exſtruxit: aptumq́ nomen ei fecit: (Gallice Momplaiſir) Latinè fortaſſis, Placentia. Voluit enimuerò obiecto iſto atque oppoſito hoſtibus propugnaculo, eos tum excurſionibus prohibere, & tanquam à continente obſeſſos, ſedendo vrgere.

Menſe

Menſe Aprili propter ſuſpitionem reformatæ Religionis Coſta Caprariaq́;, Druentiæ fluminis accolarum (vautuatum) caſtella amœniſſima, armata vi inuaduntur. caſtellani ad vnum omneis ferociter trucidantur: nulli nec ætati, nec conditioni, nec ſexui hominum parcitur. caſtella incendio peruaſtantur. inde Merindolum, mero in dolore poſitum, & vniuerſus Vautuatum pagus, pari furore atque impetu ab emiſſarijs, ſicarijſq́; direpta, combuſtaq́; ſunt. Quæ Gallicana carnificina & crudelitas, cum tetrum odorem in Germania, & apud alias nationes ſpiraret, ab his accuſati Galli, ab illis (quibus præclare fuerant non ſine litigioſa defenſione purgati) atramento ſutorio abſoluti porro putabantur. ita profecto mortalibus fere vſu venit. „ Cuique ſuus « imperat affectus. Hic modo factum probat, ille improbat, maxime vbi extrema tentantur. At ſcitum eſt nō artificis ſtatera, ſed quadam mentis trutina res vel laudandas, vel damnandas examinari debere, & cum ſuus cuique ſit modus, tamen magis offendere nimium, quàm parum. denique mediocritatem in omnibus rebus eſſe optimam.

Menſe Maio Franciſcus, Lotharingiæ Re-

gulus deceſſit. cuius pater Anton. exacto anno obiuerat. Succedit itaq; in auitam hæreditatem Carolus Franc.F. bimus.

Eodē fere tempore Elizabetha, Ferdinandi Caeſ. filia morti occubuit, ipſa Poloniæ Regina.

Secuto Iunio exultauit in natali Caroli (is eſt primæ ætatis Philippi Hiſpan. Regis. F.) Belgium. Sed idem paucis diebus interpoſitis, matris à partu mortuæ, idque repentino, vicem doluit. ſic initio lætū ſubinde triſtis nuntius excepit.

Septembri identidem (tam eſt caduca & fragilis vita humana) Aurelianus, in ipſa ætatis viriditate, æſtu febriq; iactatus feruentiſſima, prope curiam, idque fere derepente, non ſine ſuſpicione veneni moritur.

Brunſwic

Secuto fere triennio, poſtquam ab Heſſo, & Saxone, & reliqua Proteſtantium ſodalitate, ob prætextas diſſenſiones grauiſſimas, Henricus Brunoniſuicanus Regulus, de ſtatu fuerat deiectus (cum hominem regni recuperatio ſolicitaret) à propinquis, cōſanguineis, amicisq; tandem duas legiones militum impetrauit. Ob id inſtantis anni Octobri cum vndenis peditum, binis, & plus aliquando, equitum millibus,

libus, nec non tormentorum copia, vt in ſuos ipſe infeſtus inſultauit, magnos ſane progreſſus fecit. Ceterũ machinationem iſtã odoratus Heſſus, re fœderatis præſignificata, continuo duplo maiorem conflauit exercitum: & belli apparatũ itidem ampliorem comparauit. Coniunctus itaq; Mauritio Saxoni genero, & Erneſto Brunoniſuicano deſertori, (quos in eam expeditionẽ, pro ſe Saxo ille VII. VI R. amandauerat) ſtatim in Henricum ſibi inimiciſſimum duxit. qui aduerſariorum celeritate & multitudine perculſus, poſt leuia quædam prælia, Mauritio, & affinium nonnullis auſcultans, nõ multo poſt, dedit manus, &, ſine periclitatione vniuerſæ pugnæ, vinci ſe eſt paſſus: ac victo [redacted] *a cum Carolo F. credidit. quos* [redacted] *ne nihilo placatus) Heſſus cuſtodia clauſos tenuit. donec teſtulæ quadã conuerſione, non toto vertente biennio, (vti à nobis notabitur) ipſe in Imp. veniens poteſtatem, à victore itidem latis conditionibus, captiuorum miſſionem concedere eſt coactus.*

Nouembri Petrus Landus, Veneti illius Senatus Princeps, fato conceſſit. cuius in locum mox Franciſcus Donatus, ceu Bocchyris alter, eſt ſubrogatus.

Comitijs Tridentinis ad bimum interregnum adductis, Pont. bello interruptum Concilium, quamprimum Imp. & Franciæ Regi conuenit: huius anni 6. Id. Mart. Tridentum reuocauerat quidem: ceterum, propter conuentus ſolitudinem, Senatum demum de-
1546. *dit 6. Id. Ian. in. A. 1546. in quem, pro Pont. coierunt Montani duo, Politianus, & Samſouinus, nec non Anglicus, Legati tres, ex albo Purpuratorum. Fuit vero ille frequens. quippe comparebãt non ſolum Italici, verum etiam tranſalpini, ac tranſmarini Antiſtites. aut Archimandritæ, aut Catechiſtæ, puta Hiſpani, Luſitani, Galli, Teutones, Belgæ, Scoti: & generatim vniuerſa ſchola Pontificia.*

Tandem se aperte detegit impietas.

Menſe Februar. [redacted]. Mart. Luther. [redacted], Islebi, vbi natus eſt, anno ætatis climacterico, triennio maior Sexagenario viuos reliquit.

Prid. Kal. April. Alphonſus Daualus, ille Vaſti Toparcha: & Mediolani præf. in fata concedit. quæ Prouincia Gonzagæ, beneficio Imp. delegatur.

Iunio menſe Imp. cui vetus erat cum Proteſtantium ſodalitate ſimultas, & apud quos nihil dum auctoritate valebat, quo ſic tandem ali-

dem aliquando, & neglectam fidem, & deſita officia, abs Teutonica nobilitate, contumacia & faſtidio elata, armis extorqueret: cum Pont. fœdus init: quem iuxta ea res vrebat. is in hoc bellum ingentem auri vim ſocio continuo attribuit. ſpargit item miſſilia variarum rerum, per vniuerſam ditionem Imp. quo diuitis ſparſionis artificio immenſa eſt acta pecunia. poſtremo duas legiones auxiliarias, ſemeſtri ſacramento obligatas, puta peditum millia duodecim, & leuis armaturæ equites D. (quibus interim ipſe itidem & delectos duces præfecerat, & ſtipendia curabat) ex conuentu mittit. Contrahit igitur vndiq; vireis Imp. ab Neapoli Cumanos equiteis, à Mediolano Inſubricam iuuentutem accerſit. in hanc expeditionē primi nominis Itali, nempe, Florētinus, Ferrarius, Mantuarius, aliíq; Reguli, vel Satrapæ, auxilia petenti Imp. adminiſtrarunt. quæ omnia, dum tempore & loco, quò ipſe deſtinaſſet, comparerent in Germania, venientibus obuiam ire, Tribb. mill. gratioſe excipere, & aduentum auxilijs congratulari: denique ſtrenuum Imp. agere: & ab amica Germania copias imperatas cogere ad Ingolſtadium, quæ eſt Danubianæ gentis ciui-

tas munitiſſima, Boiorum iuriſdictionis, & eadem non parum celebris Academia. quò loci euocatus ex Belgio Maximilianus Burenus Ecmondenſis, duas itidem inſtructiſſimas legiones, ſolicitudine Mariæ Belgarum Heræ, conflatas, ſeu potius, dena circiter millia peditum, equitum verò trina, & paulo plus, numero quidem exiguam, ſed robore præſtantẽ manum, vna cum innumerabili pecunia, à Philippo F. commodum procurata, tumultuante iam perinſigniter Germania, tanto itineris interuallo, tot caſtris, & per hoſticum (quod mirum fuit) ſingulari virtute, ac ſolertia incolumem traduxit. Iſtum Im. exercitum, circiter quinquaginta peditum millibus, equitum autem non amplius nouem, Ludouicus Dauila, rerum oculatus teſtis, & ſubtilis, belli Germanici, prope dicam, curioſus narrator, deſcripſit, cuius tanti exercitus pro Imp. creatus eſt ille notiſſimus Europæ, Dalua. in eo tũc vel clientelarum, vel fœderatarum, officioſarumq́; ciuitatum, præclariſſimæ quæque imagines militabant hæ. Fer. Cæſ. cum ſobole maſcula. Ioachimus Brandepyrgicus VII. VIR. R.P.C. cum fratre Ioanne, & Alberto nepote, Mauritius & Auguſtus Saxonici fratres. Gulielmi

lielmi duo, Boiorum alter, alter Menapiorum Regulus. Erix, & Georgius, nec nõ Philippus, Henrici illius (quem paulo ante ab Heſſo cuſtodia teneri diximus) F. omnes ex illuſtri Brunoniſuicanorum Regulorum familia oriundi. Georgius Megalopolites. VVolfgangus Pruſſienſis militiæ Mag. denique Teutonũm Antiſtitum diœceſes, & aſſectatorum vniuerſitas pro Imp. ſtabant. hactenus Germani.

Deinde Hiſpaniæ omnis maxima nomina Daluam ſequebantur. Italicorum verò militum principia extiterunt, Emanuel Philibertus Allobrox. Taurinorum Princeps. Octauius Farneſius, Pontificalium Legionum dux. Philippus Lannoïus, Sulmonenſium Princeps. Ioann. Baptiſta Caſtaldus. Ioann. Iacobus Medicinus Marinianus. & quem ante nominauimus Burenus Belga. & qui nouiſſime omnium ad ea Imperat. caſtra acceſſit Ioann. Baptiſta Spinellus. is porrò Pentacoſiarcha, D. ex Neapolitana nobilitate delectos, grauis armaturæ equiteis adduxerat. Cæterum antequã ſemiplenum hunc exercitũ Im. collegit, ſeſquitertia fere parte copioſioribus in caſtris, ad Ingolſtadium ſeſſitaſſe Proteſtanteis, nimirum ſupra 90. peditum, ac 10.

equitum millia, pœne infinito belli inſtrumento, & multo tormento, habuiſſe, idem Dauila eſt auctor. cuius tanti exercitus ſumma auctoritas erat apud Ioan. Fridericum Saxonem, Septemuirali dignitate ſpectatum virum, & Philippum Heſſum, Cattorum Regulum, tanquam belli auſpices. Secundi ab his, ſummæ rei adminiſtris, ordinarij erant duces: Ioan. Erneſtus frater Germanus, ac cognominis patri, iam modo dicti Electoris F. Philippus Brunoniſuicanus, cum quatuor liberis adoleſcentib. Franciſcus Lunæpyrgicus. VVolfgangus Analtinus, Georgius, VVirtenpergẽſium Reguli frater. Albertus Manſeueldæus: & multi alij optimates, & in his peculiares quique duces, Legati, ac vicarij ciuitatum illarũ liberarum, quarum melior pars (& ſi nomine tenus cenſebantur Imperatoriæ, re tamẽ ipſa Imp. erant inimicæ) Proteſtantium parteis ſequebatur. Fœderati ſunt hi Teutonum populi, qui in conferendo quodam limitato & determinato ad ſubleuandum Remp. tributo, Im. quidem auctoritatem agnoſcunt, ſed in cæteris libere viuunt: ac ſuis legibus vtuntur. nec tam ampliando ſtudent pomerio: quàm conſeruandæ inſeruiunt libertati. Panopliam verò iſtam Pro

teſtantium abſoluebant Tetracoſiarchæ Helnetij octo, cum totidem lectiſſimæ iuuentutis cohortibus. Quæ omnia tot & tam magna nomina vnius gentis qui accurate collegerit animo, ſane coram conſiderabit, quale extiterit iſtud, germaniæ funeſtiſſimum, bellum ciuile, ac inteſtinū potius diſſidium. habet enim inueteratiſſima odia, & meras factiones.

Dum itaque bellaturit Germania, Franciſcus Bernardus, Patricius Venetus, iuſſu Regis è Britannis in Franciam tranſmiſſus, ſuſcepta pacificatoria illa legatione, à bello ad concordiam, Reges iſtos abſtraxit: pacémque hic ſummatim conditionibus, inter eos ac Scotos, conſtituit. „ Britannico, Gallorum Rex vicies quinquies centena millia Scutatorum, octima pēſione ſoluito. „ Ex eo aſſe, beſſem quot annis curato. „ Octima penſione ſoluta ſuam Bononiā Belgicam recipito. Quam ſummam compoſitionem tantum non ex alto repetita officia, & mutuæ congratulationes, ſed etiam animi cognatio, ritu Chriſtiano continuata firmauit. quippe, vt forte caſus tulit Iſabellā, filiarum primam, tunc potiſſimum naſci Delphinati: ea, quæ ita eſt nata, & ita conſueuit, Regem Britannicum tamen atteſtatur pater,

** Vulgò compater.*

*& *pantaſtrũ (vt ita loquamur, ἢ συμπαλέςα) adoptat. qui, ſicubi opus ſit, paternum officium infantulæ, dum ſacri fontis aqua luſtratur, adpromittit, & pro eadem, in verba ſummi rerum opificis Dei, iurat. quemadmodum etiam myſterio lauationis ab antiquiſſima originis macula expiato Henrico, huius Iſabellæ patri, tanquã filiaſtro, ſuum ex ſe nomen Henricus VIII. Anglicanus, identidem multo ante participauerat.*

*Illo, & vno fere tempore, Ferd. duas ſimul filias, Mariam Gulielmo Menapiorum, Annam verò Alberto Boiorum Regulo, (iſtam cũ maxime opportunam colligationem propinquæ ſocietatis ſolicitante fratre Imp.) in matrimonio collocauit. Menapium enimuerò propalam iam excluſum deſponſa affinitate Franciæ (cuius multo ante meminimus) ab innuptarum illarum nuptiarum ſacramento religioneq́; auctoritas ſoluerat Pontificalis. quæ vtraq; connubia, & affinitates, inter armorum ſtrepitum, & tumultum belli, vel potius inter caſa & porrecta (quod aiunt) apud *Auguſtam Tiberij, ſolennibus cæremonijs celebratæ, veræ nuptiæ confirmarunt.*

*Ratisbonam vulgò.

Secuto Quintili, Titanicum illud bellum Germa-

Germanicum plane eſt affectum, oppidò breuius ac facilius, cõtra atque nemo mortalium exiſtimaſſet, quemadmodum ſummatim oſtendemus. nec porro victoria iſta, tam non curantiæ, diſcordiaq́ aduerſariorum (vt in multis legitur) quàm peculiari cuidam ſolertiæ, & virtuti Imp. venit attribuenda. quem conſtat, toto eo bello, reuera officium ſtrenui ducis præſtitiſſe. Primum enim apud Ingolſtadium, in mera caſtrorum ſolitudine, & apparatus copiarúmque exiguitate, inſtantia tamen ſolerter curat, vigilanter ſe contra impendentia pericula tuetur, & animoſe gigantum inſultus ſuſtinet. Subinde autem vtcunque paratus & inſtructus, die noctuq́ laceſſitos indidem diſpellit. mox, omen accipiens, inſectatur, atque exagitat. Neopyrgum, Danuuerdam, Tilingam, Laugingam, & Gundelophingam, oppida præ cæteris occupat. atque in ore, & oculis hoſtium prope hæc ſunt geſta. Prætereà Ferdinan. Cæſ. & Mauritius, diuerſa ex parte, Saxoniam inimicam ſimul ſic infeſtant, vt in ea prouincia magnos facerent progreſſus.

Qui nuntius vt in caſtra Proteſtantium eſt relatus, laboratur vehementer. Scinditur

immen-

*immenſus ille exercitus. Saxo ad ſe reſpiciens, meliorem militum manum ſecum reducit. Heſſus, perpuſillo comitatu, domum repedat. Imp. verò vis ingraueſcentis hiemis non retardauit, quin inſtantis victoriæ veſtigijs inſiſtens, Dophingam, Nordolingam, & Dincaleſpulam, non paruas ciuitateis, obtineret. quem apud Halam Sueuicam hibernantem, Fridericus, * Capellatiorum Regulus, idem VII. VIR. R.P.C. adit: ita vt in gratiam redeat victoris. Cuius exemplo, pacificatoriam legationem mox eodem Vlmus, Danubiana ciuitas, ampliſſima amandat: & deſcendit ad*

* Id eſt vulgo Comes Palatinus.

1547. *pactionem. Nec multo poſt in. A. 1547. Menſe Ianuario, Huldericus, VVirtembergenſiū Regulus, duriores conditiones pacis, ac ſibi nepotibúſque graueis, accepit. Bureno Belgæ Francophordia, interim celebre illud ad Mœni ripam Emporium, ſe dedit. Qua tenacis victoriæ fama diuulgata, certatim pleraq; oppida, ad compoſitionem veniūt, ſcilicet, Memminga, Bibrax, Rauenſpyrgus, ac poſtremo etiam Vindelicorum Auguſta, & Argentoratum: præclaræ atq; opulentæ vrbes. Sed vbi intelligit Imp. aduerſarium Saxonem nō modo poſſeſſionem ſuam recuperaſſe, verum etiam fraternæ*

ternæ ditionis aliquid vſurpaſſe, ac Mauritiani dominatus partem præoccupaſſe, minime cunctandum ratus, etſi non optime tunc quidem habebat, & longum eſſet iter, quod animo dicit, re itidem determinat. Iungitur itaque tandem, multis caſtris, & emenſo longæ viæ interuallo, cùm fratri, tum Mauritio: quos infeſtæ Saxoniæ vim intuliſſe antea diximus. vbi poſt aliquos progreſſus conſtituit omnino, cùm primum ſeſe opportunitas obtuliſſet, manum conſerere cum hoſte. is Molæperge tūc cum meliore parte exercitus ſeſſitabat. Ad Albim illud eſt ſitum oppidum. Imp. igitur accelerans, 8. Kal. Maij, id flumen, qua ex parte vado tranſiri poterat, diligenter, facileq́; iacta alea, vt exercitum traduxit, VVitempergam, primariam vrbem ſuæ ditionis, & notiſſimam Academiam, dum ſecedere cogitat Saxo, in Locana ſilua, hoſtem conſequitur. Canit de derepente claſſicum Imp. Ducit inſtructas acies in Saxonem. Qui, quamlibet ſe colligere, ob repentinum incurſum Cæſarianorum, non potuit, itaque numero longe erat inferior, concurrit tamen, acriter, & ſtrenue dimicauit ad veſperum. at poſtremo, profligato exercitu, ipſe in aduerſo vultu accepto vulnere,

nere, capitur, & cũ Erneſto Brunoniſuicano & aſsidua nobilitate, viuus in victoris poteſtatem venit. cognominis vero, primæ ætatis F. ex eo conflictu, ſaucius tamen (quô conſtituerat pater) euaſit. Hîc Imp. tam inſigni iſta victoria, incredibili celeritate, & multo fere diſpendio potitus, moderate, vti talem tantũq; decuit virũ Principẽ inquit: Noſtrum ſane haud fuerit Iulium illũ Cæſ. exprimere, dicentem V. V. V. Sed ſit hoc nobis ſatis, V. V. & Deus Opt. Max. vicit. Verum Saxo, dum ſiſtitur, Captum (inquit) me Cæſar clementiſſime, oro, vt clementer accipiat veſtra maieſtas, neu Principe indigna cuſtodia ſeruet. cui, ita reddit Imp. Siccine iam modò Cæſar? vah: Compenſaberis tuopte merito. Tum vultuoſus Saxo, quẽ manu geſtabat, galerũ dentibus momordit, &c. Quando ita Fors me tulit, ꝙ collibuerit, hoc fiat. ſimul etiam cum dicto caput operuit, nulla aduerſus Imp. exhibita reuerentia. Accerſitur iſte nõ multo poſt, tanquam hoſtis Reip. capitis. Veruntamen iſta ſeueritate perculſi optimates Germaniæ, (& inter alios Brandepyrgicus'a (cũ Saxoni operã poſuerũt vt mitigatus Imp. & damnationẽ illã reſcinderet, & lucis vſurã Saxoni daret certis tamẽ

condi-

conditionibus, quarum ſumma extitit.,, vt " pro eo, in VII.VIR. R.P.C. collegiũ dignitatemq́, Mauritius, Saxo itidem, aſſumeretur. deinceps Id.Iun. perfecta completaq́, demũ eſt victoria. Halam Saxonicã impetrato ab Imp. commeatu, & fiducia electoris Brandepyrgici ac Mauritÿ generi, pagẽdi cauſa proficiſcitur Heſſus. in hunc autem (in commeatus etymo iuriſconſultorũ ingenia interpretationemq́, magis, quàm fortaßis Principum ſecutus, cum non videretur ſibi in perduellione capiendo, fidem prodere, aut pactum ſoluere) Imp. inÿcit manus. itaque de nobilißima illa ac potentißima prouincia triumphat. & gratiam, exiſtimationem, auctoritatem, quibus exciderat, recipit. denique multa inſtrumenta belli, cum D. & amplius tormentis æneis, & opimis ſpolÿs ex ea victoria reportat. & ſedecies centena millia aureorum ſcutatorum ærario infert. quæ felicitas fratri ſane nihilo minori vſui quàm ſibi fuit. nec enim rei priuatæ is tantũ ob reſtitutam Boëmiam compendium fecit, verum etiam amborum nomen magnum deinceps cum apud Germanos, tum apud alios pondus habuit.

Dum inteſtino bello flagrabat Germania, in Italia

in Italia duo maximi tumultus exſtiterunt. quorum alter menſe Decembri apud Neapolim eſt exortus hoc fere initio. S. C. illud Hiſpanienſe (quo volebat Imp. illic itidem in quæſtionem , inſpectionem , cognitionemq́; ferri Quæſtorum , rem Religionis , quemadmodum in Hiſpania) à Petro Toletano inibi Prorege latum Neapolitani ciues, re noua atque inuſitata commoti, repudiarunt. Toletanus porro contumacia iſta offenſus, clam inſtitutum perſequi conatur. at ciues eo manifeſtius contraueniunt. Pungunt ac ſtimulant quaſi aculei vtroſque grauiſſimæ iniuriæ. itaque paulatim mutuo incrudeſcunt animi. Cum igitur vindicationis moram diutius non ferret concitata ciuitas, arma corripit, & accerſita exſulum, proſcriptorumq́; hominum auxilia, intra mœnia recipit. itaque paſſim in vrbe cædes, occiſio, & inſultus fiebant: non ſine procliuitate rebellionis. quamlibet prætexeretur iſti tumultui Toletani iniquitas. quia ciuitas, non aduerſus Imp. ac dominum arma ſumi, veruntamen aduerſus infeſtum Reip. caput, ac Proregem, qui in officio ſuo claudicaſſet, propalam atteſtabatur. cuius rei veriſimilitudinem, exitus vtcunque probauit.

bauit. Deſtinantur vtrinque legationes pacificatoriæ ad Imp. in Germaniam. Sedantur, componunturq; vrbanæ tempeſtates. interim reſcinditur illa (quam diximus) Hiſpanienſis quæſtio. Deprehenſa tamen ſeceſſionis capita, extremo ſupplicio afficiuntur.

Alter motus incidit Genuæ, menſe Ianuario. Occulta quædam & inueterata illa erat coniuratio, quam multo antè ſuſceptam, fiducia, conſilioq; non obſcuræ ſodalitatis, ad internecionem familiæ Dorienſis, & exitium Reipub. Ioan. Aloyſius Fliſcorum Comes, adornauerat. eoq; pactor patriæ poſſeſſionem, vel potius dominationem aucupabatur. Cuius adminiſtri & ſatellites, dum præoccupata porta Thomaſia, Ioanettinum Doriam, qui, cur ita tumultuaretur vrbs, ex ſuburbano prædio ſpectatum noctu accurrerat, obtruncant, ipſe non multo infra eam ſtationem, globo armatorum ſtipatus, Naualia Genuenſium & claſſem Dorienſem dextrè occupat, tranſilit vnam atque item alteram triremem initio, cupidus gloriæ Fliſcus. at dehiſcit poſtremo in aſcenſum ſcalarum gradus, aut aſcia. qui, quòd erat thorace armatus, & nox tenebris omnia obſcurabat, ecce opis expers, mari-

ſubinde dubitatum ſit, in Regíſne an in miniſteriorum malitiam, vitia debuerit quis exprobare. Vtcunq; eſt, Teſtamento ita cenſente S.P.Q.Brit. conſentiente Eduardum vt F. ex aſſe hæredem ſcripſit. ea lege, ſi is ſine liberis diſceſsiſſet, ab eo primum Maria, deindeq; Elizabetha, id regni viciſsim haberent, Regiæ duæ filiæ. Sed Eduardi pueruli adhuc nonimi, decimum ætatis annum vix egreſsi 16. tutoribus curam delegauit. in his erat facilè primus Eduardus Erphordæus, eius auus. quem ob intimam affinitatem generis, ſenatus* Dictatoris titulo decorauit, qui auctoritate ſua tū Regem, tum Remp. protegeret. Principatu Somerſetano auxit, nec non Ducali dignitate amplificauit. deniq; proregem creauit. itaq; non multo poſt, ex conſuetudine, Lõdini Eduardo puerulo Antiſtes Cantuar. diadema impoſuit.*

*Hertefordienſis

Polyd. Virg.

*Protectoris vulgo

Vna cum ipſo menſe Martio excidit Franciſcus ille I. Franciæ Rex ſplendidiſsimus, quadriennio maior quinquagenario, nedum completo regni anno triceſimo tertio. Huius obitus ſuperioris memoriæ obſeruationem innouauit, nempe vſq; ab illo Hugone Capeto, totis 563. circiter annis, neminem omnium Gallicanorum Regum ſextam ætatis decadem

K 2 *ſuperaſſe,*

ſuperaſſe, excepto vno Lud. II. q dies ferè qndecim non amplius annum ſexageſimum ſuperuixit. Tam videtur graue & intolerabile onus dominationis. Extitit quidem hic Franciſcus I. tantum non eo Regno, ſed omni Imperio dignus. at, res ſuas tractauit paulo negligẽtius, ſuoq́ affectui animum nimis ſubmiſit. Vir alioquin religioſus, literatus, eloquens ſtudiorum Mecœnas, virtutis amans, iuſtitiæ tenax, expertus in bello, prouidus, & conſultus in pacis rebus, deniq; liberalis vndique & magnificus. Huic fortuna, ſi cui alij, ludos fecit. ſed aduerſa ei magis quàm proſpera ſemper fuit, ita vt auerſo vultu illa hunc hoſtibus tradiderit Ticinenſi conflictu capiundum. Quod tamen fortunæ vulnus, quoquo modo animi quadam conſtantia ſic ſanauit, vt deam iſtam vinceret, ac rebus vndecunq; ampliatis, in ipſa animæ exſpiratione diceret: Regnum, quod inij, cum Rhodano terminaretur, illud ipſum (Deo auſpice) trãs Padum extenſum, filio in manus trado. qui, quantumuis licet ſpendeſceret ſumptu, luxuq́; Regio, quamlibet genium curarèt, & voluptatibus indulgeret: & ſi denique bellum continenter ferè gereret, quia tamen furta & peculatum

mini-

miniſteriorum prohibebat, cauebatq́; ſummopere, ne domi feleis aleret Tarteſſias (quo ſumma imprudentia vitio omnes plerią; Dinaſtæ iam laborant) Zopyri talenta (quod aiunt) & ærarium numerata pecunia plenum liberis reliquit. Cui ſuccedens, F. Henricus II. duodetriginta annorum iuuenis, excelſo animo, & bello natus, illud regnum hoc fere initio iniȷt.

Ant. illum Momoranſinum, cui plurimum confidebat, ſtatim ceu poſtliminio reuocatum, nō modo priſtinæ reſtituit dignitati, quæ paulo minus ſexennio ante ei fuiſſet adempta ac erepta: verum etiam maiore beneuolentia, ac honore proſequitur, quàm feciſſet pater. Palatina deinceps officia, miniſteriaq́; vt ab imo ad ſummum immutauit, patri, duobuſq́; fratribus, quorum alter biennio, alter plus decēnio ante obiuerat, ſimul iuſta fecit menſe Maio. Paternos autem maneis patritis illis buſtis Dionyſianis intulit. Profectus deinde eſt Lutetia ad Rhemorum metropolim, triginta duo milliaria indidem diſtantem. inibi 8. Kalen. Sextil. illius ciuitatis antiſtes ſolennibus ceremoniȷs, veterrimo Gallorum ritu, illud ipſum diadema (quo olim aliquando Carolum illum Magnū vſum fuiſſe ferunt) ei impoſuit XII.

VIR. S. F. vt officia poſtulabant, aßiſtentibus. Prærogatiuam iſtam Patriciorum, ab iam dicto Carolo inſtitutam, Galli vulgo Pares vocitant. Horum ſex ſacris ſunt initiati, reliqui prophani & ciuiles Principes. Rurſus priorum tres Archiepiſcopi, Ducali etiam amplitudine præcellunt, puta, Rhemorum, Laodunenſium, Lingonumq; Antiſtites. tres Epiſcopi, Comitum itidem nomina gerunt, Bellouacus, Nouiodunẽſis & Cathalaunicus. Ab his καλεχησαῖς pari numero ſunt οἱ καλεχόμενοι, ſcilicet Heduus, Normannus, & Aquitanus, Duces, & Toloſanus, Flandrenſis ac Campanus, totidẽ (antiquitus) comites. Vetus nempe hoc eſt, ſex Ducum ac totidem Comitum, collegium Patriciorum. Cæterum quod iam pridẽ nouißimarum illarum ciuilium dignitatum quinque deſitæ, ad ſupremum ius Regium fuerint translatæ, ſexta porrò Flandrenſis, dominatu Regio recentißime (vti initio docuimus) liberata, eas nihilominus repræſentabat tum quidem Rex Nauarræus, Vandomius, Guiſanus, Ambarrus, Monpenſirius, & Abumalus, Reguli omnes, ac præſtantißimi viri.

Hoc anno naturæ ſatisfecit Anna, Ferd. Cæſ. coniũx. matrona fœcundißima, & prolis multitu-

multitudine beata. ſoror itidem illius Ludouici Hungarorum Regum vltimi, ſicut ante attigimus.

Concilium illud Tridentinum, poſt ſeptimæ coitionis Decreta, cùm legati Pontificij ſe iam corpore vix ſuſtinere grauitatem eius cœli, qui eis laborem adferret in dolore, fingerēt, huius anni menſe Aprili, inde ex Germaniæ confinijs in Italiam, Bononiam nempe retrahitur. id factum ægerrime ferens Imp. queritur quidem de eo multa Pont. Vetat itidem ne qui ſuorum clientum Tridento diſcedant, ſed actum agit. quippe ſolutus ille conuētus, multorum deinceps annorum interuallo vix tandem aliquando eſt denuo congregatus.

Menſe Auguſto, coorto inter ſe & Scotos bello, ob id, quòd illi Eduardo Regi puero, reginam puellam ſponſam dare (vti receperant) iam modo recuſabant, Somerſctanus Regulus, Prorex Britāniæ, & Varouicanus Comes, cui ſubinde Ducatus obtigit Northumbricus, V. C. in finitimam Scotiam inſultarunt. qui ſimul atq; in conſpectū hoſtium venerunt, manus cōſeruerunt. quo in conflictu, vt aliquàm multas horas, acriter, ferociterq́; eſt dimicatū, poſtremo vincūtur, cōſcinduntur q́; Scoti,*

* Ita Polyd. Virg. vel iuxta vulgarem vocem, Northumerlandus.

aut capiuntur. Qua vſi victoria Angli, nullo non progreſſi, Regnum ex ea parte, longè lateq́ ampliarunt. Verum his rebus foris egregiè geſtis inteſtinis diſcordijs domi laborare cœperunt: quod ſeminariū conſecutorum malorū exſtitit. Reuertentes porro domum è Scotia, per inſigni εἰκωνομαχίᾳ inſtituta, Decembri ſimulacra Chriſti Seruatoris, & Diuū imagines proterue oppugnarūt opprobrio, & ex adytis vndecunq́ ſubruerunt. deniq́ Sacerdotibus coniugia publica conceſſerunt.

*Septembri à coniuratis, quorum fuit princeps Auguſtinus Landus, Comes, in arce ſua Petrus Aloyſius Farneſius multis vulneribus crudeliſſime confoditur Placētiæ. qua ciuitas vna cum Parma, eius erant iure mancipij. has enimuero ſibi, ex Pontificia hæreditate abalienatas, compenſatas tamen *Camertium prouincia, ſuffragante Purpuratorum collegio, Paulus 3. Pont. Max. (huius pater legitimus) aliquando, tanquā clienti, conceſſerat vtendas. quo occiſo, ſtatim armatus comparuit Gōzaga Mediolani præf. Imp. q́ eam ciuitatem aſſeruit. quæ res vulgarium rumuſculorum ianuam ſane aperuit: maximè quòd Octauius Farneſius, ſublati Aloyſii F. Imp. vero (vt oſten-*

* Ducatus Camerini Italis vulgo.

oſtendimus multo ante) gener eſſet. Sed Embolium iſtud, reuera (quemadmodum notabimus ſuo loco) argumentum, & ingreſſus quidã cruentæ, & atrocis tragœdiæ Imp. exſtitit.

Nouembri deinceps Claudia, Franciæ Regis filiarum altera naſcitur.

In. A. 1548. Kal. Apr. Sigiſmũdus Sarmata, 1584.
Polonorum Rex, octogenarius ſenex, defunctus illa adminiſtratione Regni annos quadraginta duos, Heros ſingulari prudentia, & cõmemorabili virtute, itaq; ſuis populis æquè charus, obijt. Patri ſuccedit cognominis F. bellicoſus, & excelſi animi vir.

In id temporis incidit, vt, dum Imp. in Germania libationesq; & epulas, ritu Romm. Pontt. inſtaurare conatur, ei Britanni ex diametro repugnarent, quippe ad id, quòd domeſticis diſsidijs fluebant, vno ſuſceptæ hæreſeos filo, totis ſacrificijs Pontificalibus interdixerunt. imitatione Henrici 8. Regis cuius nihilominus furori modus aliquis eſt impoſitus. quippe etſi ſtatum Religionis nonnihil immutarit, iſta rerũ capita (quæ ſubindicauimus) intacta tamẽ & integra reliquit. Sed præceps iſte populus, pſe ad omnia volubilis, illius inſiſtens veſtigijs, & curſum tranſcurrens, chytrapodem

trapodē menſamq́; inuertere, & cæremoniam Pōtificalem ad viuum reſecare, nedum ſacris abſtinere, voluit.

Iunio (fere anno poſtquam Menapius vti diximus, ſponſam ſibi ex Auſtriadarum familia adoptaſſet) Ioanna illa Nauarræa forma aliiſq́; bonis perbelle dotata, voto priore ſoluta, Vēdomio Regulo nupta, à ſimulatis, ad veras, rataſq́; nuptias tranſiuit. & iiſdem prope diebus Franciſcus Abumalus, Guiſani Reguli F. Ferrarij Ducis filiarum primam, in matrimonio recentiſsimè collocatam, vſq; ab Aemilia, in Franciam ſecum introduxit.

Reſtincto bello Germaniæ ſuperioris, qui cū ſuam inferiorem, ac Belgium itidem fœdere coniunxit: cum S.P.Q. Germ. agens Imp. tulit. ,, Vt Pontificia cauſa (interim) ſtaret, donec aliquando lite religionis controuerſiæ definita, Synhodus aliter ſtatuiſſet. Qua prouincia fratri delegata, Septembri, ex prima in ſecundam Germaniam, captiuos (iam ſæpe nominatos) ſecum traduxit. Hæc ei fuit Pompa, fuit ſpecies, & inceſſus ſaltē triumpho dignus. At Saxo libera cuſtodia veteranorum Hiſpanorum aſſeruatus Imp. quocunque iſſet, comitabatur. Heſſus verò primum ad Pleumoſios relega-

relegatus Aldenardum, inde Mechliniam eſt retractus. atque inibi, ob tẽtatam fugam, anguſto conclaui priuatæ cuiuſdam ædis clauditur. ad quam diu, noctuq; Hiſpanorum militum cohors excubabat.

A Sextili, in medium Autumnum per Aquitaniam vniuerſam, in Santonibus & Garumnæ finitimis populis, maxime autẽ apud Burdegalam eius gentis caput, trimeſtris prope ſeditio, ex nouo portorio ſalis, enata eſt. vbi non modo ciuitatis ſtatus à concitata multitudine immutatur: verum etiã Triſtanus Monenius (qui, abſente Nauarræo, Regis erat in ea prouincia Vicarius) crudeliſsimè interficitur. quippe ad tantã inſolentiam, & diritatẽ exlex vulgus adducebatur, (vti ſubtiliter tragœdiã iſtã Hiſtoria Gallicana deſcribit) vt nõ longe abfuerit à feris belluis. Hic Rex cũ acerbitate inſtãtium. & futurorum metu perpulſus, Mag. Eq. & Abumalum Regulũ, cum exercitu, contra ſeditioſum populũ amandat, qui nullo fere labore Burdegala potiti, in capita frequentiſsimæ ſeditionis continuo ſeuere animaduertunt. armamentarium publicum ſpoliant. ciueis arma deponere compellunt. * Campanæ vulgo.
** vaſa ænea, quibus ſacerdotes in ſuis templis tinniunt,*

tinniunt, vniuerſe tollunt. priuilegia comburunt. leges vetuſtæ immunitatis reſcindunt. immēſa pecunia, & alijs modis populum multant. denique vniuerſam multitudinem eò adigunt, vt, nullo ſcalpello, nullóue ſtylo, ſolis vnguibus ac digitis humum à tumulo Triſtani Monenij defodicent, itaq; cadauer euellant. id quod pompa ſumptuq; funebri denuo honorificè buſto reconditum fuit. His igitur rebus cum Burdegalæ, tum in omni Aquitania compoſitis, & præſidio ad eam relicto Nouembri reliquis militibus miſſio datur.

Eodem fere tempore Franciæ Rex, quo ſic de Scotia eſſet ſecurus, puellam Reginam, Delphinati F. deſignatam coniugem, ex hæreditario regno, ad ſe, nauibus tranſuehendam curat.

Profectus ex ſupernate, in ſuam infernatem Germaniam Imp. Tridentinum Antiſtitem Purpuratum & Daluum Regulum, in Hiſpaniam amandauerat, eo quidem conſilio, vt indidem accerſito, deductoq; ad ſe Philippo F. ſucceſſori Belgarum poſceret fidelitatē. nec verò ita pridem Maximilianus Auſtriades Fer. Cæſ. F. ad regnum Boëmiæ adoptatus, indulgente Pont. Rom. Mariam conſobrinam,

Imp.

Imp. filiarum primam, Ph. ſororem commodum, in Bætica Hiſpaniam, apud vallem Pintiam, duxerat vxorem. Philippus igitur, ex formula Burgundica, compoſitis rebus Hiſpanienſibus ſororibque delegata illa prouincia, 6. Non. Octob. ab valle Pintia, equis admiſſis, Barcinonem properauit. ac inde cum delecta nobilitate, & ampliſſimo comitatu Rhodas, citerioris Hiſpaniæ portum, quò loci And. Doria aduentum eius expectabat, venit. quo ex portu, cum inſtructiſſima claſſe egreſſus, 6. Kalen. Decemb. Genuam appulit. Ab Liguribus mox Mediolanum, Mantuamq́; viſit. inde verò per Tridentinum ſaltum, recta in Germaniam primum tendens, Oenipõtem petijt. itaque determinato itineris curſu pergens, Monico, Auguſta Vindelicorũ, Vlmo, Heydelberga, luſtratis tot ciuitatibus, ad Nemetum Spiram, Rhenum tranſmiſit: ſubindeq́; per agrum Lotharingiacum Lucapyrgum eſt profectus. atq; hic primum Belgicam ſuam hæreditatem cernere cœpit, Hiſp. iuuent. Princeps. quem, tanti Heroïs filium quam honorificè, quam ſplendidè, quam regificè ac officiosè Italia, Germaniaq́; acceperint, nec facilè humanus aſſequatur captus, nedum ego breuiter explica-

plicauero. is ad extremum ab Lucæpyrgo, Kal.
1549. *April. in. A: 1549. magna voluptate patris, maiore lætitia S.P.Q.Belg. Bruxellas inequitauit, cuius populi ouationes, acclamationesq́; & applauſus deſcribere, quia longum eſſet & difficile, plane reticere malim, quàm ieiunè, ſobrieq́; dicere. Conſecuta æſtas Ludis ſæcularibus & triumphalibus pompis eſt conſumpta Philippus, ceu in perpetua quadam meri triumphi ſcena circũductus, antiquis verbis præit vniuerſo Belgio fidelitatem iurante ac promittentè. quantũ porro ſumptum poſuerint Belgæ in congratulatione iſta publica, ſola Andouerpa (vt Cor. Scrib. Grapheus, qui pigmata omnia, apparatum, ac pompam luxumq́; ſuæ ciuitatis, copioſe declarauit, luculentiſſimus eſt teſtis) probabilem fidem poſteris fecerint. quæ tunc quidẽ vniuerſe, ſupra centena, tricena millia aureorum ſcutatorũ Ph. Principi expenſa tulerunt. quas reliquæ ciuitates omnes perinde vt cuiq; erãt pro rata parte facultates, (quæ ſunt immẽſæ) vſq; ad æmulationem prope ſequebantur. vt interim ſilentio inuoluantur publicæ pecuniæ, tanquam Regia diſpenſatio, & aurum coronarium. quo omni iure, hæreditario, mancipÿ, nexiq́; Herus, ab*

vniuerſo

vniuerſo famulatu Belgico eſt ditatus.

Februario, cum Regina Franciæ peperiſſet marē, vocari eum collibuit parentibus, Aloyſium Ioannem. Sed is Aurelianorum Dux deſignatus, nedum trimus, immatura morte puerulus occubuit.

Gaudente & triumphante de aduentu Philippi, Belgio, Francia itidem in ludis, lætitiaq; publica exſultabat, & feriabatur, ob id, quod Catharina Medicis, menſe Iunio Sandionyſiano in conuentu (duobus illud oppidum miliaribus ab Lutetia abeſt) ritu Gallico, ſolennibus cæremonijs fuerit inaugurata. Quæ res curioſis ingenijs oppido quàm maximam dedit admirationē. illis, inquam, qui rerum omnium initia ſolicitè indagant, & ſemina perſcrutantur. ſtupeſcebant enimuero Medicûm, illuſtriſſimā familiam, à priuata fortuna, derepētè in eam publicam celſitatem aſcendiſſe, ex ea ortos duos Pontt. Romm. nempe Leonem 10. & Clementem illum 7. penes eam eſſe Etruriæ dominatum. poſtremo hanc ipſam Catharinam, Medicidem, ad ſuprema Franciæ regni faſtigia euectam. ac Regum Gallicanorum poſt ſe genitricem reliquo tempore celebratum iri. Nec multo poſt Rex Lutetiā triumphali

phali pompa inuehitur, excipiturq́; honorifi-centiſſime à S.P.Q.Parrh. Regem verò interpoſito biduo Regina eodem conſequitur. itaq́; regno ſimul auſpicantur. Auſpicatus enim uerò eſt Gallis, & Tranſalpinis nationibus ille inceſſus, quo die primum, delecti inaugaratiue Principes hæreditatem adeunt, vbi quanta exſtiterit tum opum, tum luxus oſtentatio Gallicana, vix dum animo colligi, nedum luculenta oratione exprimi queat.

In Anglia verò tunc temporis omnium rerum ingens erat confuſio ac perturbatio. Primo cùm ſe mutuo peſſime odiſſent, Prorex ille Erphordæus, Thomam Semerum, germanum fratrem, * *Britannici littoris præf. in Senatu ambitionis accuſat, & affectati regni, quaſi ipſe Regem puerum adhuc ad ſua ſacra pertrahere voluiſſet, atque ea machinatione rerum potiri. Thomas itaque præpropera prenſatione conijcitur in vincula. cogitur ire ad tortoris equuleum, fidiculis examinatur, ac poſtremo, menſe Martio, ſecuri percutitur. Deinde cum fluctuaret pene tota illa inſula in ſeditionibus, & opinionum diuerſitate, in rebus religionis, inuicem ſimul repugnaret, Senatus Anglicus pullulãteis motus armata manu reſtinxit.*

*Britãniæ Amiraliũ vulgo.

ſtinxit. Nempe turbarnm auctores pœnas expenderunt.

*Qua diſsidiorum Anglicanorum occaſione excitus Gallorum Rex paternas pactiones reſcindit, & continuo Bononienſis ditionis partem vi recipit, partē deditione. & inter cætera Ambletulam ac MonIambertum. quas duas ſtationes Bononiæ finitimas, Angli communierant. quæ arx ad ſummas tunc quidem anguſtias adducebatur, interſepto iā nimirum aditu, quo adminicula, alimenta, commeatuſq́; ſubuehi conſueuiſſent. Tranſmittit itidē inſtructiſſimam claſſem, ductore Decio, in fœderatam Scotiam, (vt ab illa quoq; parte negocium hoſti faceſſeretur) cum valido exercitu, cui duces exercitaſsimos præficit P. Strozzam, Dandolotum, & * Rhen[illegible]um Teutonem. qui ſimul atq; in Scotorum caſtra coierunt, poſt non exiguos progreſſus, inſigni prælio, ad Edintonam Britannos fundunt, ac vincunt. itaq; ab vſurpata poſſeſſione deturbatis Anglis, ſumma cum virtute & gloria, puellæ Reginæ ademptum regnum reſtituunt.*

* Rheni Comitem vulgo.

Interea Paulus 3. Pont. Max. plus minus octoginta quatuor annos natus, cū ſexdecim in illo Pontificatu reſediſset, vir multa rerum

& literarum ſcientia, ac prudentia, 5. Id. Nouemb. condicto fato ſenex obijt. hic, quod gratia plurimũ apud omneis in vniuerſum valebat, quàm honorificè in ea dignitate ſe geſſit. bello diuturno liberatam Italiam exſoluit. pacẽ perpetuam ſeruauit. deniq; vulgo audiuit, PAT. PAT. Bonus paſtor. Bonus reip. Bonus ſibi. Bonus (immo melior) ſuis. nam nepotum quatuor (quos Petrus ille, Aloyſius liberos reliquerat) duos Purpuratorum albo adſcripſit, Farneſium & Sanctangelũ, duos Ducali titulo decorauit, quorũ alter Parmæ & Placentiæ, alter autem Caſtri dominatum eſt adeptus.

Iiſdem ferè diebus Margarita Valeſia. Nauarræorum Regina, germana ſoror Franciſci I. Gallorum Regis, penſum vitæ terreſtris abſoluit. Heroïs, præter ſexum, apprime literata, & multa virtute prædita, & Muſarum altera Mnemoſyne.

Paulo III. Pont. demortuo, 4. Kal. Decem. Purpuratum collegium, recepto more, in Comitium coijt. Vbi poſt multas altercationes, diſceptationémque, tandem 7. Id. Februar.
1550. *in. An. 1550. ex ſyſsitiis, Ioan. Maria (vulgo à patria) Monteſanſouinus, origine Tuſcus, vir prouectæ ætatis, biennio maior ſexagenario,*

(genti-

(gentilitio illo nomine ex cōſuetudine permutato) Iulius III. Rom. Pon. Max. renūtiatur. qui ſubinde, ſolennibus cæremonijs, die faſto, in maxima S. P. Q. R. frequentia, ab Cibone Tranenſi & Carpenſi, Purpuratis PP. 9. Kal. Mar. inauguratur. ac biduo poſt ſuſceptas claueis belli & pacis, ceu alter Ianus deauratam illam portam, quam vocant D. Petri, magnæ religionis ergo, reſerauit. itaque deinceps Hilaria Pontificia, quæ in eum ipſum annum cōmodè inciderant, & propter interregnum Pontificale Kal. Ian. vti debuiſſent inchoari, celebrariq́; nequiuerant, ſuis ſacris deuotus Pōt. perfecit. Ea Hilaria omnium primus inſtituit Bonifacius VIII. Pont. ante ſeſquiſæculum. noluítque priſco ritui, inſtar ſæculario rum ludorum, eſſe centeſimo quoque anno. Sed Clemens VI. primo dimidium, Sextus verò IIII. nouiſſimæ ex iſta centuria, ſeſquialteram partem detraxit. ita, quæ primum cētennalia, ſubinde quinquagenalia fuerūt, ac iam poſtremo quinquenicennália ſunt Hilaria. id Iubilum Roma appellat. Paucis ab hinc dieb. indulgentia Pont. Octauio Farneſio reſtituitur Parma. & Columnatū familia, recepto ſtato, vnde à Paul. III. (vt innuimus) fuerat de-

iecta, tanquam ſuo denuo induitur.

Hoc ipſo menſe Februario Franciſcus Mantuanorum Dux cui non multo ante Ferdinandus Cæſar filiam in matrimonio collocarat, cùm fortuito in Mintium incidiſſet, ab cordis ſyncope febrim cõtinuo contraxit. quæ ſane Heroëm illum breui conſumpſit. Ei vero frater germanus, Gulielmus, ſucceſſit.

Aprili deinceps, ex Britannia, partim externis bellis feſſa, partim ciuilibus motibus afflicta, tranſmittens in Franciam, Anto. Guidotus, Pratricius Florentinus, pacẽ, quam oratum ierat legatus, vir ad perſuadendum q̃duis natus, perfacilè p̃ſtitit. his ſummatim conditionibus, vt Bononienſem ſtationem, iuriſdictionemq́, deſerentibus, & reſtituẽtibus Anglis, Galli quadringenteis mille aureos ſcutatos, bipertita penſione perſoluerent. Gallorum Rex, Britannico etiamdũ puero filiarum vnius coniugiũ deſpondet, ratum habendum quamprimum ambobus ætas eſſet connubio habilis. Pax eadem Scotos firmauit. quæ vt ſtaret concordia, ſpecimen veri amoris, & cognationis extitit, quòd equeſtri dignitate ſe mutuo honorabant iſti Reges. quippe Henricus fibulam illam equeſtrem, ſiue bullatam, ab

Anglo

Anglo donum Periſcelidem accepit. pro quo viciſſim ipſe Eduardo torquem D. Michaëlis imagine ſignatam rependit. quod genus ſyſſitiorum ſummi cum decoris loco, tum religionis eſt apud vtroſque.

Maio prope exacto Imp. ad Comitia magna Auguſtam Vindelicorum, Philippum F. ex Belgio ſecum traduxit. quibus comitijs ſubornata ſorore Maria, & ſolicitationis cauſa eôdem accerſita, in hanc curam tota mente incumbebat: vt Fer. Cæſ. abdicatum ſuũ ius ſucceſſionis Imperatoriæ, Philippo patrueli renuntiaret. qua in re cum plurimum laborauerit Imp. in eodẽ ſtatu mãſit. nec enim ex re ſua admodum fore proſpiciebat frater, ſi, & ſuũ geniũ, & generoſæ maſculæq́; ſobolis exſpectationem, ac gratiam, quibus ſumme valebant apud omneis Teutones, per iſtam (exitialem) alienationem, honore, fructu, emolumentoq́; certo defraudaſſet.

XV. Kal. Iul. Carolus Maximilianus, Andegauenſium Regulus deſignatus, Regiorum filiorum tertius in Francia naſcitur.

Extremo Auguſto Veſontione, ſua domo, patriaq́; profectus in Vindeliciam Nicolaus Perenotus Granuellanus, Auguſtæ apud Au-

guſtum patronum, vltimum vitæ diem clauſit. quem clientem Imp. eo acerbius fleuit mortuum, quo viuentem amauit ſincerius. qui, quod erat litteratus, & multarum rerum ſciens, experiens, & conſultus, magna omnium ordinũ voluntate, eo plus, viginti duobus annis curiæ Princeps extitit. &, quòd ad honores, ſuopte ingenio, viam inuenit, ideo felicitati humanæ proximus videtur, & aliquàm multa prole beatus, quæ ex paternæ virtutis ſemine adhuc viget. Rem taceo, in qua liberis prouidus pater luculentiſſime proſpexit. cuius primus ac ſenior filius, M. Ant. cũ eſſet Atrebatũ Antiſt. in locũ, dignitatẽq. mox ſubrogatur.

* Dragut Rais barbare. *Dragvtoras *ille barbarus, Archipirata, qui ſubinde claſſis Turcicæ præfecturã obtinuit, cum** *Aphrodiſium, ad mediterraneum mare, Africæ oppidũ præoccupaſſet: mirãdum in modum communijt: eo conſilio, vt inibi conſtructo ſibi, ſodalibusque nido, portus ille eſſet ſtatio, ac ſentina piratarum, inde euolaret, quò vellet. eò reuolaret vt in arcẽ, cum colliberet, inde (inquam) non vno myoparone piratico, ſed continuis excurſionibus maria finitima infeſtaret. deniq; locũ iſtum Regno optauit. Imp. porro, ecqđ machinaretur Barbarus, haud obſcure præſagiens animo, hac de-*

* Africã vulgo.

mum tempeſtate Ioan. Vegæ Proregi Siciliæ, & Doriæ claſſ. & oræ maritimæ præf. negotium dat, Aphrodiſij excingendi. hi igitur inſtructi, ac parati, præter Imp. claſſem, Pont. Luſitanorũ, Melitenſis ſodalitatis, & aliorum Italicorum auxiliorũ, nauibus aucti, vt ab Italia in Numidiam, ſecundo Aquilone, tranſmiſerunt; à terra, ac mari illud oppidum obſidione cinxerunt. quod tormentis omnibus ferociter conquaſſatum, poſt aliquam dimicationem, admodũ paruo temporis damno Septembri capitur vi militum, quibus itidem diripiendũ datur. itaq; fit ingens Aphrodiſiorum occiſio, & ruina, ad Dragutoræ ludibrium. qua re feliciter geſta victores Numidici, flante Africo, indidem in ſuam quiſq; patriam ac ſedem, vela verterunt. Imp. vero, Aphrodiſium, auito iunctum Imperio, cum oneri & impedimento magis eſſe, quàm prodeſſe, deniq; ſumptus male poni in illius tam remotæ arcis defenſione videretur, exiguo tempore interpoſito, tantum inde exhauriens, quantum potuit in naueis contrudi, à ſolo diruendum curauit.

INEVNTE *anno 1551. noua quædam belli* 1551. *cauſa, ad perturbandam Remp. coorta eſt, hoc fere initio. Gener ſocerum in ſuſpicio*

nem ambitus non obſcure vocat, quippe Octauius Farneſius, ſibi metuens, ne ab Imp. itidem Parma, vt antea pater Placentia, fraudaretur, quiritat, & Pont. ceu clientelæ caput, ac patronum, cliens opem implorat. Sed eo τῶν ἀδυνάτων excuſationem deferente, inſtat ille poteſtatem ſaltem permittat ſibi, aliunde arripiẽdi patrocinij: quo ſe tueatur, quod vbi malitiáne, an inconſiderantia Pont. impetraſſet, Octauius, id factum ſolicitante fratre Horatio, ſe Gallorum Regi commendauit, & rem omnem concredidit. Hoc licentioſum facinus Iulius 3. iniquiſſime ferre, Octauium præcipitis conſilij reum peragere, nec, niſi ſuo præciſe conſenſu rem tantam temere ſuſcipi debuiſſe, dicere, & quid demum in eo negotio ſtatuiſſet, ſignificare, indignariq́; vehemẽter. Denique contumacem Regulum, fulmine ſuo ictum execrari, eius bona fiſco addicere, ac poſtremo aduocatum Imp. opem flagitare, atque armis extorquere conari, quando vetus patrocinium auctoritate tueri nõ poterat. Aprili menſe hæc gerebantur. Hinc natum Parmenſe bellum. Octauius Pont. & Imp. inimicos capit. Interea vero Franciæ Rex fiduciariam Parmã præſidijs, cuſtodijs, vigilijsq́; præ-

præmunitam, firmat ac defendit. Contra, iuſſu Im. Gonzaga, ex finitima Inſubria, eò cum exercitu profectus, Iunio menſe, ſtationẽ Gallicanam obſidione offendit. Quò non multo poſt accedens Pontificius nepos, Ioan. Baptiſta, Mirandulam obſidet.

Notanda hic eſt perinſignis illa Baronis Polini, vafri hominis, victoria, per otium induciarum nauiculatores Belgas tranſmiſſu Hiſpanienſi fraudãtis. Is, dimiſſo nauigio ſpeculatorio, vt intelligit, aliquo numero naueis onerarias, ex maritimo Belgio, mercib. onuſtas, in Hiſpaniam vela facere, eaſq; citra pondus impoſitum, per ſe graueis, lentius Subſolano ferri, ludificatur, adnauigat ab latere, ad agmen corbitarum. ſimulat Iſidem, fingit inquam) Reginam Scotiæ ſe tranſuehere. Præmittit parunculum vnum, atque item alterum cataſcopium, ad naueis Batauas oratum, vt ex formula nautica congratulationis, & honoris ergo, contractis velis, tormenta, quot habuiſſent, vno ſimul tonitru diſploderent. Quod vt eſt conſecutus, ecce, imparatas, & telis deſtitutas, exarmataſq; naucis inuadit, ac affligit. ita vt ex viginti duabus, nouem duntaxat ab inſtanti periculo euaderent, ac

reliquæ omnes, dimidio plures, caperentur. quæ tam opima ſpolia, ac variarum rerũ pretia (magna Belgarũ nauiculatorum iniuria, ac mercatorum iactura incredibili:) quingentis mille aureis ſcutatis æſtimata, Rotomagum, Romanduorum ciuitatem, Polinus introuexit.

Interea, dum bellum vltro citroq́ adornatur, exacto Maio, Philippus, honorum plenus, conſanguineo Maximiliano comitatus, quem patruus, & pater ex tranſmarina prouincia ad comitia euocauerant, parẽtibus valedicto, ex Vindelicia diſcedit. atque ex Liguribus in ſuam Hiſpaniam tranſmittit.

Conſilium Tridentinum, multò antè à Paulo III. inchoatum, (vt ante docuimus) cùm probaſſet Iulius III. iam dicto menſe iterando redintegrandum cenſuit. verùm ei, ob conuẽtus meram ſolitudinem, trimeſtre prorogatur. quo demum tempore, vt non modò ex Italia, ſed ex tranſmarinis tranſalpiniſq́ nationibus, maxime verò ex Cæſarianis clientelis complurimi comparuiſſent; legatum ſuum, aduocatumq́ Creſcentiũ Purpuratũ ſummæ rei præficit Pont. Quò amandati ex Francia legati (quã decretis, edictiſq́ ſuis Pont. in ſe con-

ſe concitauerat, atq; infeſtarat) in pleno ſenatu P. C. ſunt atteſtati, multis rationibus Regem (maxime verò propter ſuſceptum in ſe bellum) adduci in eam ſententiam, vt cõuenticulum quoddam, architecto & machinatore omnium Pont. & factioſam coïtionem potius eſſe, quàm Synhodum crediderit. iterata tamen ea res, vſq; aliquo eſt continuata.

Septembri peperit itidem Franciæ Regina Alexandrum Eduardum. is Andeuagenſium Regulus deſignatur, loco fratris Caroli Maximiliani, qui in demortui Aureliani dignitatem pariter fuerat ſuffectus.

Cùm omnium Germaniæ fœderatarum ciuitatum vnica Albenſis Parthenope, parentibus reliquis ſocijs, ac fratribus, & obſtinatione quadam ſententiæ, & conſpiratione ac conſenſu omnium ordinum ad defendendam libertatẽ, cùm Imperatore cõcordare nollet, imo ſenatuſconſulta calcitraret, reſpueret, & aſpernaretur; citatur quidẽ maxima voce Fetialiũ, nec tamẽ reſpõdet: aut ſiſtit. at curiæ Imperatoriæ ſentẽtijs refragatur. Ea ꝑpter in hac re vniuerſitatem teſtem citat Senatus. peragitur contumaciæ rea, ac poſtremo proſcribitur. itaq; Imp. Mauritium Saxonẽ cum exercitu & vltri-*

* Maidenpyrgus. aut, vt vulgo Maideburgũ.

& vltricibus Aquilis eò contendere vt iuſsit: armis contumacem populum ad deſita officia retrahere conatur. Gerit ad hanc, in diuturna obſidione Saxo, vir bellicoſus, multa quidem præclare, ſed oppugnatoribus Mauritianis viriliter reſiſtente Alberto Manſoueldæo Comite, Trib. mil. ciuitatis defenſore, hoſtis cœlum ſibi niſus eſt velle capere. Mauritius interea ſolicitatus ab affinitate, vt promiſsis ſtare vellet, nempe Heſſum illum ſocerum, ipſe gener priſtinæ reſtituendum curaret libertati; confert in hoc quidem acuratiſsimam diligentiam. Sed iſtius miſsionis, quotidie ſinguli dies tolluntur obnuntiationibus. non auſcultat interceſſori Saxoni Imp. Quam moroſitatem vt olfacit Gallus, præſtigÿs artificioſiſsimis, & multis blanditÿs circumretitum (vel ſaucium) Mauritÿ animum ſecreto & tacite ab Heroe abalienat. & ſine mora, arctiſsimo fœdere, cum eo, & optimatibus alÿs Teutonibus iungitur, & ſodalitÿ iure aſtringitur, vti ſtatim indicabimus. Mauritius igitur, cui magnum negotium cogitato & facto opus erat, ab hac Gallicana neceſsitudine, vel vt de ſuſcepta oppugnatione Parthenopes (cuius ipſe auctor & auſpex præciſe extitiſſet) aliquid ea

extrica-

extricaret, quo ſuo videretur honori conſuluiſſe; vel potius (uti tunc quidem erat rumor) in belli Gallici laboribus obdormiſcentem Imp. & ita conniuentem ſomno (percallidæ machinationis) conſopiret profundiore; ſimulat ad extremum Nouembri ſe cum obſeſſis, ſpecioſa quidem & honorata, ac verbo tenus, vtili futura Imp. conditione pagere. Porrò pactionis energia, atq; facultas fuit huiuſmodi. Conſtaret ſibi Parthenope, & extrema cum initijs conuenirent. hoc eſt, maneret ſtudium Lutheranorũ (qua de re potiſſimum diſceptabatur) maneret itidem priſca libertas. Iſta re comperta, Parthenopæi contra Veiouis arma, iracundiamq́; obdurando, magnã famæ laudem, maiorem etiam & tribulium, & vniuerſæ Germaniæ gratiã lucrifecerunt. ob id, quod ſoli omnium Teutonûm, de ſalute ſua, cum tanto Heroë, & tot antlatis victorijs ſuperbo Imp. contenderint. quòd hornotina diuturniorem obſidionem pertulerint. itaque præclarum ſpecimen, & argumentum fortitudinis ac cõſtantiæ ædiderint. quòd denique ad extremum æquabileis conditiones inuenerint ipſi. quorũ auſpicio deinceps Reſp. in antiquiſſimam libertatem facillime redierit.

rit. vtcunq; eſt; qui res ab Imp. geſtas excuſſerit, is tanquam in ſpeculo, manifeſte videbit, eius fortunam, cum vſq; eo ſtetiſſet, ad Parthenopen iſtam Albenſem cœpiſſe titubare.

1552 *In. A. 1552. Somerſetanus Regulus, ille Prorex Angliæ, auus itidem Regius ac procurator, nunc captus, nūc miſſus, miro fortunæ ludibrio; tandem Ianuario, capitali ſupplicio afficitur: quia (vt autumant multi) Ioan. Northumbro fuerit inſidiatus, ſicamq; intentarit. Veriſimilior tamen opinio tenet, iſtum ipſum Regulum, partim bonitate ſimplicitateq; Somerſetani, partim ambicione adductū ſingulare affectaſſe Imperium in eo Regno, ac Regis pueri curam præciſe ad ſe transferre voluiſſe. itaq; nec competitorem, nec ſecundum, præ ſe, diutius pati potuiſſe.*

Bellus Pont. (qui tanquam vnguis in hoc recenti vulnere reipub. exſtiterat) cum vtraque ſpe, nimirum Parmæ & Mirandulæ capiendæ fruſtraretur, vir voluptati & delicijs aptior, quàm labori, poſt hornotinam prope militiam, Aprili, inſtantibus Soterijs, cum Gallo pepigit: tropeorumq; perſonā induit, & palliatus topiariam quandam, orbi funeſtam, fecit. ſocium deſeruit excitato internecino bello: quo

lo: quo interfectus eſt belligerator nepos apud Mirandulã. quo grauiſsimo ab onere, perturbatam Europam, aliquàm multorum annorum labor vix tandem ſubleuauit.

Terra, mariq́; ſe mutuo infeſtantibus iam Cæſarianis & Gallis, mox prodijt in lucem ſtrategema Mauritianum. quippe cum lentus eſſet Imp. in mittendo Heſſo, ob id Mauritius impendiò ſtomachari. violatam fidem interceſsionis quiritari; iniuria manus eſſe iniectas ſocero, exclamare. has & conſimileis cauſas ſociali bello prætexere. adactum denique ſe ad ſanandũ vulnus infamiæ arma ſumpſiſſe contra Imp. dicere. Porro ſocietas iſta, cuius erant capita & pactores, præter Mauritium auſpicẽ, Ioan. Albertus, & Megalopolites, & Albertus Brãdepyrgicus, & captiui Heſsi familia, vna cũ liberis, datis inuicẽ ſimul obſidibus, tam erat fixa, & rata, vt propugnatorem Germanicæ libertatis Gallus ſe propalã iaceret. quam cùm publicis, tum priuatis ſcriptis, ſecundum Landgrauiũ, ad Saxonẽ Exelectorẽ, vniuerſæ patriæ, fiducia Gallicana, Germani ſodales repromittunt. Fœdere igitur iſto icto, ſtabilito, ac prodito, ceu iure Fetiali rem præiudicatam, vno quidem conſilio & temporis

poris puncto eodem, ſed diuerſis locis, Teutoni & Galli perſequuntur. Mauritius ex ſua egreſſus Saxonia, per Rodepyrgenſem & Nordolinganum agrum Danuuerdam ducit hoſtis non hoſtis. quippe communicata conſiliorum & inſtituti ſui ratione (per quarum fineis ierat) ciuitatibus, maxime quòd nulli noceret, facillime ad ſuam ſententiã pertraxit omneis tribuleis. Danuuerda Auguſtam Vindelicorum properat. quæ tunc temporis Cæſariano præſidio tenebatur. Ea ciuitas cùm triduum, non amplius obduraſſet, prid. Non. April. ad pactiones deſcendit. Cui captæ non legem imponit victor Mauritius, vt victis ſolet imponi, ſed præſidio Cæſariano humanitate remiſſo, liberat eo onere cineis. & eorum ſocietate, amicitiaq́; contentus, ad recuperandã communem libertatem, indidem ſecedit. Nihil non conſequitur Virtute duce, comite Fortuna. Capit & expugnat vi arcem firmiſſimam, Erepergam, in anguſtijs Noricarum Alpium ſitam, Orci galea. Cuius victoriæ fama perculſus Imp. cùm ſibi inijci tragulam cognoſceret, inſidiaríue; tenuiculum autem apparatum, & infirmum præſidium Prætorianum haberet, quinimmo deficeret neruus belli, in-

ſtante

ſtante perduelli; Oenoponte Vocorium, cæreo funali montoſum iter luſtrans, noctu clam tranſcendit. Fraterni ſunt illa mancipij oppida. quorum alterum* Theriæ, Oenus alluit, alterum Carnicæ regionis, Drauus pene medium ſecat. Hîc Mauritius, Aquila admonitus volatu, retro ad Germaniam conuerſus, Quintili Francophordiam, immunem & liberam ciuitatem, obſidet, ac vrget: capturus, procul dubio, illud Mœno impendens Emporium nobiliſſimum, niſi pacifer Mercurius interueniſſet. quippe cum optimates internuntij egregiam operam ponunt Germanicæ reip. & patriæ, Ferd. Cæſ. nodum ſoluit, & Mauritium fratri reconciliat hac ſummatim lege: Vt ipſe, certo tempore, & conſtituta die remiſſo ſocero, Auſtriadarum ſacramento obligatus, certo itidem numero militum, Turcum, communem hoſtem oppugnaret. reliquas controuerſias proxima comitia ſedarent, ac tranſigerent. Interim, Mauritio abalienato, & Megalopolite, ad Francophordiam interfecto; Brandepyrgicus, qui tum quidem ſolus cum telo erat, auctoramentum militiæ Gallicanæ dum ſimulat; intus canit. quippe nixus aſſectatorum, coniuratorumq́; adminiculis, ab ſo-*

*Villacum Vulgo.

*Tirolicæ, vt vulgo.

ciijs iteratum, bellum ciuile redintegrat. Submittit animum furori πυῤῥιχίζειν. *vaſtat vltro citroq́ Germaniam incendijs, & excurſionibus. nulli admodum propitius. in Norimbergēſeis autē vicinos ſumme infeſtus. quæ atrocitas tantum non domi, verum etiam foris teterrimum odorem adhuc ſpirat.*

Mauritio (vt innuimus) contra Imp. velitante, iactat ſimul in vicinorum tecta ardēteis faces Gallus. Adit ab Rhemis armata manu Lotharingiam finitimam, imperſonatúſque ac præſens Tullingorum ciuitatem, ex ea parte Franciæ oppoſitam, ad Moſellam flumen ſitam, Imperatoriq́ obnoxiam, occupat, & ſine mora, Nancium, eius gentis (Lotharingicæ) caput accedit. inde abreptum Regulum, octonum annorum puerum, in Franciam nutriendum amandat. ob id alumno Lotharingio (ne ſeſquipedem eius ſolſtimi vſurpans) coniugium & affinitatem ex ſua familia pollicetur. Interim porrò Mediomatricū illa præclara ciuitas, ad Obtrincum itidem, & in iam dicto agro poſita, & fœderata Imp. abs Mag. Eq. (qui eò cum parte exercitus fuerat præmiſſus) prodita fide Heri, commeatum ſaltē petentis, 4. Id April. praeoccupatur. at ſubinde copi

arum reliquijs introductis, ab ipſo Rege ſub iugum mittitur. eam porro (quam ipſi ita notauimus obtigiſſe πάρταν, tanquam nunquam deſerturus) ſtationē præſidijs firmat vetus vexator Aquilæ, Gallus.

Interea dum decerpitur Aquila, ſimulatq; nuntius ἀυθεντικῶς attulit Tridētum, bene pugnaſſe Mauritium, & Auguſta Vindelicorum capta, vt multos alios feciſſet progreſſus, rectà Alpium anguſtias petere, & itinera ſeruare voluiſſe, continuo ſoluitur conuentus. Legatus Pontificius, cum antea 3. Kalend Maias, Concilium in biennium & amplius (modo ſic poſtulauerit neceſſitas) detruſiſſet: cum Italica tribu in Italiam tranſuolat. vnde poſt exiguam morā, reliqui identidem Antiſtites, Hiſpanienſes, Teutoni, Belgæ, & aliarum ciuitatum internuntij, ad ſuos aut reuertuut, aut tranſmittunt. itaq; ſoluto iſto conuentu, conditio illa, ab Imp. quinquennio fere ante lata, ſenſim remitti, & religionis controuerſia hærente, alia ſubinde conditiòne, ac prius, eſſe cœpit Germania: & (vt paucis expediam) Chriſtiana reſpub. in caput præcipitari.

Oppreſſa Mediomatricum libertate, vltra, ad Tribocos verſus, cum expedito exercitu

M 2 *pergit*

pergit Franciæ Rex, Numenum, Lunæuillam, Blamontem, & Salepergam oppida præteriens, triduum apud Tabernas perpuſillum oppidum, tribus ab Argentorato milliaribus, obducit callidus conſultor, diffuſis interim per campeſtria loca omnibus pene copijs. Accedunt eô internuntij Heluetij, vt amiciſſimam ſibi ciuitatẽ, veterrimo ſocio commendarent. videbantur enimuero Argentoratenſes, licet arcem haberent natura & operibus munitiſſimam; tamen, quod ante portas quodammodo, ad primum lapidem, minitantem, & ſiniſtrũ omen portendentem Gallicum exercitum proſpiciebant, Mediomatricum, & Tullingorum exemplum reformidare. Heluetiæ vero legationis hypotheſis fuit; Argentorato, propter annonæ perpetuãm hubertaten & copiam, tantum non familiariter, ſed neceſſario tanquam cella penaria, & nutrice ſuæ ciuitatis, vti ſe: ob id, cordi ſibi iure merito eſſe debere: neu grauius conſuleret in cõmendatos concIueis, intercedere voluiſſe. Quo laconiſmo ecquid induxiſſent legati, ſubtiliter intelligens Rex, Heluetijs bene ſperare iuſſis, Hagenoam, & Viſoburgum, quod oppidum quindecim fere millibus paſſuum abeſt à Nemetum Spira, diuertit.

*diuertit, indeq́ vltra primum milliarium, * Selatum, Caſtellum, vſque promouet. quò-* * Sele-ſtadi-um vul go.
loci præclara inſtituuntur Optimatum Synodia. Adeunt Regem frequentes legati Teutonorum: qui hoc fere argumento, dicerent; Quòd ſibi impendio fauerit, in recuperanda libertate, magnam debere, & habere gratiam Regi Rempub. German. ſed rebus iam vtcunque compoſitis, vltra aduocati officio, aut fauore ſibi minime opus eſſe. quippè ſuſpectæ erant Germanis machinationes Gallicanæ. & dabat exercitus ille tribulibus, ac propinquis calamitatem, quocunque euagaretur. Hic demum Rex huius itidem laconiſmi energiam captu ſuo conſecutus, tum ne dominatus cupiditatem ſuam manifeſtioribus indicijs proderet; ſciret vero Martinuanroſſemum Sicambrũ, Mariæ iuſſu, Rhemis infeſtiſsimum ſuam ditionem excurſionibus, incendijsq́ vaſtare, tanquam à Rhemorum volatu commonitus, ab inſtituto deſiſtit. & mutato conſilio, in graſſatorem Belgam ducere vt conſtituit, ab Nemetibus ſiniſtrorſum deflectens, Moſellam tranſmittit. itaque ſimulatq́ Lucæpyrgenſem prouinciam attigit: cognoſcit hoſtem, allato ſui aduentus nuntio, Athenæo capto, &

Campania afflicta, loco ceſsiſſe. Communicato igitur conſilio, quid tentandum primo ei eſſet, deligitur Lucæpyrgenſis oppugnatio. Relicto ob id Diuoduro (quã arcem expugnari vix potuiſſe iudicabat) Danuilarium, non infirmum oppidum, nec anguſtum, obſidet. Simul verò Vertodunum, Imp. obnoxiam, ingens municipium, Moſæ imminens, Lucæpyrgo finitimum, mediúmque inter Rhemos & Lotharingios, vſurpat. prid. Id. Iun. interim tormentis ferociſsime concuſſum, ex ea parte, qua arx ciuitati impendet, irruptionẽ parantibus Gallis, & ad ſcuta ad ſcalas euntibus, extremorum metu, Danuilarium ſe cõcredit VIII. iam nominatarum Iduum, ac decimo demum anno, poſtquam ab Aureliano, eius Regis fratre, captum, combuſtumq́; fuerat. quod omen accipiens Rex, ad victorem exercitum Vertoduno retrouolat. Danuilario præſidium imponit. inde Momedium arcem, de induſtria à tergo relinquens, Iuoſium contendit. iſta aſtutia deludit Cæſarianos. quippe Iuoſini, cùm praiudicaſſent, ſtante Momedio, non fuiſſe in ſe inſulturum hoſtem; vicinos munitione, & commeatu impleuerant, ipſi improuidi ſuarum rerum. quorum conſilium veriſimi:e*

* Tionuilla vulgo, ceu Teonuilla. ceu Theonis villa.

ſimile eſt excepiſſe ab exploratoribus Gallum. Erant illic tunc mercenarij milites Germani. Et Strincans ſupremam ibi auctoritatem obtinebat. Propugnabat verò Petrus Erneſtus, Manſoueldæus Prætor Lucæpyrgenſis, & Namurtium prouinciæ. qui, quantumuis licet, repentino hoſtium incurſu, idq́ ex improuiſo, obrueretur; infracto tamen animo, conſtantérque ſe & ſuos, ad defendendam ſtationem comparat. tormenta, tela, inſtrumentáque defenſionis, in muris diſponit; cuſtodias, vigiliáſque militum opportunis locis collocat. Impendet Iuoſio mons. quem vt occuparunt Galli, tormenta minora, ſed longius ſerpentia, eò pertrahunt: (quos vulgaris hodie, armamentorum bellicorum ſcientia, vocitat colubros) quo ſic propugnatoribus vndique negotium faceſſeretur. Et ſane funeſtus Iuoſinis ille mons extitit. quippe dum à ſummo & imo fulmē iactat, non modo in mœnia, verum etiam intra vrbana propugnacula, dirus fulgurat or Gallus, ita vt in vallo cōſiſtere vix, niſi ſummo vitæ periculo, defenſores poſſent: defenſioni diffiditur. Vbi verò hoſtis oppugnationē fatalē intētat, & ſicam propugnatorib. ſucclamatur illico, & frequenter à Germanis

M 4 (robore

(robore eius præſidij) fruſtra reſiſti. negatur poſſe ſuſtineri vis hoſtilis. in eo perſtatur. qua opinatione liquenteis fluenteiſq́ militum animos, cum Manſoueldæus Trib. per ſe alacris, ac promptus ad dimicationē, neq́ magnificis pollicitationibus, neque obteſtationibus, neque auctoritate ſua poteſt ad auitæ fortitudinis memoriam reuocare, illachrimans, exclamauit; Scelus. ſimulque diſcedens, Prætorium petijt. Strincans igitur quo ſe & concineis ſeruaret, (nec enim tam irruptio pertimeſcenda, quàm vniuerſæ interitus videbatur) in tanta præmoleſtia, totaq́ cauſa prætentata, nihil conſultiùs inuenit, quàm vt prouinciam gratiæ Regiæ permitteret. itaq́ deditione capto Iuoſio, Manſoueldæus, in poteſtatem victoris venit. reliquos vero milites, armis exutos, rudicula alba donatos, Rex dimittit, nō ſine nota infamiæ.

Tunc, cum obſideretur Iuoſium, Sedanenſium Regulus, legiunculæ Galiicanæ ab Rege præfectus dux, & tenuiculo apparatu inſtructus, Bullam (arcem munitiſſimam, & ſuam, à qua ipſe Reguli nomen participabat, etſi Eburonicorum Antiſtitum dominatu tenebatur) quatuor inde diſtantem milliaribus, vt tentaret:

tentaret: iacta alea, ſimul contendit. ad cuius primum conſpectum (cum nimirum hoſtis fulminis iactu perpuſillam maceriæ ruinam ædidiſſet, itaq; ſe comparaſſet ad oppugnationem) Sp. ille Gulielmus, arcis præf. à priſca virtute nobiliſſimæ Horionũ familiæ degenerans, nec naturalem loci ſitum, firmitatemq; reſpicit, nec oppugnatorum exiguitatem deſpicit; ſed triduum duntaxat ſibi depaciſcitur. quo, niſi auxilia comparuiſſet, exacto, deditionem facturum ſe recipit. Acceſſæus Lunam tradit inuictam per ſe arcem, fulmine magis verborum, quã telorum formidando hoſti. cui cum conuinceretur eſſe velificatus, Leodij ſubinde ſuæ vecordiæ pœnas capite expendit. quamlibet eius neceſſarij commiſſum conati ſint purgare, & coniunx curiam Imperatoriam etiam atque etiam implorarit, & appellarit.

Iuoſio capto, Franciæ Rex, multo mane ad arcem Momedianam ſe ſuperbe oſtendit. quæ vt eſt tormentorum tempeſtate aliquamdiu conquaſſata, recentiſſimo vulnere fratrum Iuoſinorum ſaucij, & Prætoris captiui fortuna perculſi, cum hoſte vita vſuram, arma, impedimentaq; depacti, ſtationem reliquerunt Momediani. Inde porro Rex cum non optime valeret,

M 5 leret,

*leret,(omiſſa interim oppugnatione Lucæpyrgenſi) recreandi reficiendiq́ ſui cauſa Sedanū diuertit. Mag. tamen Eq. vt Lumeſium, ingentem & firmā arcem, Moſæ impendentem, & Moſareæ finitimam, obtinuit, retro ad Guiſanum agrum verſus, lilia conuertit: vt depopulatione Picardica Belgas prohiberet. qui armis inferiores, non virtute, tempori & fortunæ tūc quidē inſeruierunt. Deflectit igitur ad Hannoniam Gallus: ac primo curſu Trelonem, caſtrum minime infirmum, inuadit. Conſequitur eò ſuos cōfirmata valetudine Rex. Conquaſſatur inaudibili feritate, et fragore machinarū Trelo. Capitur vi, & inſultu armorū. Hic demum in mentē victoris crudelitas irrepit. hic miſeranda defenſorū occiſio. munitio ipſa incendio, ac ruina ſubuertitur. nec euitat, nimium vicina arx Aglaia, concitati hoſtis furorem. Seſqui millenum paſſuū inter Trelonem & * Aglaiam, fere itineris eſt interuallum. Itaq́ collaudatos veteranos milites, vt erant ipſi hiāte ſemper auaritia, & imminēti Cimaum direptū mittit. quod oppidū, poſtquā tonitrua Gallicana tetigit, deſerunt: & arci ſe concredunt Cimani defenſores. ſed ea pari fulminū tempeſtate cōquaſſata, interea dū paciſcuntur*

*Vel iuxta vulgarem nomenclaturam, Clatonem.

tur

tur obſeſſi cum hoſte, opprimitur, diripitur, ac incenditur. tanto, tamq; præcipiti furore, & inconſiderantia, ita vt turris, quam ipſi, cum diſſipare minutatim vellent ſulphureo puluere referſerāt, ſubitum, & fatale incendiū, plureis centum audaciſſimos milites, violenter abſumpſerit. Cimao ſimul cū arce exciſo, ob cœli tempeſtatē, & menſtruo diuturniorem imbrem (id quod præter cōditionem æſtiui temporis fuit) oppidò quàm ægre Rex miſſionem militi, extremo Quintili dat. ſic tamen vt meliorem exercitus partem præoccupatis præſidijs imponeret, it ad Lutetianam quietem integer. quem tot victoriarum inſignia reportantem, effuſa immenſa illa ciuitas, publica congratulatione, & triumphali pompa reducem proſequitur.

IMP. *ſubpoſteaquam (vt indicauimus) iterū cum perduellionibus Germanis cōcordauit (quod tāto Heroi facillimum ſemper fuit) oppido quàm celeriter præpotentem & copioſum exercitū conflauit, cui denuo Daluam pro ſe ſubſtituit, eo quidē conſilio, vt, recepta Mediomatricū ciuitate, in infeſtiſſimam Franciam inſultaret; quo ſic tandem aliquando indignationē, exulcerato animo inſidentē, ebulliret.*

ac mitigaret. quod tempore odoratus Franciæ Rex, non intermiſſo, nec diurno, nec nocturno labore, peramplam illam ſtationem caute præmunit. vallum, aggeres, loricamq́; inſtaurat. ſi quid vſpiam metator minus commodũ, habile, aptúmue defenſioni iudicaſſet, aut periculis obnoxium; id nullo reſpectu reſcindit ac vaſtat. veteres diruit, nouas moleis exſtruit. pomerium (quo ſic colligendi ſui & facile explicandi copia propugnatoribus eſſet) ampliat, ac complanat. denique veterana manu ſtationem implet: & delecto præſidio firmat. Cuſtodiam verò dat & cõcredit Franciſco Lotharingico. is patri in poſſeſſionem Guiſanam ſucceſſerat, & XII. VIR. & cubiculariorum Regiorum erat Princeps. Cuius erant manus, delectæ nobilitatis flos, bellicoſi quiq; viri, ac duces, ſummo loco nati omnes. puta Anguianus, & Condates, Vendomij fratres, Montepẽſirius, Nemurs, Horatius Farneſius, Momoranſinus. Mag. Eq. F. paulo inferiores cuncti Regibus. inter quos nominatim excelluit P. Strozza, & virtute militari, & belli experientia. is erat ſodalis Regalis, Religionis Michaëliticæ candidatus. in cuius ſagacitate potiſſimum videtur rei ſumma quieuiſſe.

Senates

Senates (antiquiſſimus Etruriæ populus) 6. Cal. Quintil. tunc fere temporis ab Imper. (ſub cuius miniſterijs duram iampridem ſeruitutem patiebantur, arce, ab dominatore inibi exſtructa, & præſidio Hiſpanienſi firmata, praeoccupata, ac diruta) ad Gallum aduocatum, & adminiſtrum facinoris propalam vt defecerunt, libertatem ſcilicet receperunt.

IMP. *extremo Quintili Vocorio profectus, 13. Cal. Sextil. Auguſtam Vindelicorum redit. cuius ciuitatis ſtatu ad ſuam voluntatem confirmato, ac mutato, Saxonem, perhumane dicto vale remittit. qui multo ante, dũ adhuc flagraret bello Mauritiano Germania, fuerat quidem ſolutus. ſed, ne præcisè Mauritio, ſibi ob damni facti iniurias ſumme odioſo, publicæ gloriæ verteret ſua miſſio, vſque eo ne latum vnguem è Prætorio diſcedere voluerat. Inſtat deliberato Imp. ac è Vindelicia, Tribocos, Argentoratumq́, præteriens, licet tanquam per remores prohibitus, ſolicitabatur à primis ducibus, & particulatim à Mariniano Inſubre, exercitatiſſimo milite, ad prorogandam expeditionem (donec commodius anni tempus eſſet) 14. Cal. Nou. in Mediomatrices poſtremum duxit. ſub ipſas Metas caſtrametatus,*

tatus: ipſe verò quòd peiuſcule haberet, Diuodurũm, quod quatuor indidem abeſt miliaribus, quietis cauſa ſecedit, euocata eòdem iuuentute Belgica. cui, præ cætera nobilitate, hi præfuerunt duces, domi, militiaq́; clariſſimi, Ecmondenſis, Arenoperganus, & Brederodæus, ſodales Auguſtales: etſi ſuos interim Belgas, maxime vero Pleumoſios, Artuſiam, Hannoniamq́; ſimul contra Gallorũ inſultus, defendere neceſſe habuerit. Præclarum immenſæ Belgarum potentiæ argumentum. Et æterna obſeruatione dignum hoc exiſtit. Imp. omnibus in bellis, terra mariq́;, aut aduerſum barbaros Aſiaticos, Lybycóſue, aut contra æmulatores Europæos ſuſceptis huius officioſiſſimi Belgij opera, robore, ac tributis vſq; eſſe vſum. ꝙ ſummũ gentis decus cur potiſſimũ Hiſtoriographi, & nominatim Italici, vel profundo ſilentio inuoluant, vel ſupremis duntaxat digitis attingant, atq; oſcitanter dicant; niſi quia diuerſo ac remoto cælo habitant, itaq; ſtatum rei penitus cognoſcere nequeunt; diuinare nõ poſſumus, & ſummopere admiramur. Contra Gallus alia ex parte excubat. quippe auctoratũ exercitũ, nec eum exiguum in eodẽ ſolo, ad fanum D. Micha. Mag. Eq. qui in Barrenſem agrum

grum

grum ſubinde egreſſus. iubebatur infra arcem Claromontanam & Varianum oppidulum accurate ſeruare Cæſariana itinera: & progreſſum Imp. infeſtare, vt poſtulaſſet occaſio, leuibus prælijs caſtra hoſtis, & munitionē reliquā interuertere, priuſquam caſtris importari poſſet: frumentatores, pabulatoreſq; obſeſſis anfractibus itinerum intercipere. deniq; modis omnibus, obſeſſoribus negotium faceſſere. Militauit vnà cum valida clientum manu, in illis caſtris Imp. reconciliatus, Albertus Brandepyrgicus, poſt profligatum, captumq; exploratorem Gallum Abumalum, nihil minus cogitantem, quàm Albertum veſtem & ſacramentum mutaſſe.

Illo ipſo Octobri Rullus Belga, Picardiæ agro vaſtato, Nouioduno, Nella, alijſq; oppidis captis, ac combuſtis conuerſis ſignis Heſdinū oppidum itidem occupat, inuicta arce. quam fulminum horrendo iactu concuſſam & exagitatam defenſores Galli, lucis vſuram, & ſarcinarum incolumitatem depacti, continuo tradiderūt. at Vēdomius nō multo poſt, Rullanū pſidiū, alieniſſimo tempore indidē extrudit.

IMP. *conualeſcens, Diuoduro 12. Cal. Decēb. ad caſtra recurrit. Qua in obſidione, quod primum,*

primum, quod poſt faciendum fuit, ad capienda Pergama illa, factum atq; tranſactum eſt. quippe nullum violentiæ genus, quod quidem ſciam, prætermittit Imp (tonat, fulminat, agit vineas & cuniculos) ad opprimendā Gallorum ſtationem, excepto armati viri (ex quo virtus appellata eſt) impetu. nec enim muralem coronā, cætera ſtratagemata omnia periclitatus, propoſuit. Contra, defenſores tempori identidem ſolerter inſeruiebant. horum ſagacitate fiebat, vt cuniculorum inſidiæ, per latibula occultorum locorum deprehenſæ, reſerato hiatu, vnde quaſi è vaporario iniectæ erumperent flammæ, euaneſcerent: diligentia, vt non intermiſſo ſui defendendi labore, murorum tempeſtate crebri fulminis æditam ruinam, tantum non inſtaurarent; ſed etiam aggerem & loricam, cæmento, & materiatis molibus firmiorêm, cùm autumarent irruptionē tentaturos fuiſſe poſt Claudiana tonitrua Cæſareanos, qua maxime vrgebantur, obijcerent atq; opponerent. Itaque Imp. vt videt ſe ἀπρηκτὸν πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι, *præterea tempus vernum (cuius immodicum gelu ac frigus meliorem partem exercitus afflixiſſet) cogitationum intentioni officere, & verſari*

ob ocu-

ob oculos Libitinam, in extenuata ſupra mòdum caſtra, quotidie debacchantem, vicit poſtremò vindicationis deſiderium neceſſitas: & cedit mentis obſtinatio piæ rationi. nam ne ſobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante diſcedit; multum apparatum belli, multam munitionem in flumen abijcit, quo ſic infirmas & multis incommodis debilitatas copiolas facilius reduceret. nouiſſimoq́; in. A. 1508. 4. Non. Ian. mouet caſtra. & ad vaſa conclamat: vt ei tunc nihil ſucceſſerit. Soluta obſidione iſta, Galli propugnatores, obſidionalibus coronis digni, immortalem gloriam fortitudinis inuenerunt. Guiſanus vero præſidij præf. laudem virtutis eximiæ, humanitate, & liberalitate amplificauit, hoſti etiam beneuolus. quippe, qui vel morbo præpediti, vel ſaucij, vel ſemiuiui ab optionibus in tentoriolis, ac campis erãt relicti, abeunteisq́; ſocios cõſequi nequiuerãt, hos omneis benignè excepit, pecunia & re omni iuuit, ac refecit. Hominũ verò, qui partim in caſtris Imp. partim deinceps extra caſtra, morbo tamen, ibidem ex incommodo corporis nato, hinc inde fuerint extincti, mortes oppetitas quadragies mille, & eo amplius, vulgaris recenſet opinio. miſſã

N facio

facio generoſiſſimorũ equorũ ſtragẽ, innumerabilemq́ aliarum rerum iacturã: quarũ non tã acerbitas, quã famæ & exiſtimationis factũ dãnũ, Imp. coxit, ita vt grauiſſimæ iſtius iniuriæ cogitatio cor eius, alioq; excelſum, perederit: re maxime infecta, cuius præciſe auſpex ipſe extitiſſet. eapter deinceps fere latere, corpore & animo ægrotare, Philippum F. heredẽ inſtituere, abijcere ex humeris faſces Imperij, & Auſtriadæ fratri onus illud imponere: ac poſtremo omniũ (vt ſuo loco narrabimus) faſtidio quodam, mare tranſmittere, in Hiſpania Bætica ſolitariã priuatamq́; vitã terminare.

Senatibus (quòd abſe ad Gallum, vt paulo ante eſt indicatum, defeciſſent) pertinaciter infenſus Imp. negotium ſtatim dederat P. Toletano, ſuo apud Neapolim vicario, ad excuſſum ſeruitutis iugum, eã ciuitatẽ armis retrahendi. Facit imperata Toletanus. habet delectus in delegata prouincia. præſtãt officia tribus permultæ Italicæ. itaq; ad cõmiſſam expeditionem è Cumanis in Etruriã, mari infero tranſmittit. Coëunt cõtractæ, conuocatæq́; copiæ. In Senatẽ agrum inuadunt. Montẽ Alcinoi obſident. Sed Toletanus, vbi primas iactauit haſtas, ex caſtris Florentiã pfectus, vt Coſmum

mum eius ciuitatis Regulum (cum variare & conniuere, nec alterutrius partis eſſe velle videretur) ad ſuam ſententiam pertraheret, vel ſatius, retraheret, nō multo pòſt moritur. ita vt areſcente capite, membra tunc quidem neceſſe fuerit euaneſcere. quippe eo ducis interitu interrupta tunc quidem ſuſcepta oppugnatio, alio reſeruata eſt, militeſq; ſubinde miſſi.

IMP. *(qui modo in Mediomatricibus male pugnauerat) in Morinis bene pugnat, hoc initio. Iuſſu eius, antiquiſſimam illam Morinorum ſedem Terauanā, extremo Aprili, ex improuiſo obſidet Rullus Belga. obſidionis occaſionem inde aucupans, quòd meram præſidij ſolitudinem illic eſſe explorato didicerat. quo rumore pculſus Rex, nihil antiquius habuit, quā vt obſeſſis tempore ſuccurreret. Deſtinat eo auxiliariā manum cum peditum, tum eqtum. cui Decium, nobiliſſimum virum, ſodalem Regalem, bellicoſum, expertum & circumſpectum præficit. huic adiungit collegam Momoranſinum, Mag. Eq. Frāc. prima ætate F. vna cum ordinaria nobilitate. Peruadit, quô intendit Decius, maxime quòd laxiora adhuc eſſent Rullana caſtra, & lentius vrgerentur obſeſſi. Prouidetur in neceſſitate præſidio, &*

confirmantur tum militari diſciplina, tũ Regulorum, ducumq́; præſentia defenſores. Pleumoſijs, Artuſiæ, & Picardiæ finitima, paululũ infra Lyſæ fluminis, quod eius pomerium rigat, poſita eſt (vel fuit potius, cuius iam locus ſolum ſupereſt) fontes ea ſtatio Gallicana, 4. ab Odomari Fano milliaribus diſtãs. nec anguſta quidem illa atq; ampla, ſed breui terræ ſpatio deſcripta, arx tamen firmiſſima, vt oſtendemus. quam vt caperet, dũ tota mente incumbit in hanc curam Rullus, in morbum fatalem incidit: quo paucis interpoſitis diebus eſt extinctus. itaque ſumma auctoritas, in Pontium Lalanium Binicurium, Rulli collegam, eſt trãslata. qui, vt oppugnationis inſtrumenta omnia diligenter, vigilanterq́; paraſſet, opera, machinas, tormentaq; in plureis diſpoſuiſſet, fulminat continenter totos dies decẽ. nec enim aliter vibrarent fulmina, niſi tot numeris iterata, contortaque ferrentur in murum, tam denſum, vt quadriga, in eius latitudine, facile potuerit circumduci. Hic Claudianorũ tonitruum pertinacia, cum operæpretium feciſſe ſe videt Binicurius, & ruinæ tantum ædi diſſe, quantum ad introferendam militũ manum eſſet ſatis, vir multo vſu diſciplinæ militaris

taris tentat irruptionem. Sed paratus & inſtructus Decius, confirmatis ſuis, pari virtute oppugnatoris vim tantum non ſuſtinet, ſed etiam repellit. licet enimuero ne punctū quidem temporis reſpiraret ſuſcepta oppugnatio, & Cæſareani milites magna feritate, dum integri feſſis ſuccederēt, horarum decē & eo longiorem dimicationē redintegrauerint, hoſtis deuotione (qua Deciū illum Romanum videtur eſſe imitatus) nihilominus pro re nata inferiores exſtiterunt. Maius tamen damnum, in interitu Decij præf. ceu maſtigonomi, in cæde ordinariæ nobilitatis, in morte veteranorum, propugnator, quàm in occiſione Ferentariorū fecit oppugnator: quamlibet hic (vt neceſſe fuit euenire) illo longe plura vulnera, & plus incommodorū acceperit. Cadmæa ſane fuit illa Terauanēſibus Victoria. interim trepidatur, & in ſumma rerū confuſione, perturbationeq́ animorū agi cœptū eſt. Porro, cum Cæſareanos laterēt (vti fere fit) hoſtis incommoda, atq́ anguſtiæ, & in cauſa nihilominus cōmorarentur, Binicurius, ſi manu id conſequi non poteſt, dolabra omnino (Domitij Corbulonis imitatione) vult vincere. molitur igitur lentā, laborioſam, & moleſtā, oppugnationem.

nem. Eius iuſſu foſſas aperit eminus præf. fabrũ, & aggeres (id eſt nobis, quod priſtis fuit bellatoribus pluteus) uſque ad ipſa prope mœnia perducunt opera ruſticana. vbi vero ſecuros ita reddit foſſores, cominus etiam agit cuniculos ad ſolum murorum. quorum fundamenta ſcalpello, ferramentis, & longæ molitionis labore improbo ſuffoſſa, & labefactata, tignis, ſtipitibus, truncisque arborum fulcit. porro ſimulatque in ſubterraneum illum ſpecũ iniecto igne ſubſtructa materia deflagrauit, corruit, eodẽ temporis puncto, nõ modo directa murorum ſymmetria, verum etiam incredibili fragore vallum (quum firmiſſimã molem Galli ab illa parte exſtruxerant) ruinæ hiatus abſorpſit. quo caſu perculſus Momoranſinus, in Decij locum ſuffectus (licet pcipitantib. reb. Rex vtcunque prouidiſſet, & CCC. militum auxilio extenuatum præſidium, peruadentibus eò, ſumma virtute, Brulio, & Sanromano ducibus ſuppleuiſſet) cum propter vulnera militum, & propter ſepultura occiſorum, defenſioni diffidit, pacem petit, & conditionẽ. Sed interea dum pagitur, Cæſariani milites (qui iam modo ad fatalem irruptionem parati, inſtructique ſub ſignis ſtabãt) ſe mutuo cohortati, diuerſis ſimul ex par-

ex partibus, ferociſſime inuadunt odioſam ſtationẽ. itaq; occupant (nulla fere moleſtia) tanta diritate, & violẽtia, vt nulli nec ætati, nec ſexui, nec ordini hominũ ab incitatis Germanis & Burgundijs initio parceretur. immanis promiſcue facta occiſio Terauanenſiũ. Hiſpani tamẽ milites præclara animorum cõtinentia, modum carnificinæ facere, dicas captiuis ſcribere, vitaq; ea ratione multos ſeruare. Terauana igitur hunc in modũ 12. Cal. Quintil. vi capta in poteſtatẽ Binicurij venit præ cæteris Momoranſinus, & vna cũ eo Dampierius, ac Loſſus, qui principẽ illic locũ obtinebat, ac Martingus Procomes, magnæ imagines omnes. & in his aſſidua nobilitas, & delectorum euocatorumq; principũ militum manus. cæterùm ex toto captiuorum numero plures, quorum peregrina fortuna, aut domeſticæ facultates, victoribus (vti fit) erãt incognitæ, minimo ſunt redempti, ac miſſi. Hãc Terauanẽſium Morinorum cladẽ publicus Franciæ dolor excepit. quæ ſi aſſiduos habuiſſet defenſores, ſtaret fortaſſis adhuc arx illa. quã eandẽ Im. Cæſ. Maximilianus (huius 11. atauus) & Henri. 8. Britãnicus, profligato Ludouico 12. Callorum Rege, exactis annis 40. deditam, incendio, rui-

niſq́; defœdauerant, relicta inibi ſola diœceſis auctoritate. Sed ea de integro ſubinde inſtaurata, & noſtræ tempeſtatis, nouo more, longe à vetuſtate diuerſo, nimirum vaſtiſsimis murorum, vallorumq́; molibus, creberrimis operibus, propugnaculis denſiſsimis, & tormentis munitiſsima, vſq; eò inuicta, nō vnius hoſtis impetum, vim, conatumq́; fefellerat: ita vt Franciſcus I. inter familiaria colloquia ſæpiuſculè iactitauerit, duobus puluillis præcisè nixum ſe, velut in vtramque aurem obdormiſcere, & ſecurum conquieſcere.

Interiecto Maio, Margaritam filiam Regina Franciæ peperit. ſub eum Franciſcus Donatus, Veneti Senatus Princeps, ſupremum vitæ diem clauſit. cui ſecuto menſe ſucceſsit, in ſummum illum magiſtratum M. Anton. Taruiſinus, vir Senatorius, laudata integritate, & ſingulari exiſtimatione commendatus.

Prid. Non. Quintil. cùm Eduardus 6. non plenè ſextum decimum egreſſus annum, derepente in morbum lapſus, contabuiſſet: non admodum à vero diſsimilibus coniecturis, maximè, conſequentia euentorum firmata, fuit multorum opinio, à maleuolis veneno ſublatum. ſed eam opinionem falſam, grauiſsimorum,

rum virorum, quibus res ipſa innotuerat, au-ctoritas (vti ſubinde accepimus) confutauit. Vtcunque extitit, in immaturo Regis (cuius adoleſcentuli indoles, bona morum gratia, virtutis præſtantia, ſummam expectationem omnibus repromittebant) interitu damnum graue fecit Anglia.

VII. Id. Quintil. ad Viſurgum flumẽ, manus conſeruerunt Mauritius Saxo, & Albertus Brandepyrgicus. Conflictus immanis, vtrique fatalis, iſte extitit. Albertus funditur ac profligatur, ita vt deinceps nec iuſtũ exercitum conflare, nec vireis reparare vlla ratione potuerit. Saxoni verò & breuis, & cruẽta illa fuit victoria. quippe dum ipſe inter cõfertiſsimos hoſteis ſtrenue, fortiterq́; pro ſua & auorum gloria dimicat, tormento ictus, aduerſo tergo letale vulnus accipit, biduoq́; poſt occidit: nulla relicta prole maſcula. Hunc demum ſortita eſt exitum diuturna illa amborum amicitia, neſcio quib. iniurijs ſoluta, niſi quia vultu ſæpe læditur pietas. cùm oculis ſe mutuo, in ſinu, & in capite (quod aiunt) tuliſſent, pace ac bello. cùm par amicorum Germanicorum vulgo haberetur, lege Licinia (de ſodalitijs) indiſſolubile. Iam dicto in conflictu

perierunt, præter innumerabilem nobilitatis manum, Carolus Victorius, & Philippus Magnus fratres Germani, ex Brunoniſuicana Regulorum familia oriundi, Mauritium ſecuti. qui cum auiti principatus, tum ſeptemuiralis dignitatis, qua fuerat ab Imper. honoratus, ſucceſſorem habuit fratrem Auguſtum, hoc auſpicato nomine digniſſimum.

*Terauana capta, Cæſariani milites partim refectione ſui, partim exciſione infeſtiſſimæ ſtationis, conſumpſerant circiter menſem vnum, in ruinis ſedendo. Interea, vbi cognouit Imper. Trib. mill. altercatione, æmulationeq; inuicem ſimul contendere, ob dignitatis paritatem, quis cui debuerit præferri: itaque animorum arrogantia, nolle mutuo obedire: Allobrogem, Taurinorum Principem, Epiſtalmate creatum totius exercitus Proimperatorem, mox ad caſtra amandat. qui Terauana caſtra mouens, Heſdinum (quo paulo minus diurno itinere indediſtat oppidum) adoritur. id primo in curſu eſt occupatum. ſed ſuperabat interim arx non infirma. illa clauſi tenebantur præpotentes Franciæ clientes plurimi. puta Rubertus * Martius, Bullanus, IIII. VIR. & Horatius Farneſius, Regius ex filia naturali, gener,*

* à Marca dux Bullonenſis vulgo.

gener, cum nobiliſsimo comitatu, & delectæ militiæ præſidio. Allobrox igitur vacuo oppido capto (quod ob infirmitatē, prædæ relinquitur hoſtis, in quo camporum eſt dominatus) arcem circumductis caſtris vrget: Binicurij ſubtilitatem, in oppugnatione Terauanenſi, prope ſecutus. quippe cuniculis incenſis, longū muri ambitū, & caſtris oppoſiti obiectiq́; propugnaculi partem, vnà cum defenſoribus inſidentibus, dicto citius ſubuertit. Quod inflictum ſibi vulnus, poſtquam chironium eſſe vident propugnatores, continuò ad compoſitionem animum adijciunt, digitosq́; attollūt. cæterum, dum incautè paciſcuntur, immemores recentis fortunæ Terauanenſium, Heſdinenſes, incitati caſu, aut per ſe Cæſareani milites oblatæ occaſioni inſiſtunt, & in arcem facilime inuadunt vndiq́;, perperam occlamante, & querimonias agente Martio Bullano, præſidij præf. id in extremo ferè Quintilis ſpiritu eſt actum. Ex arcis defenſoribus verò magna in primis nomina occiſa leguntur hæc: Horatius Farneſius, pila ænea confoſſus (talia gignit bellum) deinde Damperius, & Martingus, quos paulò antè captos Terauanæ dixim. qa victoribus minus noti erāt; paruo ſua capita redemerant.

merant. itaque illic fumum fugientes (quod dicitur Prouerbio) hîc in ignem plane inciderunt. Interfecti ſunt ibidem Moneuillamus, & Magnus, aliaq́; Francicæ nobilitatis capita. Captiuorum autem Principes hi ante alios fuerunt: Bullanus ille, Regulus: Rionius & Lobæus, Toparchæ: Vilarianus Comes, & Baroculanus. Magna profecto fuit iſta temeritas Gallicana, omnium iudicio, atq; inconſiderantia præceps, tot & tales Heroës, nulla auxiliorum ſpe, perpuſillæ arci concredere. quæ, vt cuniculis non oppugnaretur, ne minimum quidem fuerit obduratura, contra fulminis iactum: quæque haud ita pridem, propter infirmitatem, nõ multo dierum interuallo, bis capta, ac viciſſim recepta fuerit. Sed caſtigatæ huius temeritatis culpam, ſtudia officiaq́; Gallorum erga Dominos delent. ea ſunt ad inſeruiendum propenſione animorum, omnes. & in his gratiſſima eſt nobilitas, quæ (vbi vbi res ita & tempus poſtulat) vltro ſe Regi offert, in gratiæ & beneficij loco petit officia. & ſumme contendit: vt munera conſequatur militaria. itaque mirum nemini videatur, ſi, cùm ad defendendã Remp. tum ad ſeruandũ decus Regni tanta ſit vbiq;, pace ac bello, Gallicanæ nobili-

nobilitatis frequētia. Eam arcem itidem Cæſariani milites, à fundamentis diruerunt, vt amœniore & aptiore loco, ad amnem Cancem, nouam, ſed cognominem, priore longe firmiorem (id quod ſecuto anno præſtiterunt) ſtationem, ad perpetuam rei memoriam, ipſi conderent ac inſtaurarent.

His confectis rebus Allobrox, ad Dorlenij expugnationem animum adijcit. id ab Ambianis ſex diſtat milliaribus oppidum. quorum in agris cum Franciæ Rex exercitum collegiſſet, & intellexiſſet in Rhemos iter facere hoſtem, Mag. Eq. cum parte copiarum in Allobrogem præmittit, vt eius conſilium interuerteret, tranſitúque eum prohiberet. qui Somonam traductis copijs, ſimulatq; in Cæſarianorum venit conſpectum, collocatis inſidijs, derepente claſſicum canit: init prælium. quod ſane anceps, acre, & longum, multis vtrinque cadētibus, extitit. ſed præmeditato magis ſtrategemate, quàm virtute vicit Gallus, ac Cæſarianorum plureis cepit. & in his Areſcotanum Regulum. is tamen callide è cuſtodia lapſus (qua, ad Caſtellum Vincennatis nemoris, quod duobus abeſt ab Lutetia milliarib. erat clauſus) ſubinde euaſit. Rex verò, ſimulátque

dena

dena millia Heluetiorum caſtra auxiſſent, ineunte Septembri, contractas vndiq; copias apud Ioſedum recognoſcit. militabant in illis magnæ imagines. Equitum numerata ſunt in eo exercitu dena prope millia. Peditum verò numerus ſeſqalter extitit. Has vireis in Artuſiã ducit Rex. Bipalmam, per tranſennam, ſtrictimq́; duntaxat reſpicit: nec veſtigium ponit, ob aquationis nimirum difficultatẽ, qua ille ager natura laborat: vel forte, quia aliquo itineris interuallo Cæſarianos (etſi pro re nata numero Gallis longe eſſent inferiores) ſe ab latere inſeq cognouerit, ac verſare exercitum. poſtremo autem Perona Cameracum mouet. quam vrbem vt multis indicijs, & obteſtationibus capit inimicam, ſolicitat cœli expugnationem. concurrit tamen leuibus prælijs alacer defenſor ſtationis, ſic vbi poſtulabat opportunitas. inde verò, poſtquam agros eſt vltro citroq́; depopulatus, poſtquam villas, & caſtella incendit, Cameracion lilia conuertit. vbi fruſtra dies aliquot obducit, exſpectans occurſationem Cæſarianorum, quibuſcum volebat acie diſceptare. qui quòd eſſent minus inſtructi ad fatalem ſupremámque dimicationem, ſolerti cunctatione hoſtem bellaturientem*

* Corbia Gallis.

tem deludere, & rem ſuam interim curare, & in campo, circa Valentinam, communitis caſtris ſe continere: ita vt neq; è vallo egrederentur, neq; excurſione, aut conſimili inſolentia hoſtem prohiberent. Galli igitur, quib. indies animi inflammabantur ad pugnam, maxime quòd nouam illam Cæſarianorum continentiam ex metu eſſe diuinabant, mirandum in modum criſtas attollere, ad euentum Martis ſe comparare: impedimenta, vaſa, ſarcinaſq; in caſtris cum præſidio relinquere: in harenam priores deſcendere: Imperatorémque (qui ad ſedandas alteras iam ſeditiones militareis, tum forte ad caſtra tranſierat) ad certamen inuitare. qui Galli, inito prius atroci prælio, dum nimio pugnandi deſiderio inſtãt, & inconſideratius accelerant ad vallum, Cæſariani fulguratores (tempori occaſioníque inſeruientes) vſque eô reſeruata fulmina vibrant. itaque in naſſam pertractos, incautoſq; Gallos diſpellunt ac diſsipãt. Quo incommodo perculſus Rex, dum cognoſcit ad extremum caſtris, vallo & foſſa ſeptis, hoſtem hærere decreuiſſe, nec elici ad dimicationem facile poſſe, proſpicitq; impendere Autumnalem tempeſtatem (anni tempus perincommodum, & quod

& quod expedire videbatur) receptui cecinit. Sed interim direptionibus, incendijsq́; cũ modum nullum imponeret, quacunque ducebat, exercitus, ad Fõtes Somonæ (id oppidum ab Sanquintino duobus diſtat milliaribus) 13. Cal. Octobris traductus eſt, ac miſſus. ipſe verò, cum equitatus parte, & peditum legiũcula, reliquias miſeræ & infelicis Artuſiæ perſequi ac peruaſtare iuſſo Sanctandrea IIII. VIRO. duce, ad Lutetianas delicias ſe contulit.

Voleratvs *Manſoueldæus, Brandepyrgicæ factionis conſors & particeps, Henricum Brunoniſuicanum regno iterum deturbarat exacto anno. Cæterum is, ſui repetundi occaſionem inde aucupans, quod non multò antè (vt indicauimus) Albertus Brandepyrgicus, male ad Viſurgum pugnaſſet, inſtantis anni menſe Septembri, aliquã multorum Germaniæ Antiſtitum proſtaſia, & Norimpergicæ ciuitatis auxilijs ſubleuatus, poſtquam aliquid copiarum contraxiſſet, prope ſuum Vicum, in natali auitoq́; ſolo, Alberto occurrit, excurſori. qui (quòd militum numero longè eſſet inferior) denuò profligatus, & in fugam eſt coniectus. interim victori non incruẽtam victo-*

victoriam reliquit. cuius inſiſtens veſtigijs Brunoniſuicanus fortunæ, amiſſum regnum facillimè recepit.

Interea dum belli ardor Germaniam, Galliamq́ perfundit, in Anglia pariter tumultuatum eſt hoc fere initio. Mortuo (vt paulò antè innuimus) Eduardo 6. ſtatim teſtamenti tabulæ (quaſi Rex adoleſcentulus illud ipſum chirographo confirmaſſet, idemq́ probaſſent, ac obſignâſſent optimates) à teſtamentario ſupponebantur. quo teſtamento neſcio quàm inefficacibus & leuibus adductus rationibus Rex, Mariam, & Elizabethan ſorores germanas exhæredarat: & Ioannam, Henrici Sudofolchij, filiarum natu maximam, ex paterna ſorore (indirecta affinitate) proneptē, ex aſſe ſcripſerat hæredē. ita vt in ipſam Regni poſſeſſionē, Catharina ac Maria ſorores, poſt Ioannā, mitterentur. quæ nuperrime Guilephordo Dudeleio, Northumbrici Reguli (eius, qui Regni adminiſtrationem ſibi multò antè arrogauerat) F. in matrimonium fuerat collocata. Vnde conſectarium fuit, hunc hominem, tanta auctoritate præditum, multorum machinatorem & architectum exſtitiſſe, quo ſic nomen Regium & primarium ius Angliæ in filiū ali-

quãdo trãſfunderentur. Ob id, nẽpe, 6. Id. Iul. Ioannã illam nurum, vel inuitam nolentemq́; (quæ cùm literis, iudicio, & prudentia præſtaret Heroïs, iuſtis adducta rationib. & Regnũ, quod oneri, non honori ſibi futurum animo præſagiebat, excipere aperte recuſabat, & artificioſas ſoceri ſubductiones refutabat) ridiculi illius teſtamenti prætextu, Reginam in foro dixit, ac promulgauit. Quæ res initio rudi non modò populo noua, ſed etiam(quia teſtamentũ illud vſq; eò in latebris latuiſſet, nulla certa lege, centumuiris de eo cognoſcendi adempta poteſtate) monſtrum alere, & iniqua omnibus videbatur, hinc continuo mæror publicus, hinc cõmurmurationes, & exſibilationes paſſim natæ: ea eſt iuſtæ rationis efficacia, vt ſupprimi quidem, verum omnino opprimi nequeat. Interim Maria, ſpectatæ virtutis & excelſi animi Princeps fœmina, ſibi nulla in re deeſſe: quinimmo, vt ita res ſuas redderet ſecuriores, ad caſtrũ Framingam, in Aquilonaris Oceani ora, Norfolcæ ditionis poſitum profecta, Regiũ decus, agnatũ ſibi iure merito palã vendicare. id præ ſe ferre, Reginã ſe(quoad eius, tumultuante Regno, fieri potuit) publice, per nomenclatorẽ, nominare. & fidem, opem,

pem officiaq́ſubditos repoſcere. Quod vt Northumber olfacit, ex concitata multitudine derepente exercitū conflat. eum, Londino egreſſus, ad hoſtem (Mariam viraginem) furiosè rapit. At cum primum ille extra vrbē pedem extulit, Conſiliarij & proceres Anglicani (qui ad eam manſerant, & quibus Ioan. Scyphus, Imp. legatus, domini voluntatem, ac propenſionem, & quo eſſet tum animo erga Mariam cognatam, praſignificauerat) ob id, quòd odorabantur infinitam multitudinem ad eam concurrere, conſultò mutarunt veſtem. itaq́ Maria, poſt detruſam in vincula Ioannam, magna praconis voce, 13. Cal. Sextil. ad prytaneum, in Vrbe, ſummo applauſu populi renuntiatur Regina. nec multis interpoſitis horis iubetur Nortumerlanus, in caſtris idem denunciare ac profiteri. monetur, vt arma tēpore deponat. reuocatur ad lenitatem miſericordiamq́ Regina Maria. Qui nuntius ſimul atq́ in caſtra eſt relatus, meliore parte comitatus pro re nata deſtitutum, reliqua ſatellitum turba ductorem plane deſeruit. cui non multo poſt Pratoriana illa cohors (ſtipatorū corporis Eduardi 6.) emerita, quamq́ ab vrbe diſcedēs ſeduxerat, manus inijcit apud Canta

brigam oppidum. Capiuntur vnà cum eo filij tres, eius frater, & alia magna nomina. quos omneis, tanquã per tabellarios indidem Londinum pertractos, Comes Arondelæus, quemadmodum ab ſenatu mandatum receperat, magna voluntate populi, 8. Cal. Sextil. ad ergaſtulum dedit. Secuto verò quatriduo, Ioannæ pater in vincula itidem eſt coniectus.

Cal. Sextil. ſub poſteaquam Maria, magnifico introitus apparatu, Londinum deducentibus dominam præpotentibus Angliæ clientelis triumphali pompa, & acclamatione populari, intro recepta eſt: ab ipſo regni exordio ad arcem (quam vulgus turrim appellat) ex conſuetudine, acceſſit. itaq; in poſſeſſionem (iniuria prærereptam) pedem poſuit. Hic, ſine mora, captiuorum plureis, & in his Nordofolchium illum ſeniorem, Regulũ, quem (vti ſuo loco eſt notatum) ſibi ſuſpectum, ac filio orbatum, moribundus pater carceribus multauerat: perhumane remiſit.

Cal. Octob. ſolennibus cæremonijs inauguratur Maria ab Optimatibus Britannis octennio prope maior tricenario (non autem quadragenaria, ſicut à nonnullis memoriæ eſt proditum) cum eius natalis inciderit in ſextum

decimum

decimum annum, idq; Februario, poſt ſeſquimilleſimum.

Anglia fluctuante, Turcica claſsis euocata ac Gallicanæ, ad infeſtandum mare Mediterraneum, coniuncta, Corſicæ bonam partem Liguribus ademit. maxime vero portus nobilioreis, Sanbonifacianum, & Sanferentanum occupauit. quæ omnia, tanquam bello parta, Franciæ Rex ſibi vendicabat.

Subpoſteaquam inaugurata eſt Maria (recepto more) comitia magna Londini ſunt habita. Hic ſenatus, leges, quas Henrico & Eduardo Regum vltimis, irrogaſſet, paſsim contrauenit. ſpeciatim enimuero matrimonium illud regiæ matris, legitimum, iuſtū, ratumq; extitiſſe cenſuit, tabulas ea de re rurſus fixit, quas ſuperiora conſilia ſuis decretis refixiſſent Sublatum eſt Britannicum elogium Eccleſiarchæ. poſtremo, cum Reginæ duas dediſſet ſenatus optationes: nimirum, Nubere aut conciui, aut externo ſponſo, vtri ſibi atq; intimis genijs collibuiſſet, per ſe ei licere: illud identidem dudum ſolicitante Imp. eius F. Philippi cœlibis coniugiū libentiſsime optauit. id quod in. A. 1554. Ianuario, miſsis iccirco in Britanniam ampliſsimis legatis, puta Ecmondenſi,

*D. de Couriers Bel. *Carolo Lalanio, & Ioan. Momoranſino* *Curſore, iſtiuſmodi ſummatim ſponſione contractum eſt ac firmatum.*

» *Honorum ac dignitatis titulum alterutri inuicem ſimul participanto. imagines inter ſe mutuo communicanto. in adminiſtrãda Rep. Anglicana operas mutuas tradunto.*

» *Philippus Rex ne præuaricator, neu de inſtitutis Britannorum quidquam, niſi ſenatuſconſulto, ac plebiſcito, immutato.*

» *Munera, beneficia, procurationeſq́; Reipub. ſolis ciuibus dantor.*

» *In conſilijs, negotijſq́; publicis indigenitalis linguæ potior vſus eſto.*

» *Qui foret ex eo coniugio omnium primo natus filius, is præter auitum, patriumq́; regnum, vniuerſi Belgij itidem hæres eſto.*

» *Olli verò, ſi forte Carolus (Philippi F.) priuignus abſq́; liberis deceſſerit, ac primis deinceps nepotibus, nullo fine, cuncta generatim patrimonia parentum relinquuntor.*

» *Idem iuris, ſine interceſſione Caroli priuigni, indidem duntaxat naſcentibus fœminis, modo aut ex Anglicis, aut ex Belgicis familijs coniugia ſibi delegerint, viciſſim eſto.*

» *Si infœcunda fato præierit Maria, Philip-*

pus

pus Regnum Anglicanum abdicato, ac præſumptam opinionem remittito. ſin ipſe prior moritur, viduæ, quamdiu ſupererit, ſponſalio rum nomine, centenûm, vicenûm mille aureorum (Ducatorum) annua penſio dator.

Iſta affinitate coniunctarum nationum, ac ſemel fœderatarum, mutuæ amicitiæ immortales ſunto. interim porro Britanni, è terra Cæſarianorum & Gallorum naufragia ſpectanto. "

Contracto igitur matrimonio illo (vt viciſſim ſatis accepium, datumq́; eſt) Ecmondenſis, qui procurationem eius rei ſuſceptam habebat, nuptiarum auſpex, nocturno epulo interfuit, ſponſumq́; abſentem, ſecundum ſolenneis cæremonias, inſtar paranymphi, repræſentauit.

Maria verò, dum tãto Heroï deſponſata conatur ad Pontificiam formulam Regnum ſuum denuo conformare: at ſubditi partim peregrinũ Regẽ perhorreſcunt, partim Põt. Rom. auctoritatem oculis fugiunt, aurib. reſpuunt, ac animo aſpernantur: faſtidio indignitateq́; inſtantium rerum inflatæ mentes ſe cõtinere nequiuerunt. Erumpunt è latebris duæ ſimul grauiſſimæ cõiurationes, aduerſum Reginæ ca

put ſuſceptæ. quarum vnius Princeps extitit Sudofolchiorum Regulus, qui ob ingraueſcentem inualetudinem (ſolicitante id vxore) precariam miſſionem acceperat, domiq; latere, tanquam in ergaſtulo, iuſſus fuerat. Sed is, ſimulatq; conualuit, vrbem, domumq́; relinquens, P. Cairo ſe coniunxit. ac Varonicana in ditione Ioannam filiam (quam captam fuiſſe antea docuimus) rurſus Reginam edixit. alterius conſpirationis auctor & caput fuit Thomas Viata, vir equeſtri dignitate, ſed non tam domi, quàm militiæ clarus. Is, cum libertatis publicæ, contra peregrinam dominationem, & religionis (quæ Eduardo Rege fuiſſet) defenſionem inſtituto prætexeret, pactiones, ſocietatesq́; cum multis conflauit. iccirco, vt contractas ex Chentæis municipijs copias, obuius vndiq; comitatus auxit ad vrbem verſus poſtremo duxit. Cōtra Regina, his tam inopinatis, veris tamen, rumoribus excita, ſtatim milites colligere, inſtrumenta belli parare ac ſolerter ſibi in impendente neceſſitate proui dere. & 3. Cal. Feb. agmē peditum, quibus Nordofolchius Regulus præerat, in hoſtē extrudere. Sed Nordofolchiū vix iter tridui ab vrbe progreſſum, Roceſtræ, vrbanus ille, atq; è plebe col-

he collectus miles, deſerit: qui trãsfuga, coniuratis itidẽ manus fuerunt, Maria vero, allato iſto nuntio, Cal. Febr. Londinũ recurrit. vbi (ante valere iuſsis, ac domũ, certo ac deſtinato reſpectu, remiſſis internuntijs nuptiarũ, quas egregie diſsimulabat) conuocata contione, exquiſitis rationibus voluntatẽ propenſionemq́ ſuã erga populum, atq; Rempub. declarat: idque ſe ſummatim velle, dicit, quod cunctis æque bono vertat, atq; expediat. hac gratia, quamlibet concitatam multitudinem ſibi conciliat. itaq; ſtatu vrbis compoſito, ad Proaſtia ſua (quo loco Anglici Reges fere ſeſsitant) ad Thameſis ripam, primo ab vrbe miliario, reuertit. Tum Viata veſperi ad pontem, vrbi coniunctum, cum ſignis conſtitit. cuius prætentato tranſitu (maxime quòd ſperabat, aduentu ſuo, acceſſuq; ad portam, populum illico in ſe fore, animatum, ac ciuilem aliquem motum fuiſſe cõcitaturum) cum vana iſta ſpe dies compluſculos tranſmiſiſſet, decimo lapide, ſupra Londinum, Cingeſtonã præpropere exercitum traduxit. quo loci, magno tumultu, incedentẽ Viatam Pembruchius (is à Regina ſtabat) ad circum ſuburbanum (vulgo D. Iacobi) vt eſt conſecutus, ſubito adoritur. para-*

*Vueſt monaſterij baſilicã vocitat vulgus & Polyd. Virg.

*ſtus ac integer, imparatũ ac defatigatum itinere aduerſarium. Interim Viata, inita iſta pugna, male ſibi, ac ſuis conſulens, cum delecta cohorticula excedit: & villam Regiam præteriens (quod mirum fuit) per medias aduerſariorum ſtationes, ad urbem reuolat, accedit propius ad * portam Ludiam. poſtulat introitũ, pulſat. Sed, qui tum excubabat ad eam cuſtodiã, ſummo loco natus vir, Gulielmus Auargus, Nordofolchij Reguli frater. ſubpoſtquam pulſanti vehementiſſime minitabatur, excluſus iam urbe Viata exclamauit: Promiſſis qui dẽ ſe ſtetiſſe, verũ ſocios fidem ſuam prodidiſſe. qui ex magna ſpe deiectus, dũ animo perturbato, ad ſuos (nullo fere labore, abſente ſe, ſuperatos) cõſtituit redire, de via tandẽ intercipitur.*

* Porta Lud. vulgo.

*Eodem prope temporis puncto, * Otintonas Sudofolchium, vna cum fratre, & aſſectatoribus, excepto Carro, qui ſolum vertit, in Franciamq́; tranſmiſit, comprehenſum, ad carcerem urbanum dedit: & ad necem.*

* Huntingtonas Polyd. Virg.

IIII. Id. Febr. Ioanna illa Sudofolchia, & Dudeleius maritus capitalem pœnam expenderunt. nec multis interpoſitis diebus, Sudofolchius generi, filiæq́; maneis perſequitur, ac obtruncatur.

Secuto

Secuto Martio detruduntur in vincula Elizabetha, ſoror Regia, & Cortinæus affinis, vocati in ſuſpicionem coniurationis. qui (quia culpa vacabant, & Philippo Regi erant acceptiſſimi) continuo tamen ſunt ſoluti.

Aprili deinceps Viata, ſecuri percuſſus, in quatuor fruſtra diſſecatur, nec tortoris equuleum euaſit Thomas Graius Sudoſolchij frater. qui (præter omnium quidem opinionem) decimo quinto die poſt mēbratim cæſum Viatam, propalam pœnas capite dedit.

Interea 5. Non. Mart. Ioan. Fredericus Saxo Exelector, Sybillam Menapiam, chariſſimam cōiugem, fato præeuntem ſtatim eſt ſubſecutus. quos, vt in omneis generatim gratioſos, non modo clientes, ſed etiam tribules ac vniuerſa Germania luxit. itaq; luculentæ ſobolis primus, paternum nomen, regnumq́; deinceps prorogauit.

Extremo fere Maio, M. Anton. Taruiſinus, Veneti Senatus princeps, obijt. Cuius in locum Franciſcus Venerius, Patricius (ſupremis in ea Repub. ſemper muneribus fūctus, & iccirco ſummo conciuium honore cultus ac obſeruatus) ſubrogatur.

Iunio ſecuto Carolus (V. eo nomine, Allobrogum

gum Dux) minimo minus toto regno ab Gallis exutus, ac deturbatus, naturæ ſatisfecit: Emanuele Philiberto inſtituto hærede ex aſſe, quem vnicum reliquit filium, ſe multis modis longe fortunatiorem.

Eo menſe, poſtquam validum ac præpotentem exercitum in Picardia contraxiſſet Franciæ Rex, Rocaſorionem Gallum in Artuſiam extrudit (nempe vt eam regionem excurſionibus direptionibuſq́ peruaſtaret) ſubindeq́ Mag. Eq. cum robore exercitus in Hannoniã inſultare iubet. qui inter Auenam & Landreſium inſtituto itinere, facile expugnatum Cimaum incendit. indeque progreſſus in Trelonem, Aglaiamq́ arceis occupatas, eaſdem furoris faces (quibus biennio ante deflagrauerant) inijcit. Hinc Mag. Eq. vt per exploratorem cognoſcit, Mariani præſidij exiguitatem, nec aſsiduum illic eſſe aut ſtrenuum ducem, qui ſtationem defendat, Sanctandræam IIII. VIRVM, Trib. mil. eo cum parte copiarum præmittit, cùm vt itinera ſeruet, tum vt metatores locum caſtris idoneum deſignẽt ac capiant. Sanctandræas, quò iuſſus eſt, per ambages, & occultos anfractus viarum, ac ſiluæ Ardaennæ, 9. Calen. Quintil. peruenit.

quem

quem poſtridie reliquus vt conſequitur exercitus: continuo parantur inſtrumenta oppugnationis. Mariano præerat tunc temporis Riſartes quidam: ceruinus vir, & ignauus. Iſte abiecit haſtam Rhipſaſpis. nam cum ad ferendam opem, non modo vicinitas omnis, ſed ipſa etiam fundi domina, quæq; arcem illam ſuo nomini dedicaſſet, condidiſſetq;, reſpiceret, & per ſe ita firmum oppidum eſſet, vt nullo defenſore, ac nulla munitione belli, aut tenuiculo apparatu (quorum tamen vtcunque ſatis habebat) vſque aliquo, donec auxilia cõparuiſſent, perfacile impetum hoſtium ſuſtinuerit, modo ne vacillaſſet in officio præf. præſidij, præfracte, turpiter, inconſulteq;, vt vix triduum inſtitit Gallus, & primas duntaxat iactauit haſtas, his conditionibus prodidit, non reliquit ſtationem. ,, Vt ipſe cum primipilis caperetur: gregarijs autẽ militibus miſſio daretur. ‹‹ *Sic Chius aliquando olim dominum emit. Cuius victoriæ fama incitatus Rex, prid. Cal. Iul. ad caſtra cõuolauit. indeq;, cum Marianum præſidijs firmaſſet, omneis vireis ſimul* * *Giuæum admouit. hinc bipertitum exercitum in expeditionem miſit. Nõ. Quintil. Bouinum, cis Moſam poſitum municipium*

*Vel Giuacũ iuxta dialectũ Eburonicam.

cipium perpuſillum, Imp. obnoxium, ille ipſe Rex dum inuadit, ſimul infinitimũ oppidum, Dionantum, trans Moſam ſitum, Eburonicæ iuriſdictionis, inſultauit, cum reliqua parte copiarum Ambarrus. Bouinum fulmine conquaſſatum, militum incurſu occupatur, inuicta adhuc turri, cum multis arcibus cõparanda. quò ſe receperant Hiſpanienſis coorticulæ reliquiæ. quæ indidem, niſi honeſta conditione, deturbari nequiuerũt. Ambarrus (q interea inſtrumenta omnia oppugnationis parauerat) arcem Dionantinã, è colle, oppido impendentẽ, licet illinc tormẽtis exagitat; & ſimul, Bouino capto; hinc geminat ac conduplicat tempeſtatẽ fulminum Rex: itaq; vno & eodem temporis puncto, obſeſsis negotiũ vndiq; faceſſitur: obduratur tamen vſq; eo pertinaciter. quippe quòd naturali ſitu firma inprimis arx eſſet, iccirco difficilior eius iudicabatur expugnatio. Ea propter etiam Galli, cum maceriæ parum; diuturno fulminis iactu, colliſum reperiſſent, irruptionẽ tamen ferociter tentaſſent, à defenſoribus Cæſarianis fortiter repellebantur. Sed dũ deliberato inſtant hoſtes, dũ longe plura tormẽta in pluteis diſponunt, quo ſic tandem murum effringant iterentq; intermiſſam oppugnationẽ, oppidani arcis ruinam

metuen-

metuentes (qua capta nec incolumeis fore ſe, nec intra propugnacula conſiſtere poſſe, proſpiciebãt, tum ne extrema ſubirent pericula, nec incitatum hoſtis ſpiritũ longiore obſtinatione animorũ irritarent) ad æquabilẽ pactionem, niſi eam militũ perturbaſſet furor, deſcenderunt. „*Omnibus, nempe oppidanis lucis vſura daretur. necubi fœminarũ caſtitas per ſtupra victoris violaretur. intacta atq; integra cuiq; ciuium ſua res eſſet. deniq; ne vſurpatum oppidũ flãma vaſtaretur. Cæterùm, quia Ambarrius dedititium Dionantum Gallicano præſidio impleuiſſet, mercenarij Teutoni, ſuſpicione fraudis & iniuriæ, dum arbitrantur duntaxat Gallis prædã (vt interdũ defraudare milites ſuo lucro Tribuni ſolent) illam reſeruari, ꝓtinus arma corripiunt: efferatis animis ad oppidum concurrunt: idq; ſumma immanitate, perperam reclamantibus Tribunis, diripiunt. Deinde, cum continuatò violenti fulminis impetu arcis ingentem ruinam ediddiſſet Rex, Germani poſtulant initio colloquium, ac ſubinde ita cum hoſte depacti ſunt:* „*Vt tradita arce, militibus eſſet integrũ gladio & pugiunculo accinctis, vna cum impedimentis, egredi. Hîc tamen, cum vnus occlamaret audacter, Iulianus Romerus Celtiber,*

tiber, cohortis Vernaculæ præf. & incautè pertinaciterq́; conditionem reſpueret, diſceptaretq́;, capitur. ſtatim igitur Dionantina arx à fundamentis, Bouiniana verò ſpecula à ſolo, ſubuertitur.

*Contractas interea magna celeritate mediocreis copias, & cum præf. Auguſtali, Allobroge, in hoſtem præmiſſas, Imp. etſi nõ optimè habebat, Gonzaga, & Ioann. Baptiſta Caſtaldo, & Vernacula nobilitate comitatus, vt ſubinde eſt conſecutus, cùm ſuſpicaretur eò vẽturum fuiſſe Regem Gallum, prope Namur, *Giueloam caſtris cepit, locum apprimè opportunum, & Moſa ac Sabi fluminibus circumfuſum. Id ſimulatq́; olfacit Rex, nempe modò iter, quò conſtituiſſet, ab Imp. cuius de die in diem augeſcerẽt copiæ, eſſe interſeptum: vel ſatius, recognoſcit cõmeatus ſui inopiam, relicto Namure, retro quidem deflectit. ſed mediam Hãnoniam ferro flammaq́; infeſtat. ac tandem Bincium, Marianas delicias, occupat ex improuiſo. Vbi, & quòd peſſime oderat illam Principem (alteram Bellonam) cuius iuſſu Picardia incendijs & depopulationibus multoties fuiſſet peruaſtata, ac ſpeciatim, in contemptum amplitudinis ac magnificentiæ*

* Iamblacum quidã. nos vulgi vocẽ (Giblour) imitati ſumus.

Gallica-

Gallicanæ, Folembrium (Villa Regia) prope inuitis militibus, qui operoſæ fabricæ rationem habendam eſſe cauſabantur, combuſtum, taliter vt ſanaret vulnus iniuriæ, animum furori Rex ſubmittit: nulli admodum propitius, interim perodioſæ fœminæ (Mariæ) pertinaciter infenſus. Crudelis enim victor, cum ne à publicis quidem bonis ſociæ manus abſtinerent, priuatam fortunam inimiciſſimæ viraginis ſic decerpebat, vt ſuis ipſe manib. plantas lectiſſimas reuelleret, ſtirpes nobiliſſimas reſecaret, & fruges exquiſitiſſimas amputaret. quod deliciarum genus Franciſcus pater in beneficij & honorarij muneris loco cognatæ aliquando donauiſſet. inde verò habitum immanitatis conſeruandæ animo, Bincio propinquum, Marianum illud prædiũ ampliſſimum (vulgò eſt Marianus mons) incendio & ruina defœdauit. id quod, ad arcis ſimilitudinẽ, ipſa illa Regina memoriæ dicauerat, Gratijs conſecrauerat, ex ſuo nomine condiderat, ſuauitate odorum, qui efflantur è floribus, plantarum elegantia, deliciarum venuſtate ac lepore, omni deniq; apparatu hortenſi ſtudioſiſſimè excoluerat, ac referſerat: ita vt Mariano illo luco, Dianæ digniſſimo, nihil ſecundũ Bel-

gæ ad eam vſq; tempeſtatẽ habuerint. iniјcit deinceps ardẽteis faces in affabre factam arcẽ Ruſculum: qa eius fundi dominus, Rullus, tribuleis, Morinos, Rhemos, ac alios excurſionibus, atq; incendijs non ſemel afflixiſſet. poſtremo, cùm depopulationibus, ac direptionib. coloniarum, modum non imponeret, & Bellouacorum antiquiſsimam ſedem, per tranſennam occupaſſet ac incendiſſet; apud Fanum Inuidiæ (Samarobrinæ vicinum, id eſt, municipium) octiduum deſidet. vel, vt pauliſper ab itineris labore feſſum exercitum reficeret ac recrearet, vel, (ita ipſe iaciebat) vt cùm Imp. acie decertaret. Eo octiduo obducto, cæpto inſtãs, pergit in Artuſiã. ac nouiſsimè Renteium obſidet oppidum. Hoc loci demùm Imp. cõtractis viribus auctus, Gallum inſectari atq; exagitare delıberat. Qui Gallus in eam expeditionem, & nouam munitionem, & apparatũ belli ampliorem, vt ex amnẽſi tribu, & Somonæ vicinis municipijs cõparauit, duab. ſimul ex partibus fulminare, ac tonare incipit. idcirco Imp. etſi inſtabat, poſtremò eo audaciæ proceſſit, vt inter vtraq; caſtra, ſola conuallis interiaceret. Sed cum ne tũc quidem Gallus tormentorum tempeſtatem remitteret, quin magna muro-*

*Crepacorium vulgo. ſiue Creuecoriũ.

murorum ruina ædita defenſores continenter vrgeret; Imp. vehemẽtiſsimè ſtomachari, minimè cunctandum dicere, fulguratori imperare, vt læuo iactu fulminis obſeſsis Renteianis ſignificet, ad ferendam opẽ, & diſpellendã obſidionẽ ſe meditatũ veniſſe: ac ſua præſentia, propugnatores cõfirmare voluiſſe. tũc cõtinuò veri Imper. officium præſtare, excelſo animo exercitum inſtruere, & (quãlibet illud ipſum Trib. melior pars diſſuaderet) iacta alea extremam dimicationem velle ſubire, ac tẽtare. Ob id expeditam Hiſpanorum peditum manũ in vicinum lucum (cognomento Gulielmi) quia ad diſponenda ſubſidia idoneum fore indicabat, præmittere: vt indidẽ ſaltuariæ cuſtodiæ Gallicanæ deturbarentur, vel ne ex ea parte inſidijs hoſtiũ circumretiretur. Quod vt eſt cõſecutus Imp. (qui cũ robore exercitus victoriã apparentẽ pſequebatur) derepẽte occurrit hoſtis. Guiſanus frontem cum parte copiarum deligit, atq; adoritur. Nemurs aũt, & Tabenna, ab latere incurſant. Committitur ingens & atrox prælium. quo, etſi hoſtili ſtratagemate circumuento cornu, Cæſariani ſimul ſpiculũ dirigere; ſimulq; haſtam declinare cogebãtur, tanta virtute & alacritate initio certarũt, vt

perturbatis ordinib. Gallos diſpellerẽt, præſtite nobilitate vel cõciſa, vel vulnerata, quæ ingraueſcentis pugnæ iugũ præcisè ſubſtinebat. Guiſanus tamen, vir in bello apprime expertus & promptus, vno temporis pũcto, diſſipatos ſuos colligere, & Abumalo fratri cõiunctus (q vniuerſum equitatum leuis armaturæ adducebat) vacillanteis cõfirmare: itaq; omnem vim in ora atq; oculos inſtantium Cæſarianorum cõuertere, ac iteratum prælium redintegrare, tanta diritate, & pertinacia, vt Tormentophori illi Germani equites, inſtar torrentis, deducto vndecũq; ſulco, diffluerẽt: cui confuſioni hoc acceſſit deinceps incõmodi: Fuſi diſſipatiq; velites iſti, dum inſiſtentiũ Gallorum ſpicula euitare ſtudent, ſociorum aciem, atq; ordines tangunt, ac perturbant. Ambarrus idẽtidem ſimul equitum cataphractorum alam Hiſpanienſi illi legiunculæ (quam initio ſaltum occupaſſe diximus) dum vna equitum turma laborãtib. ſuis ſuppetias ire nituntur, obijcit ac opponit. cuius equitatus Gallici vim cùm ſuſtinere non poſſent, in ſaltum, vnde exſilierant, ꝓfligati, diſperſiq; reuolarunt Hiſpani. Poſtremo, cum aſpirarent ad victoria laudẽ Galli, & inclinanteis Cæſarianos vrgerẽt,

horri-

horribili fulmine (eo reſeruato) tacti, pedem retulerũt. itaq;, vt in proximos colleis partim euaſerunt, partim in fugã ſe cõiecerunt ptur-batæ aciei cohortes, Imp. ad ſigna, ac caſtra redire iuſſas recollegit copias: impẽdẽte iã nocte, quæ certamen illud diremit. vbi Gallorum, nõ amplius CCCC. Cæſarianorum vero ſeſqui altera parte plures ſunt interfecti. quorum ic circo iniquior fuit fortuna, quod militaria aliquot ſigna, & apparatus bellici parum amiſerint. Stetit porro iſtius conuerſationis gloria (etiam teſtimonio hoſtis, qui cum prælium commiſſum eſt) virtute equitatus Gallicani, & fortitudine Aquitanorũ peditum. Ea propter Rex in concione collaudatis militibus, largitiones maximas facere, multis equeſtrẽ dignitatem conferre: & in his Tabennam, quo ornatus erat, è collo detracta torque in ſupremi beneficij atque gratiæ loco, honorare; atque ea ratione, ſodalem Regalem, Michaëliticæ religioni candidatum, creare. Contra vero docuit Cæſarianorum caſus, aut euentus prælij potius, Tormentophoros illos, modo ſubito haſtatorum equitum incurſu circumueniantur paruo aut nulli vſui in ſtataria pugna eſſe. Velitum eſt id genus, haud ita pridem in-

 uentum,

nentum, ac inſtitutum à Teutonis: hi reliquis leuis armaturæ equitibus non vſq; adeo ſunt diſsimiles, niſi quòd illi haſtis, pro ſpiculis vtũtur; hi aũt fulmine armantur. quorũ pleriq;, præter thoracem, loricam, galeam, præter pugionem, ſtylum, machæram, malleum, aliáque ferramenta, ſena, multi ſeptena, nonnulli octena tormenta etiam inſuper, palmorum duûm plus minus longa, embatere perpuſillo cicerculæ magnitudine, in ephippÿs, in cingulis, ocreísue circumgeſtant. atq;, in bello maxime, conſimilibus è fiſtulis ferreis, ſulphurato puluere, modice infuſo, nec non pyrithe, ad eliciẽdum ignem, artificio ſubtili, in cylindrũ chalybeum qui verſatur motu contrario, digitis impacto, impreſſas glandulas plumbeas, ad ſimilitudinẽ grandinis violentæ, in aduerſos hoſteis incredibili fragore torquent, ac retorquent. quib. ex ſua quæq; dialecto Europææ nationes varia itidẽ dãt nomina. Heſperÿs ſunt Σιδηροφοροὶ, à ferramentorum telorumq́; copia, ceu Ferrati. Galli verò per onomatopœiam Sclopetarios vocãt. Latine fortaſsis Claudiani fulguratores, à crebri fulminis iactu, dici poterunt. vel ſemigræce (quo nos vtimur vocabulo) Tormẽtophori. Vernacule præterea

hîc

hîc audiũt, Pulli, ab ephestrium, ac armorum vernice oblitorum colore. alibi nominantur Brunoniſuicani, à quibus originem traxiſſe videntur. Vtcunque eſt. Vni fortunæ ſuccumbunt, ni aut imparatos, improuidóſque celeritate opprimas, aut deuotione aut pertinacia ſemel turbatos, obruas. id quod Renteiana in pugna contigit. in cuius militiæ deſcriptione, vti re noua, poſteritatis in gratiam, paulò diutius, præter inſtitutum forte, inhæſimus. Nocte, proludium fatalis pugnæ ſecuta, perſtabatur vtrinque ſub ſignis, ac in armis. Poſtridie verò, dum intermiſſam pridie oppugnationẽ perſequitur Gallorum Rex, & fulminat vehementius, nuntius malorum præpropere aduolauit: renũtians, male ſuos in Etruria pugnaſſe, atq; à Cæſarianis fuſos, profligatoſq; eſſe quo triſtiſſimo rumore perculſus, maxime quòd frumenti inopia exercitus laboraret, non auſus vltra ſe fortunæ cõmittere, cũ primum in tanta hoſtis vicinitate id fieri potuit, receptui canere, ac Monſtrulum traductas copias Rex mittere. Poſtea aliquanto, Imp. qui caſtra mouentem hoſtem nõ curabat inſequi, miſſionem pariter militibus exauctoratis dedit, & ad regiam Bruxellanam, à diuturnis, & cõtinuis

 bellis

bellis ſemel conquieſcendi cauſa, reuertit.

Perinſignis illa Gallorum clades Martiana iſtiuſmodi fuit. P. Strozza, vt cum ingenti exſulum Florentinorum comitatu, ſub lilijs multos ante Senenſe bellum annos, ſtipendia meruiſſet, propalam iaciebat, ac vociferabatur, patriæ libertatis procuratione. Iccirco ab Senatibus, ſe iſti probabilitati offerentib. dicitur Dictator. ab Gallo autem, q ob recẽtiſſimas victorias Belgicas nihil non & ambiebat, & quodammodo colligabat, vicarius Italiæ datur. Iſte igitur cũ illi afflictæ reip. ſedulam operam poſuiſſet, tandẽ ex territorio Mirandulano, & ex tranſmarina Gallia numeroſum exercitum conflauerat, ſumma profecto inſtituti conſtantia. In fatalem iſtam funeſtamq; ſibi expeditionem præterea germanus eius frater (quem Itali vulgo Primatem Capuanum vocitarunt) ex Melita vſq;, & naueis, & auxilia adduxit. vel vltro, fraternum amorem Gallicanis anteponens iniurijs, quibus immerito afficiebatur, magna Gallorum ingratitudine: cùm egregia huius Trierarchæ officia, in Franciam, ſummis beneficijs fuerint compenſanda. qui, quòd ad liberandam patriam itidem reſpiciebat, dum expugnatum ab ſe

Scarli-

Scarlinum animoſe inuadit, in ipſo victoriæ puncto, tormento ictus derepente obijt. Contra Florentinorum Regulus (cuius id maxime intererat) ſub poſteaquam Imp. in litteris demonſtraſſet, qualis iſte motus eſſet, quorſum ſpectaret, quidq; indidem conſecuturum aliquando olim fuerit, in tempore occurratur, magna induſtria rebus ſuis, ſibiq; proſpicere, maiore celeritate negotium omne conficere, ſummo cõſilio in neceſsitate prouidere, tribus armare, vireis denique contrahere. cui manus fuerunt ex Inſubribus, ab Neapoli, & Cæſarianis clientelis euocatæ copiæ. quibus omnibus, pro Imp. & rep. Florentina, præerat Marinianus, vir acerrimus. Ab Gallis vero, & Senatibus ſtabat (vt innuimus) P. Strozza, nihilominus neſciens belli. quod cum aliquo vſque pari contentione duces duxiſſent, ac iam illi duo iuſti copioſique exercitus opes vniuerſæ Etruriæ deprimerent, & internecionem ſibi mutuo minarentur; poſt multa leuia, & exitioſa certamina ad extremum 4. Non. Sextil. manus inter ſe conſeruerunt, in limite ipſo, & confinijs ſoli Florentini, ac Senatus: ad eam conuallem, quæ inter Martianum, Lucinianum, ac Foianum media relinquitur. Sed bre-

ulis admodum fuit illa dimicatio. quippe Gallicani milites, poſt primum telorum iactũ funduntur, deſerunt ordines, diſſipantur, profligantur q́; ab Mariniano. Non hîc valuit imperium, non præſentia, nõ exemplum ducis, qui non modo inclinanteis Gallos, fœderatoſq́; ad prælium retrahere conabatur, ſed etiam iugum inſtantis fortunæ ſolus prope ſuſtinebat: ita vt minimum abfuerit, quin ipſe in pugna iniquiſſima aut opprimeretur, aut viuus caperetur. qua demum excedens, re deſperatiſſima, Lucinianum primò ſe ſubtraxit, duabus glandibus plumbeis ictus. indeq́; ſtatim ad Alcinoi montem, vt curaretur, eſt tractus. Euaſerunt itidem ex eo conflictu, inter ceteros Rubertus, P. Strozzæ frater, Iulianus Medices, Ioan. Baptiſta Altouitus, & Alexander Saluiatus, cum aliqua Florentinorum manu. Ginus Caponius autem illic confoditur. aliquando ante vero grauiſſime vulnerati fuerãt, Thaddæus, Trib. mil. & Albertus Delbenes. quorũ poſtremum inflictæ plagæ dolor conſumpſit. Eo pacto victoriam, de Strozzis reportatam, Fortuna renouauit Coſmi Herois fortunatiſſimi, qui cum ante annos ſeptemdecim patrem profligatum Kal. Auguſti, cepiſſet; iam tum

poſtridie modò dictarum Kalendarum, filios itidem vicit, ac contudit. itaq; gloriam ſuam auxit, & regnum miris modis firmauit, ac ſtabiliuit.

Philippus interea Hiſpanicæ iuuentutis Princeps, quo ſic ſpõſioni ſuæ faceret ſatis, poſtquam 17. Kalend. Sextil. ab Callecorum portu, Iuliobriga, inſtructiſsimam nauium Liburnicarum claſſem ſoluiſſet; idoneam tempeſtatẽ nactus Auſtro afflante, quatriduo (vertẽte tum ſe commodum anno, ex quo regnum inierat Maria) ab Hiſpania, in oppoſitæ Angliæ portum Antonam appulit. vnde dominum, delectæ nobilitatis comitatu ſtipatum, Hiſpanienſium clientelarũ capita Vinceſtram illico quàm honorificentiſsime deduxerant: quo loci, decimo nempe ab Antonitanis milliario, non minore lætitia aduentum adoptatiſsimum ſponſi Britanna ſponſa, quàm acceſſus Solis terram lætificat, exſpectabat. & ſine mora, nuncupata antè Hymenæo vota ad aram, datis inuicem ſimul, iunctisq; dextris, Philippus & Maria ſoluerunt, die faſto, ac auſpicato, ſcilicet D. Iacobo dicato. quem tutelaris numinis in loco, præ cæteris Diuis omnibus, vniuerſa Hiſpania iam pridem re-

dem recolit. Conſumuntur itaq; magna Paranymphorum voluntate, epulis ſaliaribus, tripudio, & id genus alijs, magnifico ſane apparatu veræ nuptiæ. & coniugium humana coniunctione, poſt diurnas, nocturnasq; delectationes, firmatur. Genialibus hiſce diebus Rector Neapoleos, & publici conſilij in ea ciuitate auctor, ac moderator, iuſſu Imp. ac nomine delegatæ prouinciæ in verba Philippi iurat. & eum Hieroſolymitarij regni inſignibus induit ac graui oratione concludit, Ornamentis huiuſcemodi filium ornatum, patrem, æquabili coniugio Regem Reginæ coniungere voluiſſe. Et, ne quid aut ad extremam hilaritatem, aut ſatisacceptionem Anglorum deſiderari poſſe videretur: aliquanto poſt, ad cumulum augeſcentis lætitiæ, Inſubricus itidem dominatus, paterna renuntiatione, Philippo Regi acceſſit. Subpoſteaquam connexos nuptijs, ludisque dies complureis, Rex & Regina ſponſi (quod aiunt) vitam egiſſent; Vinceſtra ſimul profecti, coniunctis iam opibus, ac ſuperbiſſimo cùm Hiſpanicæ, tum Anglicæ nobilitatis comitatu fortunati, (quòd vtraque natio æmulatione gloriæ inter ſe contendebat) pompa ſplendidiſſima, & incredibili luxu, 14. Kalend.

Kalend. Septemb. Londinum tanquam in Regiam, introierunt. Vbi ſecuto Nouembri, in ampliſsimo ac frequentiſsimo Senatu id aperte concluditur; Vt omnium ordinum conſenſu ac cōcordia, eodem admittatur recipiatúrque Reginaldus Polus Anglus, Purpuratus: & internuntium Pontificium (qua de rē eò ierat Legatus) in Britannis agat. Polus igitur, ſucciſiuis diebus, condicto ſolenni ſacrificio, Hilaria vndique inſtituere, infinito ludorum, cæremoniarumq; apparatu, non ad vrbē modò, verum etiam in vniuerſa Britānia ritum religionis Catholicæ & patrum Romanorum ſeruari oportere ex libris ritualibus, in concione populo declarare. qui populus nouis iterum diſtentus legibus Pont. Rom. deſita officia deferebat: & aduerſus eius ſanctitates, reuerentiam publice exhibebat. ita vt Anglicanæ religionis translatio, Romam certis nuntijs allata (reconciliato tum luculento regno) publici gaudij manifeſta cauſa eſſet. id quod cum maximi faceret Pont. Rom. matri Magnæ ſacris indictis ad Pantheon, & delubra reliqua Diuûm (infinita penè ac innumerabilia, quæ tunc ſuffimentis taliter fumabant, vt aperta iſtius hilaritatis indicia redolerent) & Taurilibus,

rilibus, Agonalibus, Celetarum decurſionibus, venatione, alijsq́; id genus ludicris, denique veſpertinis nocturnisq́; ignibus, ac pyrobolis, quorum flamma inter nubeis coruſcabat, & tonitru ex mole Hadriani vetuſtiſſima procul contorto: quo iactu cœlum propè contremuit: abundè & competenter eſt demonſtratum.

*Secuto Decẽbri Briſaces Gallus IIII. VIR. & Trib. mil. Hibernam, firmam Taurinorum ſtationem, Duriæ amni impendentem magna virtute vt occupauit, rem eximiam & minime momentariam fecit. quippe ea ciuitas ianua ſibi viſa eſt: qua effracta & reuulſa, tota patebat iam Gallis Italia. quo clauſtro capto, oppidum Biella, quod ſeptem inde diſtat milliaribus, continuo, vt ſigna hoſtis conſpexit, voluntariam obtulit deditionem. poſtea aliquanto, * Fanum Iacobi communiendum tanquam oraculo monitus, curat. non exile eſt illud municipiũ eodem ſolo. nam (vt oſtendemus) magno iſtud propugnaculum vſui Gallis ſubinde exſtitit.*

*Sant Iago apud vulgũ.

1555. *IN. A. 1555. (qui propter multas rerum mutationes, ac nouitates memorabilis eſt, ac inſignis) menſe Martio opera Saluazonis, viri nobilis,*

nobilis, occuparunt Galli Caſeale, ſpacioſam ciuitatem, partim aſtu, partim vi, ex iuriſdictione Mantuana. in cuius vſurpatione, eo grauius damnum fecerũt Cæſariani, quòd inquilinus, non dominus, tanquam mutato ciuitatis ſtatu, victis leges imponeret, & magiſtratum tractaret.

15. Kalend. April. Regiæ ſobolis quintus & poſtremus, Hercules naſcitur. Andegauenſium Regulus deſignatus.

X. Commemoratarum Kal. opprimit paucis dieculis, breuis, ſubitusq́ morbus Iulium 3. Pont. Rom. hominem alioqui litteratum, ad quæuis munera & officia natum, interim negligentem, & voluptatibus oppidò circumplicatum. Cuius in locum, occultorum de eo honore ſuffragiorum renuntiatione, Marcellum Ceruinum, collegæ Purpurati 4. Id. Aprilis ſuffecerunt, genere ac patria Tuſcum. Politiano monte oriundum, & Imp. coætaneum: qui (etſi per ſe non ignorabat, & præmonebatur, longinqui temporis periclitatione atque vſu obſeruatum & vetuſtum haberi; anteceſſores, qui poſt ſuſceptam illam prærogatiuam dignitatem gentilitium nomen retinuiſſent, breui poſtea in fata conceſſiſſe, & iccirco

& iccirco rogabatur ab aliquàm multis, ne id committeret, quod ad vitæ periculum attineneret) nihilominus ſecum conſtitit, nomen permutare noluit, & Marcellus alter dici voluit. Sed minime ſefellit augurium. quippe diebus non amplius viginti duobus, vt Pontificatum inijt, omnino ſuperſtes, Kal. Maijs ab fluctionibus denſiorum humorum, à capite in vitæ ſedem cor, pulmonémque illabẽtium, ſimul ſuffocatus, ſimul atq; febri vehementiſſima iactatus, morti occubuit. quālibet proletarius quidam ſcriptor veneno ſublatum arioletur. Permoleſtus multis huius viri ſubitus interitus exſtitit, propter eruditionem ſingularem, & mentis intentionem probabilem. maximè quòd ſperabatur omneis reip. parteis intentis oculis velle intueri: in melius formare Rom. curiam: indidem, ceu à capite, morbum medullitùs depellere, atq; ita vitioſitatem reliqui corporis ſanare, decreuiſſe.

XI. Kalend. Maias, Senates offuſcati fame (poſtquam Cæſarianorum & Florentinorum hornotina longiorem obſidionem fortiter toleraſſent) ad extremum vinci ſe paſſi ſunt, & dederunt manus, ex conuentu Imper. & eius nomine, tanquam expeditionis conſorti, &

parti-

participi, Florentinæ reip. Duci. qui rectorem moderatoremq; ex ſua tribu dedititiæ ciuitati dedit. Vbi ſingularis fauor amicorum optimè cauit Barptolemæo Caualcanti exſuli Florentino, honeſtè nato, & virtute ſumma præſtanti viro, vt corpore effugeret.

Circa id temporis in Hiſpania humanæ vitæ curriculũ abſoluit Ioanna Aragonia, Imp. Car. V. mater. quam præ nimia doloris acerbitate, poſt obitum Philippi, coniugis chariſſimi, mania quadam ſemel correptam fuiſſe aiunt. interim tamen quamdiu ſuperauit, licet valetudinis vitio melancholica diceretur, ſummæ rei cõſors & particeps manſit. & (quaſi reſpub. amborum voluntate iuxta ac communi auſpicio gereretur) in actis, inſcriptis publicis & priuatis, in diplomatis deniq; alijs ciuilibus negotijs parem cum filio honorem conſecuta eſt mater, titulum Reginæ, Heræ ac Dominæ retinuit. ex qua non modo Europæ dextans (puta, Hiſpania, Neapolis, Sicilia, & innumeræ aliæ prouinciæ, ac tributaria regna) ſed etiam quadrantaria portio vniuerſi orbis, ampliſſima profecto hæreditas, obuenit, America nimirum illa, priſcis Romanis incognita mundi pars, ab Americo Veſpu-

cio Florentino, Coſmographices peritiſsimo, ſic cognominata.

X.Kal. Iun. (quo die Chriſti cœlum aſcendentis immenſam maieſtatem, Chriſtiana recolebat memoria) aſſumitur, aſcendítque ad Pōtificatum Ioan. Petrus (vulgo antea Theatinus) ex illuſtri familia Caraſarum, Neapoliq́; ortus, iam decrepitus ſenex, vndeoctoginta annorum. qui depoſito natalitio nomine, Paulus IIII. deinceps eſt appellatus.

Seſquimenſe poſt deditam Senam in maritima eius municipia inſultarunt victores duo exercitus, Cæſarianorum ſcilicet & Florentinorum, & ante omnia Herculis portum petiuerunt. quã ſtationem delectæ militiæ copioſa manu firmatam, P. Strozza defendendam initio ſuſceperat. Sed is, cùm ob vrgentiſsimas cauſas aliò euocatus, cũ ſola triremi poſt exiguam temporis moram indidem eſſet egreſſus (etſi redire quidem cogitabat) peſſulum oſtio obditum reperit. nam, vt ſuburbanas munitiones, & moles, quæ arcium & propugnaculorum loco contra inſultus hoſtium erant oppoſitæ atque obiectæ, aduerſi fulminis tempeſtas ex defenſoribus extorſit: nullo ferè labore ſubierunt in portum optatum milites, &

Hercu-

Herculeo animo Heraclidas ſuperarunt, cùm non vulgari laude ſummatim omnium, particulatim verò ſingulari decore Chiappini Vitellij Trib.mil. quem non auctorem tantum, verum etiam perfectorem glorioſi facinoris exſtitiſſe conſtat: quamlibet ſummarius fuerit iſtius expeditionis princeps Marinianus. Quo confecto negotio, ſiquidem naues Gallicanæ, præcluſa illa ſtatione, cũctis oræ inferæ portubus excludebãtur, integra demum ac perfecta de Senatibus eſt reportata victoria.

Iuſſu Phi. Regis, tranſmiſſus interea in Italiam, rerum Italicarum procurator Dalua, militum delectum habuit. & facillima conquiſitione ingentem exercitũ in togata Gallia ac Taurinis conflauit. quem ſimulatq; recenſuit, Quintili Vlpianum, longa obſidione Gallorum extenuatum præſidium, noua munitione belli, & cõmeatu firmauit, ac refecit. Inde autem (tanquam in auſpicio primæ & inchoatæ virtutis exſultans) ſtatim cum ipſo Sextili, ſub Fanum Iacobi, ſæpè nominatum oppidum caſtra quidem poſuit. ſed eadem poſt obductas circiter tres dierum hebdomades, cum fulmina perperam vibraſſet in cœlum,

& explorator manifeſtò retuliſſet, in campis verſari hoſtem, inſtare & appropinquare: maximè quod iuuentutem haberet partim æſtiuis caloribus, partim laboribus conſumptam, ac peſſimè affectam, tum accepto rerum detrimento incredibili, & multò minus honori conſulens ſuo, mouit. Hîc Galli, corona obſidionali non contenti, quinimmo elati facilitate iſtius victoriæ, conuerſis ſignis, Vlpianum repetunt, inſtant, vrgent, tonitru horribili concutiunt, agunt vineas, & cuniculos, moliuntur omnem oppugnationis modum. iſtiuſmodi labore tranſmittunt vigintiquatuor dierũ curriculum. Obdurant interim obſeſſi contra machinationes hoſtis viriliter. Sed cùm prætentata iterum atq; iterum irruptione, magna animorum ferocia ac diritate, in defenſores inſultaſſent Galli: nec porro mutatis ſubinde ordinibus, ac viciſſim incurſando, aut in vallum aſcendere, aut propugnatores ex ſtationibus ac muris deturbare poſſent: & tota iam caſtra, inſtructa acie, obſtinato præſidio vim ac ſicas intentarent: 10. Kal. Septemb. ad pactiones tandem laboribus diuturnis fracti Vlpianenſes deſcenderũt. Cuius victoriæ laus militum contentione & pertinacia ſtetit. inſignia

ſignia verò reportauit Abumalus Regulus. quo auctore tantum non ſuſcepta eſt illa expeditio ſed etiam perfecta. Is deinceps, vt Vlpianum mœnibus nudauit & arcem funditús euertit, Moncaluum, tormentis ferociſſimè conquaſſatum, compoſitione obtinuit, ac cõmuniuit.

Sextili præterea nauali pugna horrenda in primis & oppidò admirabili contenderunt ad anguſtias Britannici Oceani Cæſariani cum Gallis, qua pugna non claſſis claſſi, vt fert conſuetudo belli, commiſſa eſt; ſed Gallicanæ bellicæ naues, onerarias nauiculatorum, mercatorumq́; Belgarum inuaſere, hoc fere initio. Renauigabant hi blando Zephyro tunc fortè ab Hiſpania in patriam, trahentes ſecum agmen Battauicarum corbitarum, naueis omnino vicenas binas, peregrinis mercibus refertas. Id vbi exploratè reſciſcunt Galli, qui in illo ſuo Septemtrionali litore paratas naueis in aqua ſemper habent, dromones vndeuiginti & cataſcopia ſex inſtruunt, ac implent militum, ac nauiculariorum delectu, eo conſilio, vt quæſtuoſam illam mercaturam interuertant, & corbitas tardigradas diripiant. Quæ ſimulatque conſpectæ ſunt, non amittunt tempus Galli, attollunt cantũ nauticum,

*tubas, criſtas, animos prædæ inhianteis. itaq; paululũ ſupra *Dobrã, qui portus eſt Anglicanus, tardiuſcule adnauigantib. Belgis occurrunt. Contra Belgæ ludificationẽ Gallorũ proſpicientes (maximè quòd nauiculatores illi, nullo non tempore, præſertim belli inſtructiſſimas naueis, conſtratas, & ad omnia pericula comparatas habent) in defenſionem ſunt illico ingreſſi, memores etiamnum fraudis & iniuriæ Baropolinianæ. qua exacto quadriennio conciues ac ſocij grauiſſimum damnum feciſſent. Adpellunt propiùs Galli, quàm celerrimè quidem id nauarchorum ſcientia in marinis illis fluctibus fieri potuit, vt, quia militum numero præſtabant, cùm primum manus confererent cum imparatis, & inimici fulminis tempeſtatem ſubterfugerent. At Belgæ interim nullo in loco officium deſerere, quin ſibi & ipſi prouidere, tormenta promptiſſimè vibrare, & qua iaculãdi peritia, ac multitudine cæteras antecellunt nationes, fulmina ſpargere. & incredibili violentia in Gallicanam claſſem torquere. Deducitur nihilominus res illico ad exitioſum vtriſq; prælium, Gallis vſq; eò adnitentibus, quà confertiores eſſe hoſtes videbantur, vt ex toto agmine Belgicarũ nauium,*

* Dónerum Polyd.

uium, 15. manibus ferreis, vncis ac ferramentis attractas, cum ſuis colligatas retinerent. volebant enim cominus pugnam inſtituere, ſtudio pertinaciaq́; vincendi. interim prouectæ paululũ reliquæ Belgarũ naues, fulmina crebro iactabant. Tum demum venitur in certamen, quo non horribilius nec formidoloſius aliud à multis ſæculis, in illo mari inſtitutum fuiſſe, in promptu eſt. nam quamuis Galli nauium & conuectorũ numero valebãt, ſine comparatione, Belgis erant naues ex antiquiſſima apparatus naualis cura & conſuetudine, Gallicanis cum altitudine latitudineq́; longe maiores, & ſtructura vaſtiores firmioreſq́;. vnde ceu ex Liburnis aphracta, nauigiolaque hoſtium commodè deſpiciebant, & tanquam ex turribus, tabulatisue inferiorem hoſtem tonitru, pyrobolis, & quouis armorum genere arcebant acriter, ac infeſtabant. æquiore nimirum loco poſiti, quòd eminentia tranſtrorum tegerentur: eoq́; modo iaculis aut ſpiculis hoſtium difficiliter tranſuerberarẽtur, & aduerſariorum telorũ iactus facilius euitarent. quorum tanta fuit virtus & conſtantia, vt non modo pauci contra multos obdurarent, ſed etiam continuato toleratóque

atrociſsimo illo ac periculoſiſsimo conflictu, ab nona eius diei hora antemeridiana vſq; ad tertiam poſtmeridianam (eæ ſunt horæ omnino ſex, calculo tranſalpinorum horologiorũ exæquatæ) Galli pugnando feſsi, & dire lacerati digitos ſuſtollerent, ac pugnæ ceſſationem flagitarent. Atqui in tanto animorum furore, in tanto armorum ſtrepitu, denique in tanta rerum omnium perturbatione ac confuſione, audientiam ipſa ſibi, vt vt vtriſq; neceſſaria, Gallorum intempeſtiua petitio non fecit, nedum exaudita eſt à Belgis, nec quid ſibi hoſtis vellet, in maximis illis crepitibus fragoribúſque tonitruum intelligentibus, nec ſe ipſos exaudientibus. id autem demirati hoſtes, tandem quod conſultiſsimum habuerunt, fecere. in ſuarum nauium vela ignem vltro iniecere non conſulto, ſed inconſideratiſsime. quib. deflagrantibus, metu perterritos Belgas periculi, & incendiorum vicinitate, protinus ſuas naueis ſubtracturos, rem ſuam acturos, & neceſsitati locum facturos fuiſſe, ariolabantur. Cæterùm multo alius contrà, atque ipſi deſtinaſſent, exſtitit euentus, temeritati Gallicanæ reſpondens. quæ cùm ſibi, tum hoſti periculum naufragij imprudenter creauit. quippe

cum

cum naues permiſſè ita colligatæ & ferramẽtis cõnexæ eſſent, vt vix diſiungi ac ſolui poſſent: flamma voluntariÿ fataliſq; ignis (quem cùm armamentorum nauticorum materia, tum aëris æſtiui ſiccitas, & ventus ingraueſcens haud obſcurè alebant) derepente latius diffuſa, quàm nollent Galli, ex velis in antennas, in malos, in rudenteis, in proras ac puppeis, in carinas, tranſtra, foros, deniq; in meliorem partem colligatarum nauium, ſcintillarum reſperſione penetrauit: ita vt cunctis æque opus fuerit & pugna excedere, & voraciſſimo incendio occurrere. At cùm immenſa illa volatici ignis vorago remedium omne ſuperaret, in mare ſe conuectores dare, ac proinde, vti quæque proxime erat obuia, ad integras naueis promiſcue ac communiter confugere, nullo reſpectu partium, nec ab vllo, propter inſtantium miſeriarum & ærumnarum commiſerationem, viciſſim prohiberi. Quæ res nouam & conſideratione dignam victoriam (tam ſunt incerti ac ancipites præ cæteris mortalium rebus, bellorum exitus) Gallis attulit. quorum vti maior numerus in nauibus Gallicanis antè fuiſſet, ita etiam poſt naufragium, in Belgarum naueis, multò plureis

tranſnataſſe veriſimillimum eſt. Cui ipſi occaſioni inſeruientes Galli, circumſpecta paucitate nauiculariorum Belgarũ, ad ingenium redeunt, ſe mutuò cohortati, inuadunt vitæ datores. & vbi ſpes ſalutis vix ſuperfuerat, inde opima ſpolia referunt. Vſurpant naueis quinq́, in quas caſu trãsfugerant, & vectores capiunt, atque abducunt. Atque hic vniuerſæ illius pugnæ naualis crudeliſſimæ finis fuit. Vna prætoria ex Gallica claſſe depreſſa, merſaq́, eſt. Sex naues incendio inexpiabili dedeflagarunt. ſicut ex Belgicis totidem. Cadauerum vero numerus longe diſpar exſtitit. Belgæ ſocios nauicularios circiter CCC. Galli amplius mille, & in his præf. claſſis amiſerunt. Dirum profecto & immane ſpectaculum.

Circa id fere temporis Henricus Nauarræus Rex, princeps ſingulari bonitate, & pacis ſtudioſus fatum clauſit, cui in reliquias fortunarum ac regni, (quòd eius meliorem partem vſque ab anno ſupra ſeſquimilleſimum duodecimo, Ferdinandus Aragonum Rex, is, qui primus Hiſpanienſium Regum, τοῦ Καθολικοῦ *nomen aſſumpſit, præoccupauerat) Vendomius ſucceſſit, ex dote vxoria, aſſis hæres.*

Secuti

*Secuti Septembris initio, Philip. Rex, ex Britannia Flandriam, Brabantiamq́; tranſmittens, patrem reuiſit. qui, cum non optimè haberet, & imbecilla corporis valetudine conflictaretur, vel fortaſsis rerum terreſtrium faſtidio, videretur ſibi ob præcipitatam ætatem, faſceis Imperij, dominationisq́; iugum diutiùs tolerare non poſſe: de vniuerſa abdicatione tacite prudenterq́; ſecum cogitans, hoc initio conſtituta Comitiorum maximorum die, eſt vſus. 8. Kalend. Nouemb. Philippum F. * Auguſtalium ſodalium Principem dilucide, idque mane, dixit. Præclarum hoc ſodalitium, ad archetypum imitationemq́; Gedeonis illius Ephraimitæ, ante annos centum duodetriginta, Brugis, ciuitate Pleumoſiorum amœniſsima, ſuis in nuptijs primum inſtituit ac Inſulæ, deinceps ſecuto fere biennio perfecit Philippus (cognomento Bonus) Aeduorum Burgundiorúmue Dux, ea lege & conditione: Vt, quotquot ad illum equeſtrem ordinem aſſumerentur, religione Chriſtiana „ tanquam indiſſolubili vinculo obſtricti, fra- „ terna quadam beneuolentia, & vero amore, „ ſeſe mutuo proſequerentur. Nec eorum plures „ eſſent, quàm vnus & triginta. omnes ampliſ-*

* Equites seu milites potius aurei velleris vulgo,

ſime

ſimo loco nati, rebus clare geſtis perinſignes, ſpectata virtute, nulla generis macula, nulla turpitudinis nota, nulla denique famæ exiſtimationiſq; reprehenſione. quibus præeſſe voluit directum hæredem. adiungens eodem viros ſingulari dignitate quatuor, Aſſeſſores nimirum duos, Quæſtorē candidatum, & Scribarum principem, præf. ærarij, & armorum Regem. Cæterum collegium iſtud Carol. V. anno ſexto decimo ætatis ſuæ, in Regia Bruxellana vſque ad quinquaginta vnum adauxit. quod eo fecit, quia videbat res Burgundicas vno ſæculo longe auguſtiſſimas euaſiſſe, nō indecorum, immo neceſſarium prope iudicauit amplificato iā honore Aeduæ dignitatis, amplitudinis, maieſtatis, non ſuos clientes modo, ſed etiam fœderatos amicos, & ſocios ſupernumerarios (quia omneis per ſe ampliores eſſe volebat) ampliare, itaque multis nominibus equeſtrem illum ordinem creſcere. Sed vt ad inſtitutum, vnde breui digreſſiuncula declinauimus, redeat oratio, poſt meridiem eius diei, in ampliſſima curia, ac frequentiſſimo Senatu, eo de induſtria vndiq; cōuocato, Imp. Philippum F. aperta renuntiatione, vniuerſi Belgij inſtituit hæredem, coram ſorore Maria,

ria,

ria, Belgarum Moderatrice, coram ſodalibus Auguſtalibus, ac Magiſtratu municipali. quã ſolennem cæremoniam, vt notatu dignam, & commemorabilem paulo ſubtilius deſcribere collibuit. Subpoſteaquam igitur ampliſſimus ille coijt in auguſtam domum Senatus, Imper. pone ſequẽte filio, ſorore, Allobroge, & aſſidua nobilitate ſtipatus, in atrium maius aulæ accedit, peripetaſmatis, atq; nouis exhedrijs inſtructiſſimæ. quô loci vbi primus in ſolium aſcendit, reliquo ſubinde comitatui, & perfectiſſimis imaginibus imperat aſſeſſionem. Hic mox ſurgens Bruxellas, regni Conſiliarius, ac pro Imp. orator, hac ſummatim theſi, ornate ac grauiter dixit, Imperatoriam maieſtatem tot exantlatis laboribus fractam, & increbeſcente corporis inualetudine afflictam, tolerandæ diutius tantæ rerum moli imparem: Hiſpaniẽſe regnum, quietis cauſa (quòd illum aërem clementiorem Belgico iudicaret) velle aliquando reuiſere: iccirco deliberato inſiſtere, ac Philippo F. Britannorum regno recens aucto, hæreditatem Belgicam generatim in manus tradere. exiſtere eum iam ætate firma, habilem, aptumq; ad ſuſcipiendam adminiſtrationem, atq; eo iudicio præditum, vt facile ex

le ex æquo & bono remp. gerere, ſubiectis parcere, & ſuperbos debellare queat. Quæ cũ dixiſſet orator, Imp. ipſe conſerte, contexteq́; interceptum axioma aſſumpſit, & membracula (quæ indices capitaq́; ſola eorum, quæ in Senatum referre ſtatuerat, continebat) longinquo morbo affectam memoriam adiuuans, res omneis ab ſe geſtas, à ſeptimodecimo adoleſcentiæ anno, quo Hiſpaniam primum adijt, ceu rationario deſcriptas, & in his itinera, expeditiones, labores pro rep. (vt aſſerebat) ſuſceptos, toleratosq́; non ſolum propoſuit, atque à capite, quod aiunt, ad calcem repetijt, verum etiam auditoribus, Senatuíque probauit. Deinde cum nonnulla eorum recolligeret, quæ pro ſe dixiſſet orator, veriſimillimam ſuam præſumtionem iſtiuſmodi ratione confirmauit, Coactum ſe neceſsitate, filio prouinciam illam delegare, cum, qua conſueuerit vigilantia, eam amplius regere nequeat. poſtremo concluſit; Non eſſe theatrum vllum virtuti, conſcientia maius. ea comite ſe præclare ſuſtentare, ac conſolari. Porro ſi forte, quod factum nollet, vſpiam tranſuerſum digitũ à regula diſceſſerit, id errati præter voluntatem quidem ſuam, & incuria, im

pruden-

prudentiaq́ humana admiſſum eſſe, fateri, ideo veniam deprecari: Deinde ſublato in cœlum vultu, Dei Opt. Max. numen implorare, obteſtariq́, eodemq́ ſubmiſſo, Filium orare, vt eius moleſtiæ gratitudine compenſentur. Itaque finem extremæ adlocutioni vt impoſuit Imp. lenem exclamatiunculam lacrymis terminauit. Quo factum eſt, vt tota concio, propter teneritatem ac mollitiem in lamentis ac eiulatione iacuerit, donec aſſurgens Philip. Rex, atque ad patris pedes, in genua volutatus, ita reddidit; Indignum ſe tanto munere eſſe. quandoquidem vero Imperatoriæ maieſtati ſic videatur, ac ita inſideat animo patris immortaleis ei habere gratias, & vltra delatam prouinciæ adminiſtrationem, dominationemq́, non grauate ſuſcipere, quin immo poſiturum ſe eam operam Belgio, vt iure patrio, magna omnium ordinum voluntate, & auita æquitate gubernetur. idque non inanibus conceptis Verbis, ſed re ipſa, amorem, propenſionemq́ ſuam, erga eum populum velle omnibus teſtificata eſſe. Deinde poſt hoc pronuntiatum, ad vniuerſam concionem, paululum à patre, conuerſo ore, Gallice ſubtexuit hoc fere ſenſu: Quàm vellem (inquit)

quit) P.C.in me eſſet profectior huius prouincialis veſtræ linguæ notitia, quo ſic vobis, & quo in vos ſum animo, quo affectu, qua voluntate, demõſtrem. At poſtquam id negotij meæ ruditati paulo moleſtius eſt, quàm vt pro meo erga vos deſiderio, veſtræ attentioni, cupiditatiq́ P.C. fiat ſatis, ſignificatam meam beneuolentiam vobis pro me, expeditius eſt declaraturus, aduocatus Atrebatum Antiſtes. qui ſine mora iuſſa exequens, rem ipſam, quã Philippus fuiſſet exorſus, ampla, grauiq́ oratione pertexuit. A Perenotho verò ſubinde in pedes erectus Iacobus Maſius, iuris valde peritus, à Conſilijs Regi, nec non eloquens vir, pro S.P.Q. Belg. (quos vnus exprimebat) hunc fere in modum reſpondit, Nequaquam fugere Imperatoriam maieſtatẽ, quàm officioſos, quàm promptos, quamq́ fideleis vſque habuerit Belgas: iccirco non leuiter modo admirari ciuitatem vniuerſam, ſed etiam valde perturbari, ſe turbulentiſſima rep. certiſſimo & veterrimo patrocinio priuari. Poſtquam tamen ita & collibitum Imp. & eius commodum ſit: ſubleuari, firmari, recreariq́ ſe plurimum præſidio, auctoritateq́ chariſſimi filij, ac ter inclyti Regis. cui, licet diuturno bello depreſſa, nullo

neq́

neq; loco neq; tempore eſt defutura. quin patrono (Philippo) clientes erũt (S. P. Q. Belg.) vndecunq; officioſiſſimi: nec enim pro eo vnquam aut rei familiaris, aut priuatæ vitæ periculum ſubire addubitabunt. Tum honeſtiſſime exſurgens Auguſta ſoror, exhibita aduerſus fratrem reuerentia, hoc prope ſenſu eſt locuta: Tota quidem mente in hanc curam ſemper incubuiſſe ſe, vt delegata ſibi prouincia, ad eam normam conformaretur, gubernareturq;, qua cum fratri, tũ reip. maxime commodari poſſet. quod ipſum ſi minus, quàm vellet Augu. frater, fortaſſe præſtiterit, orare obnixe ſe, iſtius incuriæ veniam. Quam modeſtiſſimã Mariæ ſatisfactionem, vt cum inclinato vultu, & dextræ iactu accipere ſe ſignificauit Imp. conuerſa ad Senatum, eodem fere ſtylo, ac geſtu oris, cauſam ſuã publice commendauit. Hic iterũ aſſurgẽs Maſius, S. P. Q. Belg. verbis, dilaudatæ, & ad cœlũ euectæ dominæ (quòd ſumam diligentiam in remp. contuliſſet) quàm maximas gratias egit. Atque ita Senatus dimiſſus eſt. Solennis autem cæremonia, & religioſæ renuntiationis forma in acta, & publicas tabulas referuntur. quæ omnia chirographo firmat & obſignat

ſigillo Auguſtali ſubinde Imperator inuictiſſimus ac glorioſiſſimus.

PHILIPPVS *verò conſobrinum Allobrogem, ex Emanuelis, Luſitanorum Regis filia, Belgarum Dictatorem conſtituit.*

Paucis ab hinc diebus Imp. propoſito inſiſtens, Philippum F. in curia itidem Bruxellana, coram vicarijs, rectoribúſque prouinciarum, quales ſunt Prætores, Quæſtores, à ſecretis, & alij, reliquijs honorum atque hæreditatis cumulate ditauit, & transmarinis regnis honorauit: puta Hiſpania, Sicilia, Sardinia, Balearibus inſulis, America, & noui orbis dominatu, denique poſſeſſione longe amplificauit earum ſummatim regionum omnium, quæ ſibi vel fidem tribuiſſent, vel tributum contuliſſent: annuàm duntaxat penſionem quotidianis reſeruans neceſſitatibus, qua cùm ſe, tum fideliſſimum comitatum ad pauciſſimos redactum, ſuſtentaret. Nec ſolum, ante fatalem illam ſuam in Hiſpaniam profectionem, Imp. (vt memoriæ quidam prodiderūt) fratrem Vicarium reliquit Imperij, ſed etiam faſceis, ac iugum reip. tanquam cœlum feſſus integro impoſuit Athlas Herculi. atq; ob id ei, quemadmodum inauguratio proxime ſecuta

docuit,

docuit, titulum, ſceptrum, & inſignia Imperatoria, velut multo ante deſignato ſucceſſori, ſimul in manus tradidit, ac conceſſit (vt ipſius verbis vtamur) perinde ac ſi ex hac vita diſceſſiſſet. In hunc ſane modum rem deliberatam perfecit conſtantiſſimus Imp. & ſe cū munerum honore ſupremo, ſummo etiam curarum onere exonerauit: Monarchiæ ſtudiū vltro abÿciens. Quod Imp. Caſ. Carol. V. P. F. Augu. (Herois tanta & amplitudine & potētia) memorabile factum, in tempore inſtanti in præterito & in conſequenti, præfecto eo magis eſt conſiderandum, quòd à tot ſæculis, vſq; ab Lothario, Auguſtorum, id Chriſtianorum fecit nemo. Chriſtianorum (inquam) nemo. quippe Amurathes Turcus haud ita pridem dominationes, vel tyrannidis Conſtantinopolitanæ ſummam Mahumeto filio itidem renunciauit.

CAROLO V. *rē publicā & priuatā ſuo ſponte, vt indicauimus, abdicāte, fama ꝑ vniuerſam Europā ingens cōtrarium opinionū mare ſtatim effudit. Speciatim porro ex ratiocinatione vulgari, duæ oriebantur quæſtiones. Prima, quánā præcisè ratione ad-*

 ductus,

ductus, altera, num etiam conſultò ac prudenter illud ipſum feciſſet, nec ne. Priori cauſæ longinqua & ingraueſcens imbecillitas corporis, indignatio animi, & faſtidiũ offenſionis Gallicanæ, vel felicitatis potius, & integræ adhuc fortunæ cura, ac id genus alia prætexebantur. Secunda theſis in diſceptationem altercationemq́ venit publicam. Aſſumebant enim uero quidam, imprudenter ſane inconſulteq́ ſibi factum videri, patrem, filio nullo vſu rerum, nedum ætate firma, ceu tironi rudiuſculo, infeſtiſſimi belli negotium dare, ſeque aſſueto onere, in imparem tantæ moli iuuenẽ prorſus exonerare. maxime quo tempore exhauſtum eſſet ærarium, & æris alieni plurimum relictum: quo iudicabant fieri vix poſſe, vt æquabilis vetusq́ gratia Caroli V. conſeruaretur, modo ne noua etiam Philippi variaretur. Contra excipiebant, obijciebantq́ alij, Carolum V. à corpore ita eſſe affectum, vt non modo prorogandi Magiſtratus, ſed etiam vitæ certæ ſpem omnem abiecerit: iccirco, cum filium haberet ad reip. gubernacula aptum ac habilem, & viridi ætate, optime commodaſſe rebus ſuis. Atque hanc poſtremam ſententiam eorum, qui rerum ſtatum cognouiſſent, experientia

temporis

temporis confirmauit. quippe breue extitit patri vitæ curriculum. & filius nihil non præclare geſſit: itaq; diuerſarum opinionum commenta certus deleuit dies.

IN. A. 1556. poſtquam ab iterato, redintegratoq; bello, nec Pont. Iulij 3. nec Britannicæ Heroidis interceſſio, bellatores duos, mutuo pertinaciter infenſos, noſtros illos Europæ Heroas ad pacem retrahere vlla ratione quiuerit: tandem diuturnis laboribus fracti, vel quòd reip. naufragium ex terra intuebantur, concordiam magno animorum deſiderio reconciliationemq; ambo anquirebant. Cum porro miſſi vtrinque ea de re legati, à Cæſarianis, Carolus Lalanius Hannoniæ Præt. & à Gallis, Gaſpar Caſtalio præf. lit. & oræ marit. ſummo loco nati, & equeſtri dignitate, ſcrupulum odioſarum cõtrouerſiarum eximere nequiſſent, nec pacem plane conſtituere: id ſaltẽ confecerunt, vt Non. Februar. apud Vacculam, Samarobrinis finitimum municipium, quinquennales induciæ fierent. vt ſibi vſq; eò retinerent, quidquid alterutrius iuriſdictionis, exacto bello, vel Cæſariani vel Galli vſurpaſſent. Ea porro conuenta, fide publica ac iureiurando firmata, ſecundum ſolennem promulgatio- 1556.

nem, rata exſtitere. ſic vt vterq; pacatorũ ſuas viciſſim parteis eadem ſtipulatione alligaret.

Menſe Martio grandis & aſpectu horribilis cometæ ad multos dies cœlo hærentis ſuperſtitioſa viſio, mortaleis plureis, vt vulgo vſu venit, deterruit. quem ſimulatq; Carolus V. cõſpexit, falſus opinione humana, his (inquit) indicijs me mea fata vocant.

Circa id temporis patefacta detectaq; eſt ingens coniuratio aduerſus Britannicam Reginam ſuſcepta ac conflata. cuius fuerũt Principes hi: Henricus Dudeleïus, Vdal. Trib. mill. & Frogemarto. qui cum ad opẽ Gallicanam reſpicerent, profitebantur ciuile & inteſtinum bellum, ad internecionem Heræ, ſe fuiſſe machinatos. quorum poſtremi duo, vt conſilia ſodalitatis prodidit cõſcius facinoris, vir plebeius, cum Peccane herulo, Daniele, & Stantone comprehenſi, conuictiq; maieſtatis, capite pœnas expenderunt. Vnus elapſus fuga Dudeleïus, vnà cum ſatellitum cohorticula, in Galliam tranſmiſit.

Ineunte Iunio in fata conceſſit Franciſcus Venerius, Senatus Veneti Princeps, vir fortis & ſpectatus. ad quem, etiámnum rempub. tractantem, crebri & non belli de eo rumores, ſed

ſed ſuſurrationes duntaxat veniebant. conſcindebatur enimuero leuitate populari, quod eo Principe ciuitas victus difficultate laboraſſet, itaque ſponſioni illi tergeminæ (quam præ cæteris, dum Principatum ineunt noui duces, faciunt) non ſtetiſſet. Illa eſt. Vt in ciuitate ſanctus iuſtitiæ honor cõſeruetur. vt vndique pax exiſtat. & necubi procuratio deſit frumentaria, aut annona. Sed falſam iſtam vulgi opinionem, & famæ maculam tantum non ſubinde ſumma ſua integritate & innocentia diluit, ſed gratiam, auctoritatémque, qua apud omneis in vniuerſum valebat, ſepulcro ſecum intulit. Venerio ſucceſsit deinceps, ſuffragijs Senatorum creatus, Laurẽtius Priulus Patricius, vir æque circumſpectus ac prudens.

Illo ipſo menſe edidit vno partu duas ſimul filiolas Franciæ Regina. quarum vni ob continenteis præteritorum annorum victorias, ſuperbum Victoriæ nomen fortunati parentes dederunt. altera Ioanna eſt nominata. quæ ambæ vitam arcto temporis puncto concluſerunt, ſicuti breuiſsimum etiam fuit victoriarum Gallicanarum curriculum..

Secuto Septembri Belgis ſemel valedicto,

vtraque ſorore Leonora & Maria comitatus, vna cum inſtructiſſima claſſe Liburnarum ex Cimbrorum Inſula in Hiſpania, ſecundo Auſtro trāſmittens Eximp. Carolus V. & ſedato compoſitoq́ animo inſtitutū perſequens, non ſine admiratione omnium mortalium, priuatim deinceps vixit, ſolus fere latuit, ſeptisq́ Iuſtinis ſe concluſit. Ea, octauo ab Placentia lapide, nō amplius, Catulonenſi in regione, proxime Scarandilā municipium, abſunt, luculentiſſima Anachoretarum clauſtra.

Pace interim multo ante procurata, firmata, ſtabilitaq́, Parmenſium Regulus, non ſolum in gratiam Philippi rediјt, ſed etiam inſigni liberalitate regia Placentiam, (excepta arce, quam vſque aliquo reſeruare ſibi voluit) vna cum vniuerſo territorio recepit.

Sed neſcio quibus de cauſis, ſpeciatim autem, ob vſurpatum Palicanum, & deturbatum de ſtatu M. Antonium Columnam, tum temporis inter Pont. & Philippum, bellum eſt conflatum, ob nō ſiniſtram ſuſpicionem nouarum rerum, quas moliri Roma ferebatur. Ea propter Dalua, Philippicarum copiarum dux, vt 12. peditum millia, & ſeſquimille equites Cumanos in hoſtem duxit, prima incurſatione Fruſi-

ne Fruſinonē, Verulas, Terracinam, Anagniam, ac deinceps Tybur, vicum Varium, Algidum, Mapalia, & multa alia oppida occupauit. inde ad oram maritimi Latij deflectens, oſtia Tiberina obſedit. quæ, cùm initio nec tormentis expugnare, nec irruptione militari capere potuiſſet, ad extremum tamen deditione obtinuit. qui nuntius Romam allatus, timore ac trepidatione totam vrbem perfudit. Verum Dalua tempore occurrit P. Strozza. qui vna cum Carafa Purpurato, Romam accelerante, miſſu Regis Franciæ, cũ duûm millium Aquitanorum peditum expedito delectu afflictæ vrbi ſuppetias ibat. qui ſimulatq; auxiliariam manum vrbanis copijs coniunxit, quas Palicanenſium Regulus præpropere conſcripſerat, non modo Philippici exercitus inſolentiam, ac progreſſus repreſſit, verũ etiam ad commeatus anguſtias hoſtem adduxit, interſeptis itineribus, quibus vitæ adminicula ſubuehi conſueuerant: ita vt, non inconſulte quadraginta dierum inducias pactus Dalua, & miſſione militibus data, poſtremo Neapolim reuolarit. itaq; in extremo induciarũ ſpiritu, recuperata nullo labore poſſeſſione ſua, Pont. cura, ſolicitudine, ac impendenti periculo ſoluitur.

1557. *IN. A. 1557. ſub poſteaquam Gallus, cum Pont. & Ferrario (quem ſuum in Italia Dictatorem eſſe volebat) fœdus contraxit ac ſodalitatem, cum vt Neapolim inuaderet, & Mediolanum tentaret, iteratum bellum vltro citroque redintegrauit, ac Philippum terra marique inimicum cepit, quaſi Pontificum patrocinium tueri vellet. Traduxit ob id in Italiam legiones duas ex Celtis Guiſanus Regulus, puta peditum duodena, equitum vero bina millia. qui, cum per Inſubrum agros iter faceret, ab illa gente nonnihil prouocatione laceſſitus, Valentium hoſtiliter expugnauit. in Ticini ripa, ac Mediolanenſi ditione ſitum oppidum illud, naturalem ac legitimum agnoſcit dominum. interim Philippi fœderatus eſt populus. Vſurpato autem Valentio, ad omnem caſum, tanquam prouidentia quadam, præſidium firmiſſimum impoſuit. Smul vero, quo fere tempore officioſam Philippo Italiam Guiſanus infeſtabat, Artuſiorum ditio excurſionibus Gallorum vaſtatur. quippe circa Epiphanias, alieniſſimo hiemis tempore, vt Duacum, ſubornatis inſtructisq́; velitibus, perperam tentauit, hoſtis ab inani ſpe in furorem verſus, Lenſam, medium inter Inſulam &*

lam &

lam & Atrebatum ciuitatem, municipium vi cepit, diripuit ac incendit. vnde abacta innumerabili præda, & multos dies in ea regione turpiſſime perbacchatus, in Picardiam ſubinde repedauit. atque ita quinquennales illæ induciæ, quas ſolenni voto factas pactasq́ ante diximus, non toto vertente anno reſcinduntur. iccirco altercatum etiam vulgo eſt, ac diſceptatum acerrime: vter Regum, periurio pactionem religioſam violaſſet. Rationabatur pro ſua quiſque gentis gloria. alter alterius factum probabat, vel improbabat: prout erga alterutrum erat animatus. Ceterum, quia Gallus exercitum in Italiam tranſmiſerat, quia Valentinis, Inſubrum ſocijs, leuiſſime irritatus, vim intulerat, quia Catuacas ex inſidijs ſolicitauerat, Lenſam expugnatam, direptamq́ combuſſerat, Artuſiam flamma ferroq́ vaſtauerat: denique prior laceſſerat, ac cum telo fuerat, priuſquam à Philippo, non modo inſtrumenta belli parata non fuiſſent, ſed ne aperte quidem perturbatæ compoſitionis indicium vllum vſpiam apparuiſſet: Poſtquam facta rerum præſentium cum inſequentibus comparatione, ecquid occulte hoſtis non hoſtis machinaretur,

tur,

retur, temporis vſu compertum eſt, & exitus pugnæ vniuerſæ, ac diſcrimina rerum Gallicanarum docuerunt, collatis litigatorum cauſis (vel iuſto Dei iudicio) ſani, & neutrius partis arbitri, de prouocatore ſententiam tulerũt. Compoſita, conſtitutaq́; ſemel rep. quidquam agi per vim, nulla antecedente iniuria, minime ciuile, vrbanumq́; eſſe iudicantes.

Menſe Martio Philippus ex Pleumoſiis, vxoris inuiſendæ cauſa, in Britanniam traiecit: partim vt eius gentis animos in veterrimum ac communem hoſtem concitaret, inflammaretq́; indignitate rerum, partim vt pecuniaria ope abs Regina coniuge adiuuaretur.

Interea ſecuto Aprili, aperto Marte, ac vi armorum, Valfœnariam, & Chariolum, Taurinorum oppida, nec exigua, nec ad res gerendas incommoda, dum expugnant Galli, diuerſa ex parte in Samniteis inſultauit Guiſanus, eo conſilio, vt Neapolim aliquando inuaderet: moræ impatiens, cùm multum temporis in Flaminia obduxiſſet, & Pont. magnificas pollicitationes inter cæſa (quod dicitur) & porrecta expectaſſet. qui cum irruptione militari Campulum occupaſſet, militiq́; diripiendum

piendum dediſſet, Ciuitatulam continuo obſedit. in colle id eſt ſitum oppidum. quò cũ delecto fortiſſimorum militum præſidio Sfortia Sanctaflorus, vir domi militiæq́; clarus, propugnãdæ eius ſtationis cauſa, eſt introgreſſus. id quod tanta contentione & virtute defendit, contra tormẽtorum tempeſtatem, & Gallorum inſultus, vt poſt tranſmiſſas treis, monade amplius, dierum hebdomates, deſperata expugnatione Guiſanus, non minore accepto rerum detrimento, quàm nominis dedecore, caſtra mouerit, & ad vaſa conclamarit. ſimul atq́; olfecit, inſtare Daluam, & cum inſtructo exercitu Sanctafloro ſuppetias ire. multa queſtus de Pont. quòd nec pacta auxilia, nec munitionem neceſſariam (ſicuti receperat) tempore ſubmiſiſſet. itaque Galli ſubinde in Latio caſtra poſuerunt. Sic contra, multas ob cauſas, ac particulatim ob virtutem ac ſagacitatem ducis, nec nõ alacritatem ſummam, propenſionem, ac ſtudia Neapolitanorum ad ſuos lares, patriamq́; defendendam, Gallicus ille conatus irritus exſtitit, cum parua aut nulla gloria auſpicis, aut laude manuum.

Philippo interea, quem trimeſtri fere ante è Belgio in Angliam tranſmiſiſſe diximus, id

ſolici-

ſolicitante, & ſe in familiaritatem S. P. Q. Brit. ſtudioſe inſinuante, 7. Id. Iun. Gallis bellum terra, mariq́; Britanni itidē indixerunt.

Eodem menſe, Ioannes Luſitanorum Rex Vlyſsippone extremum vitæ mortalis diem clauſit, quinquagenarius, poſtquam illud regnum annos tricenos quinos adminiſtraſſet: Princeps ſingulari benignitate, pietate, in omneis gratioſus. ſucceſſorē habuit Sebaſtianum trimulum infantem, nepotem puta, ac poſthumum. quam ſobolem vnicam, primæ ætatis F. Ioannes reliquit.

Secuto Quintili Philippus vrgente bello, ad ſuos Belgas tranſiens, & coniugem interea in Britannia relinquere, & militem, imperatoremq́; agere exercitus, compellitur.

Sub id temporis item Florentinæ reip. Duci Senam, vnà cum municipijs omnibus, quæ in fide officióque eatenus retinebantur, compēſationis in loco, & ratione ſumptuum, quos Senenſi bello feciſſet, excepto Herculis portu, & Orbitula, liberaliſsimè conceſsit. pollicens etiam inſuper eidem reliquam eam ditionem, cum primum in ſuam poteſtatem redegiſſet. ea tamen lege & conditione, vt Populinatum herulo ſua poſſeſsio reſtituatur. quemadmodum

dum pro re nata præſtitit Florentinus, ex conuentu nihilominus, illius ditionis aliquid ſibi reſeruans. itaq; tunc temporis Senatis dominationis titulo eſt amplificatus.

In illud ipſum tempus incidit, vt in vniuerſo Belgio annona ingraueſceret, ac extrema frumenti caritas ad aliquã multas dierũ hebdomades perſiſteret: iccirco vero anxium vulgus, (cum iam fames, qua neceſſitate nullum eſt aliud malum intolerabilius, homines ſtimularet) ſolito concitatius promiſcue ac crebro motum aliquem, periculum, diſcrimen ciuitatibus comminabatur. Procurabatur interim, quoad eius fieri, comportariq; poterat vndecunq; ciuibus frumentum per curatores præf. que annonæ ſedulo ac diligenter. deſignabantur teſſeræ viritim. Sed multo anguſtior erat delargitio, quàm vt immani hominum bulimiæ ſufficeret. Inclinabat igitur iam planeres ad ſeditionẽ, & ſubtumultuabatur paſſim multitudo popularis, per ſe alioqui, ad cunctã præceps. Hîc porro, tanquã ex inopinato, Deus apparuit. In Bathauorum inſulã appulere C C. ſimul corbitæ, plenæ frumẽto, tritico, ſiligine, ex Dacia, & Orientali Germania Occeanea. itaq; numen cœleſte peculiari quodam beneficio

neſicio multas miſerorum mortalium myriades vitæ reſeruauit. Quo factum eſt, vt importato tanto commeatu, & floreſcente meſſe, ſicut antè defecerat, ita tunc ſegetum copia luxurieſq; eſſet. & fortaſſis periſſothoregia amplior à ſæculo nulla illic fuit. quippe horrea omnia, quæ paulo ante vacua exhauſtáque erant, humanis alimentis poſtmodum redundabant.

Philippus interea, dum nimia quadam cōfidentia, propè dicam temeritate, Galli, neglecta patria, alienum appetunt regnum, & ad Neapolim, Mediolanumq; (vti diximus) ſimul aſpirant, ſummopere gnauiterq; contendebat, ex propinquo Belgio in Franciam: quo ſic hoſtium audaciam frangeret. Ob id, ſubpoſteaquam Belgarum ſuorum iuſtum exercitum comparaſſet, & Teutonum auxiliarias copias Epiſtalmate euocaſſet, iactabat de induſtria expeditionem Rhemenſem. & particulatim Moſoream nominabat Eſſuorum ciuitatem inimicam, in Moſæ ripa ſitam. Cuius rumuſculi credulitate nimia cùm non minimum percellerentur commouerenturq; Galli, Moſareates fratres, & Rhemos ſocios, vicinoſq; diligenter communierunt, interim citeriorem

viorem Picardiam neglexerunt. Qua ipſa occaſione Philippus, eò, quò maxime intendebat, facile peruenit. Comperto enim, Sanquintinum, Veromanduorum Auguſtam, quo præciſe reſpiciebat, perexiguo præſidio teneri, Marianum verſus exercitum (cui pro Rege præerat conſobrinus Allobrox) emittit. qui triduum ad illud oppidum intra primum lapidem moratus, extrudit interim equitum turmas, & expeditorum peditum cohorteis, vt Recorium tentarent Gallicanum municipium, inter Moſaream & Marianum medium. Interueniunt interea euocati Teutoni milites, vſque eo exſpectati. hi vt comparuerunt inuaditur magna celeritate Guiſa. ad eam per noctatur. Poſtridie verò ante lucem, diluculo equitatu omni præmiſſo, 4. Non Sextil. ex improuiſo totum deinde robur exercitus, Sanquintinum mouit. Circa quam vrbem, loco per metatores caſtris delecto, ſuburbano occupato, nec non propugnaculo flumentano, quod erat in aduerſa ripa Sabis non exiguum, potitus Allobrox, pluteis diſpoſitis, tormentiſq; admotis obſidionem adornauit. Quam rem odoratus eius prouinciæ Præt. Halmerotes, illico ſex equitum turmas accerſit, grauis ar-

S matura

matura treis leuis totidem, ac peditum ſigna quina. quib. copiolis ſtipatus acer, animoſusq́ Gallus, ſe fortunæ commſit. cúmque tribuleis vix dũ vrgeri recentiſſima obſidione intellexiſſet, noctu ad obſeſſos tranſuolauit: cum tertia parte cataphractorum equitum, & peditibus ducentis quinquaginta. Reliquum equitatum, ac omnẽ ferè peditatum, partim animorum defectio, partim diſciplinæ militaris confuſio ab vrbe, ſocijsq́ ſecluſit: Situs autem eius eſt iſtiuſmodi. Qua in Septemtriones ſpectat, alluitur flumine Sabi, & Cameracum Imperij fœderatam ciuitatem, nono indidem milliario, habet. A meridie vero forum diſtat, quinq́ non amplius milliaribus. Ab ortu Sanquintino obiecta eſt Guiſa, pari fere itineris internallo. Occaſum verſus eſt Perona, ad Sabim itidem poſita, ſeptem remota milliarib. tria æque Gallicani municipij oppida.

Nec eſt vrbs illa quidẽ exigua, aut imbellis. Veruntamen opinionem eius firmitatis deminuit fulminum (quibus hæc ferrea tempeſtas vtitur) iactus ac violentia. Aliquanto vero poſteaquã eo loci caſtrametatus eſt Allobrox, nititur è Perona egreſſus cum ſignis 15. Dandolotus Gallus nobiliſſimus, obſeſſis ſuppetias ire.

as ire. qui caute ſoliciteq́ perrimatus ambages, & anfractus viarum, num qua in laborantem ſtationem peruadere poſſet, ſimulatq́ in Burgundiorum venit conſpectum, nulla ferè moleſtia, profligatus tertiam ſignorum partẽ amittit. Sed quia hic in Burgundiorũ mentionem incidimus, præfari ſemel libet, eo nomine poſthac Philippicas copias, partésue accipi à nobis quos ipſos hactenus Cæſarianos (Car. 5. Imperatore) appellauimus. Philippus enimuero ex abauia ab antiquiſſima Aeduorũ proſapia oriũdus Maximiliani Auſtriadæ 1. eo nomine Imp. abnepos legitur. cui Maximiliano, olim aliquando Maria Caroli illius Fortis, nouiſſimi omniũ eius gentis, Reguli, ſola hæres ac filia nupſit. vnde poſteri, Ducatu illo, & meliore parte Belgÿ in ſe deuoluta, Auſtriadæ nomen idem participant, & titulum Regni adhuc ſeruant: imo priſcis Aeduæ familiæ legibus etiamnum vtuntur, ac viuunt.

Nec vero latebat Gallorum Regem, quàm parum præſidÿ in obſeſſa iam vrbe eſſet, præter illã ſupernumerariam manum, quam paulo ante Halmerotes caſu introduxiſſet. quinimo videbat eò rem eſſe deductam, modo laborãtib. auxiliari vellet, toto exercitu opus eſſe.

nec enim aliter vrgeri hoſtem, caſtra oppugnari, obſidionemq́; diſpelli poſſe. Eapropter Mag. Eq. Gallicanorum, vtcunque inſtructus & paratus, delecto comitatu ſtipatus, alium ſimulans, & ignotam perſonam hominis mutuatus, 6. Id. Sextil. caſtra Philippica diligentiſsime explorat, ſitum ſtatúmque eorum vndique curioſiſsimè perueſtigat. qui poſtquam comperit, equitatum omnem in citeriore amnis ripa conſiſtere, & trans Sabim paucas admodum diſpoſitas eſſe peditum ſtationes, conſilium rei gerendæ ac ſpem bonam cepit. ita vt Halmerotes, cui ſuam deliberationem, de introducendo ſubſidio, aperuerat, perfoſſa nocturno labore cloaca, (qua clanculum ad vrbem tranſcurrerent ſocij, & ea ratione hoſtem fallerent) aduentum auxiliorum auidiſsimè exſpectaret. Biduo igitur poſtquam ſagaciſsime odoratus eſſet, ecquid in caſtris ageret hoſtis; (qui dies D. Laurentio erat dicatus) adduxit copias omneis Mag. Eq. puta 16. circiter millia peditum, equitum verò quatuor vna cum tormentis quindecim ad deſtinatum inſidijs locum: ſimul munitionem immenſam, & naueis fluuiateleis, in curribus ſecum vehens. itaque ante lucem multo

mane

mane in diuerſa fluminis ripa ſuperbe conſiſtens vibrare tela ac haſtas: minari inſultum caſtris: inſtare deliberationi: milites nauibus imponere, eosq́; ſecundo flumine in vrbẽ tranſmittere: deniq; nihil intentatum relinquere, quo ſic nouis præſidijs obſeſſos tribuleis confirmaret. Delabitur ea ratione Dandolotus, cum lectiſsima cohorte militũ, & ſpectatæ nobilitatis iuuentute, in adoptatam ſtationem. Ceterum ſtratagemate illo Gallicano animaduerſo, Burgundi reliquos tranſitu facilè prohibuerunt, & dicto citius Sabim traijcientes, receptui canentem ac terga vertentem hoſtem perſequuntur, auctore, conſuaſore, & prope dicã perfectore eius expeditionis Ecmõdenſi. qui ſimul ac vidit, inſiſtentibus ſocijs, tanquã metu perculſum Gallũ, paulatim cedere: eadere Allobrogem, Regium Legatũ certiorem reddens, & admiſſo equo primus fertur in attonitum hoſtem tertio ferè à caſtris milliario, quâ Forum (commemoratum municipium) aditur. Ecmondenſem vero, primas iactantem haſtas & peditum aciẽ, celeriter conſequi reliquias equitatus iubet Allobrox, ne forte ſubſidio deſtituti Burgundij præcurſores, ab hoſte opprimantur. quem tanta perfudit tre-

pidatio, vt præceps ac immoderata contentio fugæ (dum certatim in propinquũ nemus * *Baiueũ nituntur equites Gallicani) & ſocijs ſumme offecerit, & confuſionis vniuerſæ anſam præciſe præbuerit. Pedites enimuero inter cætera ab ſuis equitibus, obteri ſe, ac perturbari, exclamare. Quo factum eſt, vt interrupta diſciplina militari, & perturbatis ordinibus Gallorum, ne primus quidem Burgundiorum inſultus perferretur: & diſſipatorũ, ac ſigna, ordinesq́; deſerentiũ militum, dira & immanis fieret cædes. vt late patens campus hoſtili cruore reſpergeretur, & in occiſione, cladeq́; hoſtis Burgundij impune graſſarẽtur. Fuit porro Gallorum ſtrages vulgari fama longe minor. nec enim neceſſe habuit victor in haſtam abijcientẽ, aut parum vel nihil reſiſtentem hoſtem, & à prima velitatione ſtatim digitos ſuſtollentẽ, ferociam ſuam ſæuitiémue ebullire. Manebit igitur oculatorum teſtium, fortiſſimorum ſcilicet militum, qui pugnæ illi interfuerunt, teſtificatio ſempiterna, duo circiter millia & quingentos illic conciſos eſſe: Sed in his ſummo loco natos Gallos: quorũ capita fuerunt. Hi, Ioan. Anguianus, Nauarræi Regis frater, Turo Procomes: Mag. Eq. nepos, Campode-*

*Ita vulgo contracta ſyllaba ai.

pode-

podenarius, Guro, Galanus, Plenota, Geloteſq; ac multi alij. Captiuorum autem principes nominatim erant. Mag. Eq. totius Gallicani exercitus ſummarius dux, glandula plūbea, ſummo in femore, ſecundū nateis, traiectus, vna cum duobus liberis. Montepenſirius, qui in capite vulnus accepit, & Lungauillanus Reguli. Sanctandreas IIII. VIR. Ludouicus Mātuani Reguli frater. Vaſſaus, Curtoniates, Cenomānus, & Rhenanus herulus, Teutonicorū mil. Trib. ſodales Regales, cūcti equeſtri dignitate ab Rege honorati. præterea Rupefocaltus herulus. Obigninus, Merua, & Birones duo, Montebrunus, Sanctieranus: & infinita penè nobilitas. quā inſtituto volentes inſeruire, ex cōpoſito reticemus. Apparatu belli vniuerſo munitione, tormentis, & impedimentis victor potitus, ſigna militaria ad vnū omnia ex hoſte cepit, deniq; opima ſpolia reportauit. Fuga nihilominus elapſi, præter eqtatus meliorē partem, & gregariorum militū pedeſtrē multitudinē, viri principes, iſtam fortunæ iniuriam declinarūt. Ambarrus ac Momoranſinus Reguli, Condates Princeps, Nauarræi Regis frater, Sāſerranus herulus, & Bordelio cū reliqua nobiliſſima tri. atq; hinc liquet, quāta ſit Galli-

næ nobilitatis hubertas. quādo ſimul in Italiam multæ imagines Guiſanum eſſent ſecutæ. multi ſimul apud Regem, apud Reginam, apud liberos Regios, Palatinis erāt miniſterijs officijsq́; dediti, aſſidui clientes, rurſus multi Rēp. tractabant, prouincias obtinebant, ciuitateis regebant, præſidia cuſtodiebant, arces defendebant, ac propugnabant. nec pauciores tamen interim in Belgio ſub Regio legato militabant. Ea propter interrogatus Bullanus Regulus, (exacto ferè qinquennio in arce Heſdinenſi ab Allobroge captus) quanam ratione, aut diſciplinæ bellicæ fiducia, tot tantiq́; Heroës arci exiguæ, & infirmæ ſo concredidiſſent? ſalſe, argute q́;, quia (inquit) his Gallia ſat ſuperq́; abundat. Burgundiorū vero nō vidētur quinquaginta illo ipſo in certamine interijſſe. Hac autem illuſtriorem victoriam nullā aliam ex Gallis ſibi peperit Auſtriadarū familia: vſq́; ab Rege in Theriotropheio ad Ticinum capto. hāc Auguſtæ Veromanduorum, & aliarum Gallicanarum vrbium expugnatio, (vt oſtendemus) ſubſecuta eſt. Hæc Philippi res in Italia ſecuras reddidit. Hæc indidem Guiſanum & exercitum in afflictam patriam reuocauit ac retraxit. Hæc deniq́; Victoria fecit, vt Philippi auctori-

auctoritas & gratia (quibus ſumme apud ſuos valebat) magnum etiam pondus apud exteras haberent nationes. maximè quòd iuuenali ætate, quòd ab ipſo regni auſpicio, & fortunarum initio, ac nouiſſime, quòd diro rem multo præclariſſime, ac ſumma cum laude geſſerit. quo probato, conſequens fuit res Franciæ vacillare, & quodammodo iacere debuiſſe. quippe ſi Burgundij illa tam inſigni victoria vti ſciſſent, ac Fortunam perſequi, ad ſummas anguſtias (ſicuti poſtea aliquanto expertum habuerunt) Franciam vniuerſam fuerãt adducturi. non affectam modo, ſed etiam virib. pœne deſtitutam. Contra habebat etiamnum firmiſſimum exercitum, ac victorem Philippus, ex 30. acerrimorum peditum millibus, equitum vero 14. ferè conſtantem. & in his lectiſſimos, exercitatiſſimoſq; duces. Mouerat etiam ex Aeduis alteras copias ſecreto verſus Forum Seguſianorum, Nicolaus Baropolyuillanus, quod auguſtum municipium (Lugduno, decem non amplius diſtans milliaribus) Allobrogicæ iuriſdictionis Gallus iam pridem tenebat. At diutius in Veromanduis commoratus, quàm par fuerit, Philippus rei gerendæ pulcherrimam occaſionem, non ſolum Fran-

tiæ, ſed etiam leges vniuerſo prope dicam orbi, imponẽdi, amiſit. Cæterũ, quia vt plurimũ lateant Imperatores, vel expertiſsimos in bello, cõditiones ac difficultates hoſtium: idcirco vſu venit, vt oblatæ opportunitates conficiũdarum rerũ ſimul euaneſcant, ac præterfugiant. Vtcunq; eſt, in promptu eſt, in illo Sanqntiniano conflictu, Gallos tãtum non pro re nata damnũ graue accepiſſe, verumetiã aperuiſſe ſibi deinceps ianuã malorum, & mare quoddam laborum, ita vt ambigi iure merito poſſit: num quãdo tandem Francia ad priſtinum decus ac gloriam refloreſcat?

Philippus interea Cameracum profectus, ſimulatq; lætiſsimum nuntium iſtius tantæ accepit Victoriæ, Pembruchium herulum, vrbi propinquũ illico accerſit (is leginnculã auxiliariam, miſſu Reginæ, puta peditũ milia quaterna, & mille eqtes adducebat) atq; his recentib. auxilijs vxorijs ſtipatus, alacri animo ad caſtra contẽdit. Contra Gallorũ Rex, q tum forte Cõpẽdij ſeſsitabat, ab Sanqntino quatuordecim, ab Lutetia verò duodeuiginti miliaribus audita iſta inopinata ſuorum clade, & iniuria, mirandum in modum initio eſt perturbatus ac perculſus. Porrò cũ à ſenſib. ad mẽtem reuolue-

reuolueretur, ac(neceſſitate ita poſtulante) auocatus à cogitanda moleſtia, reuocaretur ad dignitatem cùm publicam, tum priuatam, diligenter, conſtanter, circumſpecteq́, quãta celeritate, & quoad eius accepto tanto vulnere fieri potuit, præſtitit: ac nutanti regno proſpexit. oppida continuis laboribus communijt, & diſpoſitis præſidijs, excubijs, cuſtodijs, vigilijſque firmauit, vti quæque infirma, aut periculis obnoxia videbãtur. Ambarro item Dictatori nouorum habendorum delectuum, & maioris conſcribendi exercitus, apud Ladunum negocium dare. Guiſanam manum continuo ex Italia, diplomate reuocare. Auxilia Heluetiorum, veterrimorum ſociorum ac fratrum accerſere. Teutonum Regulos nonnullos etiam, quos dudum ceperat amicos, ſolicitare, Fœderatorum Franciæ opem implorare. denique comparare omnia, quæ eſſent ad obſiſtendum reſiſtendumq́ neceſſaria, & (quàm late patebat officioſa Gallia) militem, frumentum, munitionemq́ belli conquirere: ac ſpeciatim immenſam pecuniæ vim grauiſſimis edictis, ſeuere continenterq́ imperare, & per certos quæſtores cogere. ac dum ipſe his rebus vacat, interim Reginam, vna cum ſuo gynæ-

cio ac

cio ac comitatu Palatino, Lutetiam amandare. ad confirmandos illius populi animos: qui fugam parare, & de vertendo ſolo cogitare ferebatur. Ea eſt popularis quædã leuitas. Philippum enim, fortunata felicitate abutentes, inſtar Thymelicorum ac Xyſticorum, modo publicis conuitijs ac ludibrio cõſciderant Parrhiſii. Qui neſcientes, quid ſerus veſper interdum vehat, vt antea in inſolentia exſultauerant, ita tum quidem, vel ante tubam, trepidabant. Fit enimuero cum plurimum, vt ſtultitiæ ignauia item ſit coniuncta, & ignauis facilè vertatur color. Itaq;, quòd facile eſt imperium in bonis, ac per ſe officioſis, Rex vireis facillimè ſi nõ reparauit, impendentibus difficultatibus ſaltem prouidit. cui ſola Lutetia ter cẽtum millia nummûm, vltro mutua dedit atq; obtulit.

Verum (vt eò redeat oratio, vnde paululum digreſſa eſt) ſecuto biduo relatus certo in obſeſſam vrbem nuntius ſociarum ruinarum, ſummopere terruit defenſorum ſolitudinem. qui ſane ob eam rem precibus inſtare non deſinebant, vt è Foro tribules, ſocijq;, qua ſola ex parte poſſent, auxiliarias cohorteis, ſibi in extrema difficultate poſitis, continuo ſubmitterent.

rent. Hic Forenſes, data temporis opportunitate, trecentos expeditos fulminatores praepropere extrudunt. Sed illi ipſi à Burgundijs temperius conſpecti, intercipiuntur de via, ita vt deuotæ illius manus tertia duntaxat pars intra præſidium reciperetur. atque id auxiliorum nouiſſimum exſtitit. Subpoſtquam autem in caſtra Philippus venit, cum antea iam cuniculos egiſſet Allobrox, fatalis parabatur Sanquintinianorum oppugnatio. Eapropter præſtructis pluteis, & tormentorum ordine diſpoſito, per longiſſimum terræ ambitum (à porta nimirum D. Ioannis, vſq; ad flumentanam) 12. Kal. Septemb. inchoatum fulmen totos ſex dies continenter eſt iactum, tanta vi & pertinacia, vt turribus deiectis, mœnia ruinoſa, nuda, ac concuſſa relinquerentur. in extremo autem tonitruum ſpiritu, cuniculis, tribus ſimul ex locis, incenſis, in ruinis euerſorum propugnaculorum pars aliqua defenſorum aut abſorpta eſt, aut interijt. Interim tamen, cum parietinarum anguſtiæ aſpicerentur, ſic vt etiamnum oppugnator difficulter aſcendere in vallum poſſet, Philippus ad ſalutem reſpiciens militum, caute, prudentérque extremam irruptionem in poſterum diem reiecit.

iecit. quam non antè tentauit, quàm & pluribus tormentis tempeſtatem conduplicaſſet à primo diluculo, vſq; ad horam ſecūdam poſtmeridianam, & vehementiſſimè contorto fulmine ruinas pateſeciſſet. Tum demum paratos, inſtructoſq; milites, tripertito in expeditionē miſit. Itaq; vno & eodē temporis puncto, tribus ſimul ex partibus, Teutoni, Hiſpani Belgis permiſti, ac Britanni, non minore animorum feritate, quā virtute in propugnatores inuaſerunt. quos, non amplius, 800. fuiſſe, & fide multorum, & Halmerotæ ipſius excuſatione declaratur. quamlibet inter militū ordines veriſimile fuerit ciuium aliquam manum aut in ſtationib. excubaſſe, aut tecta, ac lareis ſimul cum præſidio defendere voluiſſe. Sed breuis & horaria fuit illa defenſio. immo ſtationem plerique fere omnes deſeruere; præter Dandolotum & Iarnacem, qui vſque aliquo vim ac impetum Burgundiorum fortiter ſuſtinuerunt. Ignaue porrò ac timide ſe habuerunt illi, q ſub Delphinate ſtipendia merebant. hi omnium primi, ac ſtatim loco ſunt deiecti, nec exemplo ac conſpectu ducis, ſedulo acriterq; ſuum ac patriæ decus defendentis, aut incitari aut retineri potuerunt. Itaq; vndique

dique ſimul irrumpẽtibus Burgundijs, ſit ingens militum, ciuiumq́; promiſcue cædes. Si quibus interim lucis vſurã dedit victor, (vt dedit plurimis) hos viuos cepit. & in his ante omneis, Halmerotem & Dandolotum, quorũ ſecundus percallide poſtmodum effugit. vir ſpectatus profectò, vt qui tam in tolerando hoſtium inſultu, ac ſtationis defenſione, quam in fuga euentu fortitudinis, iudicij, & excelſi animi præclarum ſpecimen ædidit. In captiuis præterea fuerunt Iarnaces, Sanremus, Humus, Garda, Cuzius, Mola, & multi alij primi ordinis viri. Atq; eo pactò ob nimiã quandam inconſiderantiam, vel inſolentiam potius, (quæ animorum vitia Gallis ferè ꝓpria, peculiaria, atq; à natura infuſa videntur eſſe) quòd tempeſtiue eam præſidio, quanto opus erat, non firmauerit, non modo Veromanduorum Auguſtam, omnis eius ꝓuinciæ & maximam, & locupletiſſimã, amiſit Rex Franciæ, ſed eodem penè errato, in conflictu Legati atque exercitus incredibile damnum fecit. Cæterum quia hæc ipſa vrbs in Somonenſium municipiorum numero nec poſtrema, nec infima cenſenda eſt, (qua de poſſeſſione olim Burgũdios & Gallos armis diu diſceptaſſe, litteris

teris eſt promulgatum) minime alienum videtur ab inſtituto, controuerſiarum fontem & originem diuturni belli, paulo altius repetere, atq; hoc loci intertexere. Res ita habet. Carolus VII. eo nomine Gallorum Rex calamitoſo difficiliq; bello implicatus, quod aduerſus Aeduos & Britãnos geſsit, & meliore parte regni ſpoliatus, cuius titulum (etiamnum Britannicis Regibus ab illa vſque tempeſtate communem) inauguratus in vrbe Parrhiſiorum Henricus VI. Britannicus propalam arrogarat, magno cum ſuo tum Reip. bono, fecit tandem cum Philippo Bono Burgundiorum Regulo (vt Paulus atteſtatur Aemilius) adoptatiſsimam pacem. idq; apud Atrebateis, anno libertatis Chriſtianæ 1435. hac ſummatim conditione. Vt Sanquintinum, Peronam, Ioſedum, Ambianum, Abbeuillam, & alia oppida amnenſia, vel ad Somonæ ripam (vti diximus) ſita, Philippus interea & eius legitimi nepotes maſculi poſsiderent, donec eam iuriſdictionem vel ipſe (Carolus VII.) vel eius ſucceſſores quadringentis millibus aureorum redemiſſent. Quo decedente Ludouicus XI. Caroli F. atq; hæres ex conuentu, paria fecit. & ex Aeduo redempta ſua municipia (quanta dictum

dictum eſt pecuniæ æſtimatione) ſtudioſe recuperauit. Ibi Philippus multa eſt de Ludouico queſtus. Primum quinquennio amplius, indignatione paterna eiectum è curia Ludouicum ſe magnifice in Aeduis aluiſſe. eũ deinde ſe ſplendido comitatu, ac magno ſumptu in patriam reduxiſſe. ſe præterea ingentem pecuniam expendiſſe, quo die diadema ei eſſet impoſitum: idcirco gratitudinis ergo, & ſanctè Ludouicum promiſiſſe, & ſeparatim in ſe recepiſſe, quamlibet ſponſioni pecuniariæ ſatis eſſet factum, vſum nihilominus commemoratæ iuriſdictionis ſuperſtiti Philippo fuiſſe indultu-rum, & loco accepti beneficij conſimili liberalitate hoſpitalitatem Aedui compenſaturum. Excipiens igitur hanc ipſam querelam Carolus Philippi F. bellicoſus atq; acer, dum pater Brugis graui morbo detinetur, anno ſupra milleſimum quadringenteſimũ, ſexageſimo quinto Lutetiana ad mœnia vſq; ingenti cum exercitu contendit, fœdere prius inito, cum Carolo fratre Regio, cum Britonum Regulo, & pleriſq; alijs Franciæ optimatibus. qui ſodalitio ſalutem publicam verbis quidem prætexebãt, re vera autẽ priuato commodo inſeruiebant, & in caput regale coniurauerant. Ea propter

Ludouicus ad ſummas adductus anguſtias, et neceſſitate compulſus, in aduerſariorum poſtulatis acquieuit. Fratri Normannium ſtipulatus, Carolo Aeduo clientelæ nomine fundum (de quo ipſe, & pater querimonias agebant) tunc quidem conceſſit. Secuto autem biennio, ſimulátque deceſſit Philippus, Bonus, idonea cum mortis eius, tum temporis opportunitate vtens, ac adactum iuſiurandum negligens Ludouicus, Auguſtam hanc Veromanduorum, & Ambianum primo occupauit, intendens eodem tenore, ad reliquam itidem Somonenſem ditionem recipiendam. Hic immanis domum excitata eſt cataſtrophe. nam dum Carolus amiſſa oppida armis ac vi repetit, & cæterorum vſum mordicùs defendit, contra Ludouicus hæreditatem iure mancipij quodammodo ſibi arrogat, & ſuum iuſtis rationibus ſibi vindicat & repetit: ingenti ſane, & implacabili bello vtrinque (vario pugnarum euentu) ob alternam eius regionis poſſeſſionẽ, eſt conflictatum, donec ad extremum Carolus, apud Nantium anno poſt milleſimum quadringenteſimum, ſeptuageſimo ſeptimo, cum Heluetijs & Lotharingico Regulo, tertiùm collatis ſignis male pugnãs, eſt interfectus.

Tum

Tam demum Ludouicus, iſta victoria proſperitate factus inſolentior, quem minime fugiebat, ſolam puellam à Carolo ſupereſſe) nullo æquitatis reſpectu, non modo municipiorum Somnenſium reliquias, quas Aedui retinuiſſent, recepit: verumetiam Geſſoriacum, Artuſiamq́; inuaſit, nec non vniuerſam Aeduorum Sequanorumq́; ciuitatem vſurpauit. Atque illa ipſa querela tot bellorum atrociſſimorum ſeminarium fuit. quæ bella prope continenter duæ (quas multoties nominauimus) illuſtriſſimæ illæ omnium Europæarum familiæ inter ſe ab illo ſæculo geſſerunt, vſque ad nouiſſimam pacem (Cameracinam) anno ſupra ſexquimilleſimum, vndeſexageſimo pactam. Cuius conditiones, ac compoſitionem qui propiùs introſpexerit, is rationes firmas inueniet, quemadmodũ lis iſta antiquiſſima, ac iam olim conteſtata, tandem remiſſa ſedataq́; fuerit. rurſus qui litigatores cauſam ſuam ad remp. ac tempus accõmodauerint. ſicuti poſtmodum ſuo loco à nobis notabitur.

Sanquintino capto, miſſus Caſtellum à Philippo, cum parte copiarum, Arenoperganus, quarto indidem milliario, tormẽtis ante exagitatum, deditione ſtatim obtinuit. non ſine

dedecore præſ. Soleniacis , qui verbis pugnans, giganteam quandam audaciam voce euomens, vultu iactauerat, ſe id præſidium vſque aliquo contra hoſtilem inſultum fuiſſe defenſurum. Paucis vero ab hinc diebus, Hanum petitur. quam arcem, multo fulmine concuſſam, Hanates itidem victori Philippo ſubinde crediderunt. His tribus Gallorum ſtationibus occupatis, muniendisq́ multorum dierum ponitur opera: & Hanum præciſe ita firmatur operibus ac propugnaculis , vt expugnari vix amplius potuiſſe crederetur. interim hoſticum depopulandi poteſtate facta, vltro citroq́ circumuagari excurſores, prædam omnem ex agris abigere , colonias flamma vaſtare, & in his Nouiodunum, vetuſtam ciuitatem, ab Auguſta Veromanduorum decem, ab Lutetia vero viginti quatuor milliaribus diſtantem. Inſtante itaque hyeme, (quo tempore bella iure gentium conquieſcunt) Philippus, vt captas ex Gallis ſtationes, magnis validisq́ præſidÿs communÿt ac firmauit, ſoluto exercitu, victoriæ ornamenta, & belli gloriam ac decus reportauit.

Philippo in Veromanduis bene pugnante, (ita ſane Fortuna, cum vult, res proſperas, aduer-

aduerſáſue cumulatè elargitur mortalibus) nihil non triumpho dignum eius in Italia duces itidem geſſerūt. quippe ad damnum in obſidione Ciuitatulæ factum hoc etiam Gallicanis partibus acceſſit incommodi.

M. Ant. Columna (quem legatum reliquerat in exercitu Dalua) agro Latinienſi denuo vim inferens, Pont. multa oppida ac municipia rurſus eripuit. is Iulium Vrſinum, & Mōte bellum herulū, qui cum legiuncula (nempe manu duûm millium, & quingentorum Heluetiorum, ac trib. circiter millibus Italorum peditum) Palicanum nouam munitionem introferre nitebantur, aperto Marte profligauit ac fudit. is vi expugnauit, diripuit, incendioq́; defœdauit non infirmam, nec exiguam ciuitatem Signiam. Qua clade ſuorum perculſus Pont. deteriora veritus, precibus inſtare, & crebris literis Guiſanum accerſere. qui etſi meminerat Pont. conuentis promiſſiſq́; antea nō ſtetiſſe, ad tempus tamen, cùm primum potuit, reſpondit, & Romanis ſubuenit neceſſitatibus, ac nouiſſime Tybur ingreſſus, in finitimas colonias exercitum effudit. Contra iſto nuntio allato, Dalua, vbi vidit metu, ac ſolicitudine liberatam eſſe Neapolim, in Latium

*conuertendas vireis eſſe ſtatuit. Egreſſus igitur è Cumanis. cũ delectu peditum atq; equitum, ſub medium Auguſtũ menſem, Columnæ ad pontem * Saccum ſe cõiungit. quo loci dum de ſumma rei inter ſe deliberant, auſpicatiſſimæ illius victoriæ, Philippi, in Veromanduis partæ, lætum nuntium acceperunt. Eapropter cum Pont. conditiones honeſtas Regio animo, & obſtinatione quadam repudiaret, armis diſceptandum iudicarunt, victæ vrbi leges gladio & vi eſſe imponendas, ex improuiſo irruptionem faciendam eſſe concludentes. Ob id Columellam vſq; præpropere duxerunt. id caſtellum duodecim abeſt non amplius ab vrbe millibus paſſuum, atq; indidem noctu mouentes, antequam luxiſſet, ad mœnia quidem acceſſerunt. ſed cum armatam Romam reperiſſent, & nocturnis ignibus, facibus, luminaribuſq; (vt in media luce) coruſcantem, viderenturq; Romani ſuum, de repentino tentando incurſu, conſilium excepiſſe: maxime, quod ex captiuis percũctatione didiciſſent P. Strozzam pridie veſperi Tybure Romam cum turma 500. equitum & ſignis denis Aquitanorum peditum conuolaſſe: itaque redactis in quadrum numerumq; conſilijs, conciſis prioribus ſenten-*

*Ita ſonabat Italiciſmus.

ſententijs, & præcogitata irruptione deſiſtentes eo, unde venerāt, reuerterunt, & Palicanum nouiſſime obſederunt.

*Iiſdem ferè diebus, cum deliberatum omnino eſſet Guiſano, in Galliam, reuocante Rege, cum exercitu recurrere, Pont. qui inſtantibus moleſtijs, & arduis negotijs angebatur, & futurorum metu percellebatur, quā pacem paulo ante ſuperbe reſpuerat, diſceſſum parantibus Gallis, tunc perattente ambiebat. eamque poſtremo interceſſione Veneti Senatus ac Florentinorum Reguli apud Caueam caſtellum, menſe Septembri (clam Ferrarium) his conditionibus ſubtiliſſimè eſt aſſecutus. Vt in gratiam ac fidem receptus Pont. Philippus, reuerētiam adhiberet aduerſus ipſius beatitatem, nec obedientiam relinqueret Rom. „ Vt in ſuam vterque poſſeſſionem, ſtatum, clientelámque reſtitutus, circumſcripta, partium pœna, omnibus in vniuerſum ignoſceret: exceptis nominatim tribus, M. Ant. Columna, Aſcanio Corneo, & Comite*Balneenſi, (ſuas nimirum priuatas cauſas, ceu domini in clientem actiones, Prætorijs huiuſcemodi exceptionib. Pont. excludebat, & de ipſis, ac ſuper eorum ſtatu, quid iure & legibus ſtatuendū eſſet, ad* « « « « « « « «

* Iuxta vulgare diale ctum Italicā Comes à Balneo.

,, *ſuum peculiare & Philippi arbitrium reuoca-*
,, *bat) res tamen ſumma vno omnium conſenſu*
,, *ita cōponeretur. ,, Vt Palicanū Ioan. Bernar-*
,, *dino Carboni Neapolitano ſtatim concredere-*
,, *tur, (cui viro, etſi ſub Philippo ſtipendia me-*
,, *rebat, nihilominus Pont. confidebat) ac com-*
,, *muni ſumptu conſeruaretur incolume, in v-*
,, *triuſque officio contineretur, donec in mutu-*
,, *am deliberationem ſecus cecidiſſet. Poſtremo,*
,, *fide publica inſtructo Guiſano, liceret in Tau-*
,, *rinos ex Latio exercitum traducere, qua com-*
,, *modum ei eſſet, vel per officioſam Philippo I-*
taliam. Atque in eum ſanè modum Pont. con-
citator belli, idemq́; victus, mera liberalitate Regia, æquabileis pacis conditiones inuenit, qualeis modo victor, aut ante laceſſitus iniuria quapiam exſtitiſſet à Philippo, (cuius patientia iſtud bellum alebatur, ducebaturq́;) veriſimile eſt eum laturum conceſſurúmque non fuiſſe.

In inſtanti fere temporis puncto, quo pax inter Pont. ac Philippum eſt conſtituta, dulci hoc quoque amarum infuit. vt in Etruria, ac Latio, præſertim Romæ ac Florentiæ magna & repentina accideret calamitas. Pridie enimuero Id. Septem. inſolita cœli coorta tem-
peſtate,

peſtate, & denſiſſimis imbribus, qui in poſterum vſq; diem continuabãtur, Arnus (quod anguſtum flumẽ, mediam illam ciuitatẽ, deſcriptione ædificiorum omniũ pulcherrimam, interſecat, non altum quidem, vadoq; paſſim & æſtate pedibus tranſitu) præter modum ex creuerat, ita vt non iam naturali ripa contineretur, ſed alte exundaret, vicosq́; omneis ciuitatis paſſim diffuſus inſtar vaſti lacus compleret. Porro aquarum æſtus quia in noctem concubiam irrepſit, obſiſti vndarum violentiæ nulla humana arte potuit. Magna itaque cùm hominum, tum animantium brutorum edita ſtrage, pontes vrbanos quatuor, è montano aſperoq́; ſaxo conſtructos, ruinis defœdauit, ædeis molesq; antea firmiſſimas labefactauit, aſceteria euertit, annonam, merces, ſupellectilia, denique id genus bona, quæ humanis vel neceſſitatibus vel commoditatibus ſeruiunt, diſſipauit: ſic vt paululum abfuerit caſus iſte afflictæ ciuitatis ab hoſtili direptione, maximè quòd in finitimis, amnenſibusq; municipÿs, & ante omnia, in Cluſentino agro ingens rerũ familiariũ ſit facta iactura. Quod ſicut abſentibus incredibile fortaſſis videatur ita præſentibus fuit aſpectu miſerabile & hor-

 rendum

rendum magis, quàm fuerit inundatio illa longe maxima, quæ ante annos ducentos vigintiquatuor contigiſſet. quemadmodum Aretinus & Maclauellus Hiſtoriographi ſcriptum reliquerunt. Secuto die, poſt ominoſam eam noctē, qua Florentina inciderat miſeria, Romæ conſimili tempeſtate imbrium, & diuturnitate pluuiæ Tyberis ſupra fidem intumeſcens, & alueum ripasq́; prætergreſſus, vrbem inundauit. quod diurnum Latÿ incommodum, nocturno Etruriæ malo ob id minus fuit, quòd tela præuiſa minus ferire ſoleant. nam quia in diem incidit Romana inundatio, præcaueri præ illa Florentina vtcunq́; potuit. Ad Felſinam præterea, ac per Flaminiã, aucti miris modis fluuÿ, agros ac fruges peruaſtarunt. Apud Tectoſages itidē eueniſſe, aliquanto antea maxime ad Nemanſium antiquiſſimam ciuitatem, exploratũ eſt. Subinde vero conſimili aquarum tempeſtate Siciliæ pars eſt afflicta, & præ ceteris Panormus. inde liquet anni diuerſa tēpora, nunc hac, nunc illa ratione, ex Solis, Lunæ, aſtrorumq́; inflexione, & lege naturæ vt fiant, contingere.

Menſe Octobri, dum præceptas Veromanduorum ſtationes Philippi victor exercitus

communit,

communit, contendit cum nouem ferè peditum millibus & equitibus mille, ab vicinis Sequanis, pꝫter Ararim, Baro polyuillanus in Seguſianos: communicato eis ante periclitationis conſilio. Poſtquam igitur Lugdunenſis Galliæ agros vltro citroq́ꝫ eſſet depopulatus, Forum Seguſianorum, eius gentis caput, quod ex Allobrogum iuriſdictione Galli iam pridem occupauerant, obſedit. ſed hi ad primum iſtius incurſus rumorē exciti, partim ex illis militibus, qui recentiſsime ex Italia domum rediſſent, partim ex finitimis Heluetijs, & vicinis ciuitatibus copiarum ſatis coēgerant, ea deliberatione, vt Aeduorum audaciam ſtatim contunderent, acieq́ꝫ cum Polyuillano decertarent. Quod ſimulatq́ꝫ in caſtris eſt renuntiatum, poſt obductos ſine fructu aliquàm multos dies, & ad vaſa conclamatum eſt, & 17. Kal. Nouemb. quātā feſtinatione potuit Polyuillanus, rebus ſuis diffidens, in patriā ꝓperauit: tantopere trepidantibus ſuis, vt ab meliore exercitus parte deſtitueretur. qui Polyuillanus ſi ante Italicarum legionum reditum, in ꝑculſos recēti Veromanduorū fratrū clade, Gallos ex inopinato inuaſiſſet, nullo labore, ambigit nemo, ipſum eô (vel etiā longius, quàm quô peruenire

peruenire inſtituiſſet) facilè cum exercitu fuiſſe progreſſurum. Sic periculum omne in mora eſſe ſolet.

Secuto Nouembri in curia Bruxellana extremum vitæ diem clauſit Ferd. Gonzaga, ad expeditionem illam Veromanduorum vſque à Neapoli, euocatus in Belgium. quem virum fato extinctum Philippus acerbe luxit: quòd ſpectati eius ducis fideli, vtiliq; opera non modo pater Carolus ſemper, verum conſilio, & auctoritate ipſe exacto bello, itidem commode vſus fuiſſet.

Guiſano & Strozza exercitus, multis nominibus extenuati, partem mari, Abumalo autem terreſtri itinere, reliquias præter manũ militum Ferrario commiſſam, in Galliam traducentibus: deinde multis Heluetiorum Teutonumq; cõductis millibus, deniq; diligenti conquiſitione, vndiq; concurrentibus copijs in Picardia Rex ingentem vim armorum renouauit, vireisq; inſtaurauit: cum conquieſcere poſſet, liberatus periculo & moleſtia prope omni, Polyuillano ceſſante tumultu, & ſoluto Philippi exercitu. Sed quia ad ſanandum exiſtimationis vulnus vis maxima inerat Regiæ voluntati, vix molem iniuriæ ſuſtinebat

acceptæ

acceptæ. itaque moræ omnis impatiens, nihil illum anni tempus hiemale maxime incommodum retardabat: quin ſummo vindicationis deſiderio ardebat, & volebat præclarum ac memorabile aliquod facinus aggredi, vt ſuis ſaltē indulgeret affectibus: & damnū aliqua ex parte reſarciret. Ac Regium hoc inſtitutū ſequebatur confirmabatq́; P. Strozza: quo ſuaſore & impulſore, Caletes antiquiſſima Gallorū ciuitas, ex Britannis armis retrahi poſſe videbatur. Ipſe enim à Gallo quodam, qui indidem cum captus eſſet aliquando, euaſerat, inſtructus, pridie Martinalium, veſperi (quæ Gallis & Teutonis manēt Saturnaliorum priſcorū reliquiæ) obſoletiore veſtitu indutus quam ſagaciſſime extrinſecus ſitū eius vrbis perueſtigauerat, & circumſtantiū propugnaculorum formam, ac firmitatem topographico oculo perſpexerat. Rex igitur hanc Strozzæ opinionem, non adeo abſimilem à vero, cum fundatam etiā ratione reperiſſet, confert ea de re cum familiariſſimis, & deliberat propoſitæ oppugnationis fortunam periclitari. Ob id Guiſano ſumma rei attribuitur auctoritas. cui præter auſpicem eius expeditionis Strozzā, legatos adiungit, duos fratres,

Momo-

Momorãſinum, Thermũ, Dandolotum, ſummo loco natos viros, & delectum nobiliſſimorum hominum, ac exercitatiſſimorum Tribb. Hos itaq; cum totius exercitus robore, & tormentis quam plurimis, & multo apparatu belli, alieniſſimo tempore per Morinorum agros, media ferè hieme in Caletes emittit. Hi ciuitatem etiamnum eo loci habent, quo antiquitus Itium portum, promontoriúmue fuiſſe, & Coſmographorum tabulis, & à Iulio Cæſ. eſt notatum. in extremis Belgarum Morinorúmq; finibus, poſitam ad Oceani anguſtias, vbi mare illud, quod Septemtriones reſpicit, Germanici, rurſus illud quod ad meridiem, Britannici nomen mutuatur. Hinc commodiſſima à Pleumoſys in oppoſitam obiectamque Britanniam eſt tranſmiſſio. Hæc ex diametro ſpectat Dobram, Britanniæ municipium. Diſtat autẽ ab litorali oppido Flandriæ Grauelinga tribus milliaribus, ab Ardea ſeptem, à Banonia Morinorum autem (ſiue mari ſiue terra eò iter inſtituas) pari dimenſione cæli circiter octo. Galli igitur, qui omnia temporis momẽta obſeruabant, (in celeritate enim iſtius expeditionis effectus potiſſimum
1558. *conſiſtebat) Kal. Ian. in. A. 1558. vſq; ad pontem arcis*

tem arcis (Nouambrigæ vulgo) munitiſſimæ acceſſerunt. Caſtellum illud eſt, nec minimum firmitatis addit Caletibus, mille ab vrbe paſſibus, non amplius, inde ceu è catarrhacta per meatus ſecretiores, aut aquæ ductus exundante mari, in ſubiectam planiciē, inſtar lacus cuiusdam aqua in foſſas camposq́; vrbis circum funditur vndequaq;. Hic præpropere deliberant, vno ſimul temporis puncto hanc arcem atq; illā Pharum, ceu ſpeculam (quam ipſi Risbanum vernaculè vocitant, poſita vero in faucibus portus introitum à mari coërcet) tormentorum vi ac fulmine cōcutere. & ſine mora inſtant deliberationi pertinaciter. tonant, vrgēt duabus ſimul ex partibus. Sed opus non erat tanto tonitru. quippe Angli repentino hoſtis conſpectu deterriti, & improuidi locum non tenuerunt: maxime ob id quod viderent nauium bellicarum claſſem ex Armoricis ciuitatibus comparatam in ſtationem pleniſſimis velis ferri: nihil conſtanter, nihil fortiter, nihil præclare geſſerunt. Qui ad Nouābrigam excubabant ſcilicet defenſores, audito hoſtili toitru, deſerto propugnaculo, vim impetumq; militum dum pertimeſcunt, turpi fuga intra vrbem illico ſe receperunt. Phari autē cuſtodes,

ſtodes, vix breuis horulæ curriculum obdurarunt. His itaq; effractis repagulis, ianua adituſq; Gallis ad vrbem patebat. ad quam ipſo temporis momento accelerarunt. Præerat ei tunc forte Milordeuendophordus, vir ignauus, & belli neſciens, cum præſidio 600. circiter militum. Sed inexercitata & effœta erat illa manus, quæ otioſe illic perpetua quadam penſione, & modico ſtipendio victitabat. numeri, ac oneris in loco magis habendi ciuitatis, ad inſtauranda Cereri, Bacchoq; ſacra aptiores, quàm qui Martem colant, quibúſue clauſtra, arces, limites, propugnaculaq; regionum committantur. Cæterum vbi pluribus ſimul ex partibus tormentis fruſtra exagitata vrbs (ob murorum vaſtitatem) ſpem expugnationis hoſti ademiſſet, reſperſam vim tempeſtatis, in vnum collegerunt oppugnatores Galli, eamq; in arcis demolitionem (quæ ſecundum mare ſita eſt) à mœnibus conuerterunt. Itaque mane Epiphanias tanta pertinacia admotis triginta tribus omnium capaciſſimis tormentis fulmina iactarunt, ita vt fragor ille terribilis ab Andouerpis fuerit exauditus. quod terræ interuallum triginta tria (vulgariora Germanorum) milliaria complectitur.

plectitur. Italica vero circiter centum exæquat. Cuius rei (ne hyperbolice narrari à nobis videatur) certum hoc eſt experimentum. Imperatoria tonitrua in Mediomatricum oppugnatione, quatuor vltra Argentinum milliaribus (quæ ciuitas indidem viginti duobus abeſt) auditu humano aperte percepta atque intellecta fuiſſe in promptu eſt. id quod multo remotius eſt cæli ſpatium, quàm ſit illud ipſum quod modo diximus. Siquidem ſingula Teutonûm ſupernatum milliaria, infernatis Germaniæ dimenſiones ſingulas multis ſtadijs, & longitudinis ferè parte quinta excellunt. At ſi cui fortè hoc adhuc perſuaſum non eſt, teſtes luculentiſsimi erunt nobis Grudij & intimi Ambiuariti. quippe Louanium & Brùxella, in Diuodurana obſidione, Gallicanorum tormentorum crepitum, fragoremq́ (inter quas ciuitates ac Theonuillam 36. milliarium iter eſt) clare diſtincteq́ cognouerunt. ſub poſteaquam igitur per totam eam diem continuato violento fulmine probabilem ruinam ædidiſſe ſe Gallorum duces cõſpexerunt (vti fecit apud Carthaginem Scipio) ſub diſceſſum æſtus maritimi ad patefactam arcem accedere, & cedente ſtagno, qua non exſpectabatur, irruptionem

V *tentare*

tentare cogitarunt, illo ipſo veſpere: erat autem noctis hora tunc ferè quarta. & cœlum valde ſudum. Luna etiam creſcens, eo candore lucebat, vti diluxiſſe diceres. Inſtruit oppugnatorũ ordines Guiſanus, hortatur, & collaudat, ac ſtipatus Tribb. manu, & ſpectata nobilitate ad parietinas ipſas accedit, ſigna modo anteuertens, modo ſubſequens. Quo loci etſi initio, ſublimè vexilla, liliaq́; figentibus Gallis, animoſi aliquot iuuenes Angli concurſabãt, ac obſiſtebant, continuo tamen verſus eſt ignauorũ color. quippe ſtatim, certatimq́; ex ponte (qui ad tranſitum vrbi coniungitur) fugientes intra mœnia, ab arcis defenſione reliqui, turpiter deſtiterũt. Guiſanus igitur occupatæ arci fortiſſimorũ militum præſidiũ, vna cum duobus fratribus, ac delecta nobilitate (maximè quod iam, Eurypi in modum, Oceani æſtus identidẽ reciprocarentur, quorum acceſſus & receſſus Lunæ motu gubernari liquet. idq́; die quolibet naturali bis accidere, omniũ, qui de rerum natura aliquid ſcripſerunt, opinione eſt exploratum) vrbanã oppugnationem, quæ ſola ei ſupererat, matutino tempori conſulto reſeruans, extemplo impoſuit. Britanni vero quia ſciebant, quam diu ſtagnum conſtitiſſet,

velut

velut in medio clauſos, nequaquam poſſe ſocio rum ope ſubleuari Gallos, arcis vſurpatores, continuo magno clamore & ferocia ex ponte inuadunt. Sed, nō minore virtute propugnantibus Gallis partam ſtationē, quam oppugnando acquiſierant, occiditur Anglorum melior pars, pars deturbatur, pars in fugam conijcitur. interpoſita autem exigua temporis mora; etſi diſpoſitis duobus tormentis in ipſo pontis aditu, prælium cum Gallis iteratum redintegrarunt, Anglorū militum irritus omnis exſtitit conatus. Eocirca cū in ſumma trepidatione ciuitas verſaretur, occlamantibus non nullis nequidquam obſiſti, conuocato conſilio, de deditione facienda cogitabant. ob id multo mane miſsis ad caſtra hoſtium legatis, pacem quidem, ſed proterue ac ſuperbe ſatis nō petebant, ſed proponebant. interim cum multas agerent querimonias, & diu multumq́; de cōpoſitione ſumma diſceptarent, ad extremum ad has conditiones deſcenderunt. quas cùm ob rei grauitatem, tum ob loci celebritatem ſubtilius deſcribere collibuit.

Primū omnibus in vniuerſum vitæ luciſq́; vſura dator. ne cui vis infertor. Ciuibus, in- «
«

V 2 colis,

,, colis,inquilinisue, quocunq; videatur, ſiue in ,, Britanniam ſiue in Flandriam fide publica, ,, qua fortunam excuſent ſuam,inſtructis,com- ,, migrandi libera poteſtas eſto. Ex tota nihilominus ciuitate quinquaginta (quos Guiſanus nominatim elegiſſet) apud victores captiui detinentor. Milites in Britanniam traijciunto. ſigna tamen militaria omnia, inſtrumenta belli uniuerſa, munitionem, annonam, relinquunto. integra omnia, ſalua in ,, tacta, impollutaque ſinunto. ab ædificiorum ,, cum publicorum tum priuatorum demolitio- ,, ne, ruinis, defœdatione, direptioneque abſti- ,, nento. ne clauiculum refigunto. ne lapillum lo- ,, co amouento, ne ſolum pauimentáue ſuffodiunto. (Poſterior iſta condicionum clauſula, niſi fallimur, de Gallorum larga & ſplendida natura limitabat aliquid, propter fixam memoriam peruerſitatis Britannorum, qui, dum ex conuentu Gallis reſtituta Bononia Belgica excedere iuberentur, in contemptũ quendam contumeliamq; hoſtis, nullis operibus pepercerant, quin odio capitali incitati omnia vndequaque peruaſtauerant.) Poſtremo aurum, argentum, æs, ſignatum, fictile, rude, rauduſculum, merces, ſupellectilia, equi, iumenta, (de

nique

uique quidquid rerum fluxarum nomine in telligeretur) id generatim omne, à ſummo ad imum, ad arbitrium voluntatemq́ Guiſani reuocator. Atq; in hunc modum turpiſsima illa ſocordia præſidiorum, damno, ignominia vinculis, morte, & rebus omnibus multata, extinctionem quãdam ei genti attulit, ac Britannis decus regni detraxit. Hic vero ex occaſione placet, breui digreſsiuncula multorum annorum ſpacia colligare. Eduardus ſcilicet 3. eo nomine Britannorum Rex, poſt profligatum fuſumque Creſcentiano conflictu, longe crudeliſsimo, Philippum 6. Franciæ regem, anno ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimo ſexto Caletum ciuitatem, terra marique continenter oppugnatam ac vndecim menſes obſeſſam, tandem fame offuſcauit ac cepit. Vnde ſecuta tempeſtate Gallis exactis, & Britannorum deducta eodem colonia, incredibili ſumptu, accurata diligentia, contra quoſcunque hoſtium inſultus, ducentos & vndecim annos vſque eo conſeruata ciuitas illa fuit, legibus vtens Anglicanis. nec vero Regum Britannicorum alij ianuam eam Franciæ male appellare conſueuerunt. alij, quamdiu Itium portum poſsiderent, claueis Galliæ ſe in cin-*

* Bonorum mobilium vulgo.

gulo circumferre dixerunt. non multū enim aberant à vero iſtiuſmodi Apophthegmata, ſiue alluſiones. nā quod aditus eis illa ex parte vſque pateret in continentem, vbi ita poſtulaſſet ſuſcepta expeditio, tantum non progreſſus magnos ſemper fecerunt, verum etiā timorem Morinis vicinis, & Franciæ odioſæ frenos vt plurimum iniecerunt. Sed poſtquam recuperato Itio promontorio, Galli ianuam illam Anglis præcluſerunt, non modo iam ab excurſionibus inimicarum prouinciarum, & depopulationibus agrorum prohibiti, ſed ab continente (in qua ne digitum quidē telluris, ad figendos pedes aut ſubducendas naueis, propriū habeant) prorſus ſecluſi, & ab circumfluo Oceano vndique obſeßi quodammodo videntur: iſta ex arce ſemel præcipitati Angli. Non debet autem quis arguta iſta alluſione maleuolorum moueri, Caletum ciuitatem, quam ex Philippo Gallorum rege Britanni olim cepiſſent, eā tunc viciſsim ex Philippo Britannico recepiſſe Gallos. quem Philippum conſtat ex iſto coniugio Regni titulū dumtaxat ſuſtinuiſſe. nam neque diadema ei fuit impoſitum, nec abſoluta reip. adminiſtratio tradita, nedum pars aliqua ciuitatis concredita. Præterea cum

odoratus

odoratus technas Gallicanas Philippus ſuſpicionem ſuam in litteris vxori ſubito denuntiaſſet, opemq́ vltro obtuliſſet & præſidium, quo ciuitas illa contra machinationes Gallorũ firmata obduraret, iſtiuſmodi præſagio non modo nõ patuerunt nimiũ ſibi fidentis populi aures, ſed etiam falſa opinione cauillatum eſt: Philippũ tali ſtratagemate Hiſpanienſi illum ipſum dominatum aucupari. quam tamen iniuriæ ſuſpicionẽ liberalitas Regia diluit, cum nollet laborãtibus Guinenſibus deeſſe. Horum oppidum Guinum, non infirmum, tribus ab Itio portu diſtans milliaribus, tuebatur Milordegraius, vir fortis atq; acer, cum præſidio circiter mille quadringentorũ militum: partim Belgarum, partim Hiſpanorum. quos Philippus Caletum vrbe obſeſſa, oppugnataq́; ſubmiſerat: partim Britannorum. Id nempe reſtabat ad perfectionem ingentis victoriæ Guiſano, quo ſic tandem Britannos è continente ſemel diſpelleret. Caletum igitur rebus compoſitis, ſtatim eo contendit. machinas & tormenta diſpoſuit. & quãlibet difficulter illud ipſum eſt aſſecutus, fecit tamen. multi enim ſuorum aduerſo fulmine icti, in primo incurſu interierunt. Tormentis pluteisq́; diſpoſitis con-

V 4 cutitur

cutitur tribus ſimul ex partibus Guinum: donec ruinarum ſatis eſt editum, ad tentandam irruptionem. Fit impetus vno & eodem temporis puncto, incredibili ferocitate in Guinenſes, tripertito agmine militum. quibus obſeſſi, præſentia Milordegraÿ fortitudineq́; (qui omnibus in tempore aderat, & laborantibus ſuccurrebat) confirmati, tãta contentione & virtute concurſarunt, vt viriliter hoſtem à vallo propulſarent, inſtantemq́; immani occidione occiderent. Hic vero Guiſanus, vt vidit ancipitem vſq; eo eſſe victoriam, manus oppugnatorum renouare, integros feſſis ſuccedere, iubere: deniq; pertinacia quadam vincendi caput ſuum præſentibus periculis obiectare. Tum demum, & propter vulnera ſociorum, & propter Aragem militum, extenuato mirandum in modũ præſidio, reliqui laboribus defatigati, cum impetum Gallorum diutius ſuſtinere ſe non poſſe animaduertunt, loco quidẽ ceſſerũt: interim ad ſigna concurrentes, vna cũ duce infirmiſſimũ ꝓpugnaculũ ſe ſubtraxerũt: indidẽ veſpere eodẽ mittẽtes, qui de pace concilianda interpellarent: neceſſitate compulſi poſtridie ad conditiones iſtiuſmodi
„ *deſcenderunt.*„ *Vt milites quidẽ cum armis,*

nullo

nullo vexillo, nullo inſtrumento bellico, nullo "
commeatu, ſtationem relinquerent, ſed Mi- "
lordegraius, cum Trib. mill. ſigniferis, & "
principibus in poteſtate manerent victoris. Hoc confecto itidẽ negotio Guiſanus, quod inter receptos nuper Caletes, ac Ardeates, vetus ac fidele municipium Franciæ velut medium interiaceret Guinum, recuperata iam poſſeſſione, minime neceſſarium fore iudicabat, vt p̃ſidio firmaretur, cuſtodiretúrue, ſolo æquauit. qui cum conſtituiſſet, Hamum, propinquam Guinenſibus arcẽ (quæ vnica ſupererat ei ad cumulum laudis) adoriri, eamq; non tã opere, aut molibus munitam, quo ſitu ac natura ipſa firmam, de via renuntiatum eſt, præſidium Anglicanum ſtationem turpiter deſeruiſſe. Id in caſtra vt eſt relatum, gratulari mutuo gregarij milites, quod nouis periculis ſe credere ne ceſſe non haberent: & armarium munitione bellica refertum, à Fortuna victrice traditum inuenirent. Cuius rei, niſi oculatos teſteis haberemus, fortaſſis orationi noſtræ fidem poſteritas non fuerit habitura, quantum apparatum belli, quantã munitionis vim, quantum commeatum ex breuiſſimo illo continentis angulo, Britannis abſtulerint Galli. Sola

V 5 *enimuero*

in ea re conſentiret: & fraternam ſucceſſionem comprobaret. Cæterum ſiue interim aliud agebant VII. VIRI, ſiue Ferd. Cæſ. domeſticis negotijs (quæ ſemper habebat plurima) fuerit inuolutus, Senatus ille ægerrime quidem, nec niſi ſecuto biennio, coijt. Qui cũ tandem huius demum anni, Martio, apud Francophordiam haberetur, comparuerunt ſubito, & (ſicut inſtructi informatiq; erant) retulerunt ad Senatum ante nominati legati. De qua re dum conſilium capitur, dies compluſculi abierunt. At ſimulatq; Ferd. in propoſitis VII. VIRVM conditionibus acquieuit, 3. Id. Mart. ritu vetere magnis cæremonijs, ab optimatibus inauguratur ad D. Barptolomæi, & à S.P.Q. Germ. electus Imp. nominatur. qui, ante quàm Senatus indidem dimitteretur, in conſequẽtem Nouembrem Comitijs apud Auguſtam Vindelicorum diem dixit.

Aprili deinceps Lutetiæ Franciſco Valeſio, Henrici natorum maximo, Maria Eſtuars, vnica Iacobi V. Scotici Regis filia, ac regni hæres ex aſſe, profuſo quodam luxu, ac ſumptu plane regio nupſit, qui cùm maritus continuo glorioſum Regis nomen induit, cum Delphinas ad eam vſq; diem appellaretur.

CALE-

CALETVM *ſtatu (cui vetuſta diplomata Comitatus Guinenſis nomen attribuunt) recuperato, Gallorum animi iſta victoria, ac proſpero rerum ſucceſſu,ſic efferebantur, vt de occupando vniuerſo Belgio cogitarent. In hoc enimuerò vireis vndique inſtaurauerant, eo conſilio, vt bipertito exercitu, infenſos Belgas duabus ſimul ex partibus adorirentur. hinc,puta ab Mediomatricibus & Lotharingiaco territorio: illinc, nempe à Caletibus, quemadmodum ſtrictim à nobis narrabitur. Quapropter ad domeſticas vireis, ſimulatq; Teutonum auxilia, duodena peditum, quaterna equitũ millia apud Mediomatricum Auguſtam comparuiſſent, atque acceſsiſſet Bordelio nobilis Gallus, cum meliore parte exercitus, exeunte Maio in hoſtilem terram præpropere, inopinatoq; præmiſſus, Diuodurum, nobilem, vetuſtamq; Caroli Magni ſedem obſedit. quem aliquanto poſtea Guiſanus, delecta nobilitate, & flore iuuentutis Gallicæ comitatus, (inter quos erãt hi principes, P. Strozza, Nemurs, Ambarruſq; Reguli) eodem itinere cum ſupplemẽto copiarum eſt conſecutus, belli inſtrumenta plurima, apparatum amplum, & munitionum ingentem vim ſecum trahens.*

hens.

ſtodes, vix breuis horulæ curriculum obdurarunt. His itaq; effractis repagulis, ianua adituſq; Gallis ad vrbem patebat. ad quam ipſo temporis momento accelerarunt. Præerat ei tunc forte Milordeuendophordus, vir ignauus, & belli neſciens, cum præſidio 600. circiter militum. Sed inexercitata & effœta erat illa manus, quæ otioſe illic perpetua quadam penſione, & modico ſtipendio victitabat. numeri, ac oneris in loco magis habendi ciuitatis, ad inſtauranda Cereri, Bacchoq; ſacra aptiores, quàm qui Martem colant, quibúſue clauſtra, arces, limites, propugnaculaq; regionum committantur. Cæterum vbi pluribus ſimul ex partibus tormentis fruſtra exagitata vrbs (ob murorum vaſtitatem) ſpem expugnationis hoſti ademiſſet, reſperſam vim tempeſtatis, in vnum collegerunt oppugnatores Galli, eamq; in arcis demolitionem (quæ ſecundum mare ſita eſt) à mœnibus conuerterunt. Itaque mane Epiphanias tanta pertinacia admotis triginta tribus omnium capaciſſimis tormentis fulmina iactarunt, ita vt fragor ille terribilis ab Andouerpis fuerit exauditus. quod terræ interuallum triginta tria (vulgariora Germanorum) milliaria complectitur.

plectitur. Italica vero circiter centum exæquat. Cuius rei (ne hyperbolice narrari à nobis videatur) certum hoc eſt experimentum. Imperatoria tonitrua in Mediomatricum oppugnatione, quatuor vltra Argentinum milliaribus (quæ ciuitas indidem viginti duobus abeſt) auditu humano aperte percepta atque intellecta fuiſſe in promptu eſt. id quod multo remotius eſt cæli ſpatium, quàm ſit illud ipſum quod modo diximus. Siquidem ſingula Teutonûm ſupernatum milliaria, infernatis Germaniæ dimenſiones ſingulas multis ſtadÿs, & longitudinis ferè parte quinta excellunt. At ſi cui fortè hoc adhuc perſuaſum non eſt, teſtes luculentiſſimi erunt nobis Grudÿ & intimi Ambiuariti. quippe Louanium & Brùxella, in Diuodurana obſidione, Gallicanorum tormentorum crepitum, fragoremq́ (inter quas ciuitates ac Theonuillam 36. milliarium iter eſt) clare diſtinctéq́ cognouerunt. ſub poſteaquam igitur per totam eam diem continuato violento fulmine probabilem ruinam ædidiſſe ſe Gallorum duces cõſpexerunt (vti fecit apud Carthaginem Scipio) ſub diſceſſum æſtus maritimi ad patefactam arcem accedere, & cedente ſtagno, qua non exſpectabatur, irruptionem

tentare cogitarunt, illo ipſo veſpere: erat autem noctis hora tunc ferè quarta. & cœlum valde ſudum. Luna etiam creſcens, eo candore lucebat, vti diluxiſſe diceres. Inſtruit oppugnatorũ ordines Guiſanus, hortatur, & collaudat, ac ſtipatus Tribb. manu, & ſpectata nobilitate ad parietinas ipſas accedit, ſigna modo anteuertens, modo ſubſequens. Quo loci etſi initio, ſublimè vexilla, liliaq; figentibus Gallis, animoſi aliquot iuuenes Angli concurſabãt, ac obſiſtebant, continuo tamen verſus eſt ignauorũ color. quippe ſtatim, certatimq; ex ponte (qui ad tranſitum vrbi coniungitur) fugientes intra mœnia, ab arcis defenſione reliqui, turpiter deſtiterũt. Guiſanus igitur occupatæ arci fortiſsimorũ militum præſidiũ, vna cum duobus fratribus, ac delecta nobilitate (maximè quod iam, Eurypi in modum, Oceani æſtus identidẽ reciprocarentur, quorum acceſſus & receſſus Lunæ motu gubernari liquet. idq; die quolibet naturali bis accidere, omniũ, qui de rerum natura aliquid ſcripſerunt, opinione eſt exploratum) vrbanã oppugnationem, quæ ſola ei ſupererat, matutino tempori conſulto reſeruans, extemplo impoſuit. Britanni vero quia ſciebant, quam diu ſtagnum conſtitiſſet, velut

velut in medio clauſos, nequaquam poſſe ſocio rum ope ſubleuari Gallos, arcis vſurpatores, continuo magno clamore & ferocia ex ponte inuadunt. Sed, nō minore virtute propugnantibus Gallis partam ſtationē, quam oppugnando acquiſierant, occiditur Anglorum melior pars, pars deturbatur, pars in fugam conijcitur. interpoſita autem exigua temporis mora, etſi diſpoſitis duobus tormentis in ipſo pontis aditu, prælium cum Gallis iteratum redintegrarunt, Anglorū militum irritus omnis exſtitit conatus. Eocirca cū in ſumma trepidatione ciuitas verſaretur, occlamantibus non nullis nequidquam obſiſti, conuocato conſilio, de deditione facienda cogitabant. ob id multo mane miſsis ad caſtra hoſtium legatis, pacem quidem, ſed proterue ac ſuperbe ſatis nō petebant, ſed proponebant. interim cum multas agerent querimonias, & diu multumq́; de cōpoſitione ſumma diſceptarent, ad extremum ad has conditiones deſcenderunt. quas cùm ob rei grauitatem, tum ob loci celebritatem ſubtilius deſcribere collibuit.

Primū omnibus in vniuerſum vitæ lucisq́; « vſura dator. ne cui vis infertor. Ciuibus, in- «

„ *colis,inquilinisue, quocunq́; videatur,ſiue in*
„ *Britanniam ſiue in Flandriam fidepublica,*
„ *qua fortunam excuſent ſuam,inſtructis,com-*
„ *migrandi libera poteſtas eſto. Ex tota nihilominus ciuitate quinquaginta (quos Guiſanus nominatim elegiſſet) apud victores captiui detinentor. Milites in Britanniam traijciunto. ſigna tamen militaria omnia, inſtrumenta belli vniuerſa, munitionem, annonam, relinquunto. integra omnia, ſalua in*
„ *tacta, impollutaque ſinunto. ab ædificiorum*
„ *cum publicorum tum priuatorum demolitio-*
„ *ne, ruinis, defœdatione, direptioneque abſti-*
„ *nento. ne clauiculum refigunto. ne lapillum lo-*
„ *co amouento, ne ſolum pauimentáue ſuffodiunto. (Poſterior iſta condicionum clauſula, niſi fallimur, de Gallorum larga & ſplendida natura limitabat aliquid, propter fixam memoriam peruerſitatis Britannorum, qui, dum ex conuentu Gallis reſtituta Bononia Belgica excedere iuberentur, in contemptũ quendam contumeliamq́; hoſtis, nullis operibus pepercerant, quin odio capitali incitati omnia vndequaque peruaſtauerant.) Poſtremo aurum, argentum, æs, ſignatum, fictile, rude, rauduſculum, merces, ſupellectilia, equi, iumenta, (de*
nique

uique quidquid * *rerum fluxarum nomine in-telligeretur) id generatim omne, à ſummo ad imum, ad arbitrium voluntatemq́; Guiſani reuocator. Atq; in hunc modum turpiſsima illa ſocordia præſidiorum, damno, ignominia vinculis, morte, & rebus omnibus multata, extinctionem quãdam ei genti attulit, ac Britannis decus regni detraxit. Hic vero ex occaſione placet, breui digreſsiuncula multorum annorum ſpacia colligare. Eduardus ſcilicet 3. eo nomine Britannorum Rex, poſt profligatum fuſumque Creſcentiano conflictu, longe crudeliſsimo, Philippum 6. Franciæ regem, anno ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimo ſexto Caletum ciuitatem, terra marique continenter oppugnatam ac vndecim menſes obſeſſam, tandem fame offuſcauit ac cepit. Vnde ſecuta tempeſtate Gallis exactis, & Britannorum deducta eodem colonia, incredibili ſumptu, accurata diligentia, contra quoſcunque hoſtium inſultus, ducentos & vndecim annos vſque eo conſeruata ciuitas illa fuit, legibus vtens Anglicanis. nec vero Regum Britannicorum alij ianuam eam Franciæ male appellare conſueuerunt. alij, quamdiu Itium portum poſsiderent, claueis Galliæ ſe in cin-*

* Bonorum mobilium vulgo.

gulo circumferre dixerunt. non multũ enim aberant à vero iſtiuſmodi Apophthegmata, ſiue alluſiones. nã quod aditus eis illa ex parte vſque pateret in continentem, vbi ita poſtulaſſet ſuſcepta expeditio, tantum non progreſſus magnos ſemper fecerunt, verum etiã timorem Morinis vicinis, & Franciæ odioſa frenos vt plurimum iniecerunt. Sed poſtquam recuperato Itio promontorio, Galli ianuam illam Anglis præcluſerunt, non modo iam ab excurſionibus inimicarum prouinciarum, & depopulationibus agrorum prohibiti, ſed ab continente (in qua ne digitum quidẽ telluris, ad figendos pedes aut ſubducendas naueis, propriũ habeant) prorſus ſecluſi, & ab circumfluo Oceano vndique obſeſſi quodammodo videntur: iſta ex arce ſemel præcipitati Angli. Non debet autem quis arguta iſta alluſione maleuolorum moueri, Caletum ciuitatem, quam ex Philippo Gallorum rege Britanni olim cepiſſent, eã tunc viciſſim ex Philippo Britannico recepiſſe Gallos. quem Philippum conſtat ex iſto coniugio Regni titulũ dumtaxat ſuſtinuiſſe. nam neque diadema ei fuit impoſitum, nec abſoluta reip. adminiſtratio tradita, nedum pars aliqua ciuitatis concredita. Præterea cum

odoratus

odoratus technas Gallicanas Philippus ſuſpicionem ſuam in litteris vxori ſubito denuntiaſſet, opemq́; vltro obtuliſſet & præſidium, quo ciuitas illa contra machinationes Gallorũ firmata obduraret, iſtiuſmodi præſagio non modo nõ patuerunt nimiũ ſibi fidentis populi aures, ſed etiam falſa opinione cauillatum eſt: Philippũ tali ſtratagemate Hiſpanienſi illum ipſum dominatum aucupari. quam tamen iniuriæ ſuſpicionẽ liberalitas Regia diluit, cum nollet laborãtibus Guinenſibus deeſſe. Horum oppidum Guinum, non infirmum, tribus ab Itio portu diſtans milliaribus, tuebatur Milordegraius, vir fortis atq; acer, cum præſidio circiter mille quadringentorũ militum: partim Belgarum, partim Hiſpanorum. quos Philippus Caletum vrbe obſeſſa, oppugnataq́; ſubmiſerat: partim Britannorum. Id nempe reſtabat ad perfectionem ingentis victoriæ Guiſano, quo ſic tandem Britannos è continente ſemel diſpelleret. Caletum igitur rebus compoſitis, ſtatim eo contendit. machinas & tormenta diſpoſuit. & quãlibet difficulter illud ipſum eſt aſſecutus, fecit tamen. multi enim ſuorum aduerſo fulmine icti, in primo incurſu interierunt. Tormentis pluteisq́; diſpoſitis con-

cutitur tribus ſimul ex partibus Guinum: donec ruinarum ſatis eſt editum, ad tentandam irruptionem. Fit impetus vno & eodem temporis puncto, incredibili ferocitate in Guinenſes, tripertito agmine militum. quibus obſeſſi, præſentia Milordegraÿ fortitudineq́ (qui omnibus in tempore aderat, & laborantibus ſuccurrebat) confirmati, tãta contentione & virtute concurſarunt, vt viriliter hoſtem à vallo propulſarent, inſtantemq́ immani occidione occiderent. Hic vero Guiſanus, vt vidit ancipitem vſq; eo eſſe victoriam, manus oppugnatorum renouare, integros feſſis ſuccedere, iubere: deniq; pertinacia quadam vincendi caput ſuum præſentibus periculis obiectare. Tum demum, & propter vulnera ſociorum, & propter Aragem militum, extenuato mirandum in modũ præſidio, reliqui laboribus defatigati, cum impetum Gallorum diutius ſuſtinere ſe non poſſe animaduertunt, loco quidẽ ceſſerũt: interim ad ſigna concurrentes, vna cũ duce infirmiſſimũ ꝓpugnaculũ ſe ſubtraxerũt: indidẽ veſpere eodẽ mittẽtes, qui de pace conciliãda interpellarent: neceſſitate compulſi poſtridie ad conditiones iſtiuſmodi ,, deſcenderunt. ,, Vt milites quidẽ cum armis,

nullo

nullo vexillo, nullo inſtrumento bellico, nullo " commeatu, ſtationem relinquerent, ſed Milordegraius, cum Trib. mill. ſigniferis, & " principibus in poteſtate manerent victoris. Hoc confecto itidē negotio Guiſanus, quod inter receptos nuper Caletes, ac Ardeates, vetus ac fidele municipium Franciæ velut medium interiaceret Guinum, recuperata iam poſſeſſione, minime neceſſarium fore iudicabat, vt pſ̃idio firmaretur, cuſtodiretúrue, ſolo æquauit. qui cum conſtituiſſet, Hamum, propinquam Guinenſibus arcē (quæ vnica ſupererat ei ad cumulum laudis) adoriri, eamq; non tā opere, aut molibus munitam, quo ſitu ac natura ipſa firmam, de via renuntiatum eſt, præſidium Anglicanum ſtationem turpiter deſeruiſſe. Id in caſtra vt eſt relatum, gratulari mutuo gregarij milites, quod nouis periculis ſe credere neceſſe non haberent: & armarium munitione bellica refertum, à Fortuna victrice traditum inuenirent. Cuius rei, niſi oculatos teſteis haberemus, fortaſsis orationi noſtræ fidem poſteritas non fuerit habitura, quantum apparatum belli, quantā munitionis vim, quantum commeatum ex breuiſsimo illo continentis angulo, Britannis abſtulerint Galli. Solæ

V 5 *enimuero*

enimuero Caletum ciuitas, horreum belli, & armamentarium Britanniæ, ab rerum militarium peritis eſt appellatum. Et ne aurum, argentum, merces, ne bona ciuium, & ſupellectilem particulatim recenſeamus, ac ne, quæ omnia inflatus victoria exercitus in ſuam libidinem auaritiámque conuertit, attingamus: ad vſum poſſeſsionémque prouinciæ, ac veterrimæ coloniæ, ad ingentem captiuorum numerum, cum ænea tormenta circiter tercentum, atque ferrea totidem lucrifecerint, cùm munitionum aceruum, & machinarum copiam conuaſauerint, dubitari minime debet, quid ex præda agrorum, quid ex manubijs inſtructiſsimæ opulentiſsimæq́; ciuitatis victoribus peruenerit. Porrò ſupra rerum caducarum luculentam acceſsionem, aut emolumentum longe maior exiſtimanda eſt gloria, cuius Guiſanus & Strozza immortale ſibi ſtatuerunt trophæum: re tanta tam celeriter, & tam præclare geſta. quòd hic delegatum ſibi ab Rege munus, ad extremum, vti maxime volebat, eſt executus: ille verò conſilij non modo eius auctor, ſed difficillimi belli particeps ac ſocius, partim etiam perfector exſtitit. Atque ita Galli & Britannos tota continente ſemel excluſe-

excluſerunt, & Pleumoſios vicinos, inimicóſque populos in anguſtum ex ea parte deduxerunt.

Secuto Februario conceſſit in fata in Hiſpania Bætica Leonora, Carol. V. germana ſoror. Ea primùm Emanueli Luſitanorum Regi in matrimonium collocata, ex ſe pepererat Mariam, illius regni * *candidatam. Secundũ autem Franciſco I. Gallorum Regi nubens, nullam ex eo ſobolem concepit.* *Infantẽ vulgo.

CAROLVS V. *cum ob ingraueſcentem indies morborum, & corporis imbecillitatem Imperij ſummam fratri tradidiſſet, in hoc honorificam legationem ad VII. VIROS adornauerat, exacto biennio: eiq́ muneri deſignauerat Gulielmum Arauſinum, Georgium Sigiſmundum Seldam, propræf. Auguſtalem, & VVolfgangum Hallerum, à ſecretis Imperatorijs, cum mandatis, & rerum agendarum capitibus huiuſcemodi; Longinqua corporis inualetudine ſupra modũ ſe affligi, iccirco faſceis Imperij, cui diutius tolerãdo ob affectam ætatem imparem ſe eſſe recognoſcebat, vltro abdicaſſe. Fratrem verò integro adhuc corpore, & cuilibet oneri habilem exiſtere. orare itaque, vt vniuerſi ordinis auctoritas vna ſecũ*

in ea

in ea reconſentiret: & fraternam ſucceſſionem comprobaret. Cæterum ſiue interim aliud agebant VII. VIRI, ſiue Ferd. Caſ. domeſticis negotijs (quæ ſemper habebat plurima) fuerit inuolutus, Senatus ille ægerrime quidem, nec niſi ſecuto biennio, coijt. Qui cũ tandem huius demum anni, Martio, apud Francophordiam haberetur, comparuerunt ſubito, & (ſicut inſtructi informatiq; erant) retulerunt ad Senatum ante nominati legati. De qua re dum conſilium capitur, dies compluſculi abierunt. At ſimulatq; Ferd. in propoſitis VII. VIRVM conditionibus acquieuit, 3. Id. Mart. ritu vetere magnis cæremonijs, ab optimatibus inauguratur ad D. Barptolomæi, & à S.P.Q. Germ. electus Imp. nominatur. qui, ante quàm Senatus indidem dimitteretur, in conſequẽtem Nouembrem Comitijs apud Auguſtam Vindelicorum diem dixit.

Aprili deinceps Lutetiæ Franciſco Valeſio, Henrici natorum maximo, Maria Eſtuars, vnica Iacobi V. Scotici Regis filia, ac regni hæres ex aſſe, profuſo quodam luxu, ac ſumptu plane regio nupſit, qui cùm maritus continuo glorioſum Regis nomen induit, cum Delphinas ad eam vſq; diem appellaretur.

Cale-

CALETVM *ſtatu (cui vetuſta diplomata Comitatus Guinenſis nomen attribuunt) recuperato, Gallorum animi iſta victoria, ac proſpero rerum ſucceſſu, ſic efferebantur, vt de occupando vniuerſo Belgio cogitarent. In hoc enimuerò vireis vndique inſtaurauerant, eo conſilio, vt bipertito exercitu, infenſos Belgas duabus ſimul ex partibus adorirentur. hinc, puta ab Mediomatricibus & Lotharingiaco territorio: illinc, nempe à Caletibus, quemadmodum ſtrictim à nobis narrabitur. Quapropter ad domeſticas vireis, ſimulatq; Teutonum auxilia, duodena peditum, quaterna equitũ millia apud Mediomatricum Auguſtam comparuiſſent, atque acceſſiſſet Bordelio nobilis Gallus, cum meliore parte exercitus, exeunte Maio in hoſtilem terram præpropere, inopinatoq́; præmiſſus, Diuodurum, nobilem, vetuſtamq́; Caroli Magni ſedem obſedit. quem aliquanto poſtea Guiſanus, delecta nobilitate, & flore iuuentutis Gallicæ comitatus, (inter quos erãt hi principes, P. Strozza, Nemurs, Ambarruſq́; Reguli) eodem itinere cum ſupplemẽto copiarum eſt conſecutus, belli inſtrumenta plurima, apparatum amplum, & munitionum ingentem vim ſecum trahens.*

bens. Cingitur itaque circumductis caſtris oppidum, loco maxime commodo poſitum ad Moſellam flumen, medium inter Romanduorum ac Mediomatricum Auguſtas, quatuor vtrinque diſtans milliaribus. natura ac operibus æque firmum. extrinſecus molibus ac propugnaculis eminentibus, intrinſecus autē vallo & aggere munitum, denique amœniſſimo loco ſitum, ac in perpetua planicie. Guiſanus igitur ſtatim à partitione munerū militarium, inſtrumēta omnia expugnationis ſolerter præparat. Tum Quaderebus Brabantinus (cuius ſumma illic erat auctoritas) cum perpuſillum præſidium vix ſuffecturum iudicaret, ad ſuſtinendam vim numeroſi exercitus, nec plus mille octingentos pedites, & ducentos equites apud ſe haberet, dominos ad ferēdam opem ſolicitat. Accurrit igitur, quàm proximeq́; potuit acceſſit euocatus Hornus Belga, ſummo loco natus, cum tribus Hiſpanorum veteranorū cohortibus. ſed vt noctu ad ambages viarū ventitabat, vt omnia antea ſpecularetur, ad obſeſſos, interſeptis itineribus, penetrare nequiuit. Eodem cum triduo poſt obſidionem niterentur quatuor Hannoniorū, Cōdruſiorúmque auxiliaria ſigna, nec vi, nec

inſidian-

inſidiando, nec ſpeculando aſſequi, quod volebant, potuerunt: ſed accepto aliquo detrimento, ab Gallis facile ſunt repulſi. Apertis interim ſcrobibus, egeſtis aggeribus, vineis actis, operibus præſtructis, & diſpoſitis tormentis (eo tanquã oppugnationis proludio, biduũ, triduúmue obducit) Guiſanus telis vſus minoribus, necubi propugnatores aut in muris, aut in vallo defenſores conſiſtere poſſent: itaq; pluteis operibúſque mœnia nudarentur. Ob id 6. Id. Iun. ſerio rem aggreſſus, triginta quinque omnium maximis tormentis triduum continenter fulminat, tanto impetu, vt murorum ruinam tantam ederet, quantum ad tentandum irruptionem, ſatis erat futurum, niſi (quia vado flumen tranſeundum erat) Trib. mil. ſecus indicaſſent. Eapropter Ambarrus, ex diuerſa parte, qua in Mediomatrices itur, alterã parabat tempeſtatẽ. Guiſanus tamen, vt parietinas exploraret, & animos hoſtium periclitaretur, ſexcentos deligit, eóſque expeditos milites, qui ludificatione militari, ſimulent irruptionem. nec mora hi, partim incuria defenſorum (quod impetus illa ex parte nedum expectabatur) partim furore & pertinacia vincẽdi, nullo vel paruo labore in ruino-

ruinoſum murum conſcendere cœperunt. In ſummo cardine res Diuoduranorum tũc quidem vertebatur. nam ſi deuotorum veſtigia, firmiores ſociorum manus fuiſſent ſubſecuta, poterat illo ipſo temporis puncto arx illa procul dubio capi atque opprimi. Paucitas verò oppugnatorum Ferentariorúmue iſta defenſorum multitudine poſt obſtinatam dimicationem propulſatur. in qua velitatione multi ſpectati viri ſunt interfecti, & in his Sancto Stephanius Trib. mil. exercitatiſſimus. Ambarrus igitur continuato fulmine, non modo murorum, ſed etiam firmiſſimæ turris meliorem partem diruit. qua occupata facilior erat Gallis & in vallum, & in oppidum futura irruptio. iccirco ſimul cum dicto ducis conuolant eo magna animorum feritate, inſtructa oppugnatorum agmina, & certamen horrendum ineunt. nec minus fortiter inſultum hoſtis parati Burgundij ſuſtinent. Pugnatur itaque vtrinq; viriliter & diu ancipiti Marte. Occumbunt ab vtriſque infiniti. At Galli, qui numero propugnatoribus longe erant plures, manuum viriumq; robore poſtremo identidem euadunt ſuperiores, ac turrim occupant. Qua capta, cum in victoriæ poſſeſſione, niſi

omnino nollent, permanerent Galli: ecce P. Strozza, qui vna cum Guiſano, præſentia ſua militum audaciam confirmabat, glande ictus paucis horulis occidit. quem virum non vniuerſus tantum exercitus, ſed ipſe etiam Rex, atque omnis Francia, fidelitatis, operæ, officiorum, & virtutis eius memor, publico luctu eſt proſecuta. Atque hic caſus ei (niſi religio nobis eſt dicere) fatalis fuit, & fraterno perſimilis, de quo antea eſt dictum. qui P. Strozza, quòd toto vitæ ſuæ curriculo multum laboris pertulerit, iure merito Epitaphium Iacobi illius Triulci (ducis clariſſimi, eiuſdemq́; exſulis, & equeſtri dignitate, denique quem fortunis omnibus ad viuum expreſſit) mutuari potuit, nempe: HEIC MORTVVS REQVIESCIT SEMEL, QVI VIVVS REQVIEVIT NVNQVAM. *Sed (vt inſtitutum perſequamur) poſtquam Galli actis cuniculis, pro pugnaculi partem, quod occupatæ turri erat oppoſitum atq; obiectum, ſubuertere, & ſubterraneis latibulis accenſam facem inijcere parabāt, Burgundij cùm propter ſepulturam occiſorum, tum propter vulnera militum, in ſummis poſiti difficultatibus (maxime quòd extenuari ſpem auxiliorum & euaneſcere viderent)*

derent) conſilium defenſionis mutarunt, & niſi perire mallent, ad huiuſcemodi condiciones deſcenderunt. Vt miles generatim cum armis, equis ac ſarcinis, præſidio excederet. colonus autem omnis cùm vtenſilium optionibus coloniam mutaret. Atque hoc fere modo 10. Kalend. Iul. in Gallorum poteſtatem venit firmiſſima arx Theonuilla, clauſtrorum Belgicorum non vltimum. Cadmæa porrò ſimilis illa exſtitit Gallis victoria. quin in interitu Strozzæ, & aliorum Tribb. ac veteranorum militum tantum damni fecerunt, vt reliquum omnem exercitùm horror perfunderet. Id oppidum verò decadem (vt minus) explet poſtremis bellis dolabra, & machinationibus ſubtiliſſimis captarum arcium, quæ antea nulla ratione expugnari potuiſſe videbantur. Eæ ſunt nominatim citra Alpeis, Iuoſium, Terauana, Sanquintinum, Caletum ciuitas, Guinũ, Theonuilla. vltra Alpeis, Inurea, Vlpianum, Valſœnaria, & Chariolum. quæ omnes horribili fulminum tempeſtate, & tormentis ceu de cœlo tactæ, & expertæ nouum genus cuniculorum, ferramentorum, ac operum, & Centaurice (vt ita dicam) oppugnatæ, aut ad extremum dederunt manus, & vin-

& vinci capíque ſe paſſæ ſunt: aut ſaltem in conditionem pactáque venerunt, ita vt recentes earundē fortunæ teſtes luculentiſsimi ſint, moles ac propugnacula vrbibus confidentiam quidem adferre, ſed ſecuritatem præſtare minime poſſe. præterea perperam obſideri, ac fame offuſcari arceis, fruſtra attenuari cunctatione & mora hoſtium vireis. & ſpem faciant bellatoribus, vno prælio in campis rem vniuerſam facile diſceptandi, exemplo vetuſtæ militiæ, & virtute (cui nihil ſit inuium) ac robore militum bellum conficiendi, & ignauis hominibus (vti fere contingit) victoriæ gloriam præcipiendi, & fortitudinem virilem honorandi. Guiſanus autem cum pluſculos dies Diuoduri commoratus, partim vt ſtationem communiret, partim vt exercitum reficeret, Kalend. Quintil. indidem ducens, Arelodunum, ſexto diſtans milliario, cognoſcit voluntario incēdio oppidum combuſtum, & ob infirmitatem ab oppidanis eſſe deſtitutum. Obducitur ibidem alterum octiduum, tum vt reliquias miſeræ coloniæ militi in prædam daret, tum vt inimicum municipium à ſolo ſubrueret. Hic nata nulla fere de cauſa inter Teutones & Gallos grauis ſeditio,

vix interceſſione Trib. ſedari potuit. Inde Verodunum (tanquam ad ſtatiua) mouit, vt ſtatum rerum Lucæpyrgenſium (ſicuti tunc quidem ferebatur) propius exploraret, ac perſcrutaretur.

Porro dum in aqua hæret (quod aiunt) Guiſanus, nec ſcit, quo ſe vertat; Thermus Gallus, vir honeſto loco natus, & bellica laude clarus, cum alteris copijs (quas in Caletibus ſupraparari diximus. erant ea nouem fere peditum millia, & ſeſquimille equites) exeunte Iunio ab Itio portu egreditur, eo conſilio, vt vno temporis puncto, quo ipſe Pleumoſios & propinquam Flandriam inuaderet, ille ſimul ab Lucæpyrgo in expeditionem iret. itaq; Belgium inimicum ab ſummo & imo infeſtaretur: Tranſgreſſus igitur foſſam Boulanã, vbi agreſtem multitudinem, & militum cohorticulas (quæ in diuerſa ripa cõſiſtentes tranſitu Gallos prohibere conabantur) fudit Grauelingam & Burburgum à tergo reliquit, ac 6. Non. Iul. Actiophanũ maritimum oppidum, ſex diſtans ab Caletum ciuitate milliaribus, ex inopinato duxit. id quod, per fidem in colloquio circumuentis (quód Thermici milites vndique præpropere mœnia conſcenderant)*

*Flandri foſſam nouam in digitãt vt auctor eſt Meyerus.

rant) oppidanis, & ferociter occupatum, & indignis modis direptum eſt. Cui communiri iuſſo, præſidium imponens, in interiorem agrum progreditur, nulloq́ labore Guinocipergam, bellum & pingue municipium, capit, diripit, incendit ac vaſtat. itaque impune Galli pergraſſari, ſigna circumferre, & magna inſolentia paſſim perbacchari, prædam locupletem ex opulentiſſima Flandriæ Occidentalis portione abigere, & incredibile damnum imparatis inferre, vna flamma colonias vndecunq; deſœdare, poſtremo ad Neoportum vſq; excurrere.

PHILIPPVS *interea (etſi imparatum Gallica opprimere videbatur inſolentia) odoratus illico & belli tumultum, & machinationem hoſtis, magna ſolertia aduentum auxiliorum Teutonicorum, quæ inſtituiſſe iter renunciabantur, ſolicitabat, & diligentiſſima conquiſitione Belgicas vireis contrahebat. Ob id in Condruſios Regulū Allobrogem præſ. primo cum parte copiarum miſerat, vt ex ea parte Guiſano occurreret. ac deinceps Mabugium traducere iuſſerat : oppidum valde opportunum, & ad præcauendum & ad prouidendum, quocunque res inclinaſſet. Cæterum*

ſimulatq́; intelligit Guiſanum occultiſſimis cauſis retardatum, non prodire, ac tempus fal lere, deliberat celeriter adoriri Thermum, qui viribus minus valebat, priuſquam nouis augeretur confirmareturq́; auxilijs. Attribuit igitur Imperatoriam auctoritatē Ecmōdenſi, is praepropere in liberalē Flandriam euolans, apud Grauelingam (quod oppidum medium eſt inter Itium portum & Actiophanum) & Binicurio, praeſ. caſtrorum coniunctus, accitis eodem ex Bethynia, Sanctomaro, Area, Burburgo, & propinqua ſocietate praeſidijs, (quae omnia inuicem propinqua oppida Philippi dominatu ſaltem tenentur) collectoq́; ſupplemento, quod paulatim Allobrox ex Cōdruſijs ſubmiſerat, paucis diebus iuſtum exercitū (duodecim ſcilicet peditum millia, equitum autem fere tria) celeriter ſolerterq́; conflauit. praeter agreſtium hominū multitudinem penè infinitam, qui amiſſis rebus & mente incitati partim armati, partim inermes ad caſtra vndique concurrebant.

Interea temporis Thermus, cū ab incurſatione Pleumoſiorū copias, ob arthriticum dolorem, quo afficiebatur, Actiophanum retraxiſſet, & olfeciſſet tragulam ſibi inijci, proxime Gra-

me Grauelingam caſtra poni iuſsit, intra primum lapidem, vt (ſi opus forèt) propinquior ei eſſet ad Caletes receptus. Caterum ſimulatq; nuntiatum eſt, ſubito coijſſe ingentem vim hoſtium, & ſumma rei praeſſe Ecmondenſem articulorum negligens cruciatum, equo admiſſo ad caſtra continuo accurrit. aquo & munito erant ea loco poſita. nec multo poſt eum inſtructis copijs comparuerunt Ecmondenſis & Binicurius: tanta animorum altitudine, vt intra telorum iactum conſiſterent: & incredibili feritate hoſtem vndique laceſſerent. Tum Thermus, coacto eadem nocte conſilio, quia videbat militum numero ſe longe eſſe inferiorem, & in hoſtili ſolo tanquam circulo inimiciſsimarum gentium interſeptum, praterea caſtra Burgundiorum in horas creſcere, concludit poſtridie recedente aſtu maris ſecundum litus, ad Itium portum refugere, itaque beneficio natura elabi. qua vbi oblata eſt opportunitas, ſicuti conſtitutum eis fuerat, ſolicite ad fauceis Ada (qua ex parte ſupra Grauelingam ille ſe in mare exonerat, cedente iam ſtagno) remiſsioris, accedunt Galli, & nullo negotio tranſmittunt. Contra Ecmondenſis, augurium fuga Gallicana vt ac

 cepit,

cepit, infra id oppidum feſtinato flumen traijcit, vt fugacem hoſtẽ tranſitu prohibeat. Tertio ante Id. Quintil. die hæc geſta ſunt. Occurrit porrò hoſti Ecmondenſis à fronte, circa Caletum Catarrhactum, & in conſpectu Grauelinganorum. Hîc Thermus, vbi cœpto itinere intercludi ſuos videt, tempori ſeruiens, totis viribus in rem incumbit. cumq́; maris immẽſi ab vno latere eſſet proſpectus, ab alio autem campus nulla arbore, nullo dumos cõſitus, nullo tumulo, alióue impedimento, & æquiorem locum (quoad eius fieri poſſet) ſumere cuperet, aciem hoc pacto inſtruxit. Ab dextra in Septẽtriones, qua ex parte mare exundabat, itaque latus vnum probe tegebat, totum exercitum deflectit. ab læua verſus meridiem atque Auſtrum, carros pro vallo obijcit: à tergo foſſa Boulana. Sic vndecunque tuti Galli ſolã frontem Burgundijs aperiebant. qua ex parte ante ordines tormenta omnino nouem (nempe Colubros ſex, Falcones verò treis) Thermus collocauit: ita vt interualla equitibus ampla relinquerentur, quo ſic hoſtem ſimul & tormenta, & equitum incurſus infeſtarent, quorum equitum vtrumque latus claudebant fulguratores Aquitani. Vltimi tertijq́; erant Galli

Celtæ,

Celtæ, & Teutones euocati, qui permiſtis ſtabant ordinibus, à tergo, vt (vbi opus foret) ſubſidio ſocijs in pugna eſſent. Ecmondenſis verò licet tormenta, (quæ accelerandi itineris cauſa relicta eſſent) nulla apud ſe habebat, iuſsiſſet tamen ea ſubuehi, nihil anxius, quòd ea in re hoſtis plus polleret, aut ſe potior eſſe videretur, virtute vel potiſsime nitebatur. is igitur cum præmeditata fuga Gallos timorem ſuum prodidiſſe, & prædæ ingentem vim ſecum abigere voluiſſe ex tempore cognoſcit: cõmunicato conſilio, veritus ne auxiliorum interuentu è manibus elaberetur Thermus, minime cunctandum ratus, cum Scipione Africano, hoſti non ſolum dandam eſſe viam fugiendi, ſed etiam muniendam iudicat. Ibi copias expedit, rurſuſq; ſe ad confligendum animo confirmat, militéſque ſolerter cohortando ita inſtruit. Equitatu vniuerſo in quinq; ordines diſpertito, præequitare leuis armaturæ equites iubet, tripertito agmine. quorum cornu dextrum Ponteualens Belga Comes regebat. ſiniſtro autem Enricus, Enri. F. Celtiber præerat. Mediam alam ipſe ſibi reſeruabat Ecmõdenſis. Poſt hos ſtatim Teutonicorum fulguratorum equitum turma, deinde Cataphra-

ctorum Belgarũ ala, per aliqua interualla ſuccedens, à delectis ducibus ducebatur. Peditatus vero omnis in treis deinceps diuidebatur acies. hi erant Teutoni, Belgæ, quorum maior erat manus, & Hiſpanorum veteranorum cohortes. quibus imperabant Tribb. mill. Binicurius Belga, Hilmarmonachuſius Germanus, & Loyſius Caruaial Hiſpanus. Hac ratione inſtructo exercitu, ſublata voce, Vicimus, inquit Ecmondenſis: Quotuſquiſq; laudi ſtudet cum ſuæ, tũ patriæ, me ſequatur. & ſimul admiſſo equo, mecum inuadite in confertos hoſtes: vt ait, cum dicto derepente, pugnæ ſigno propoſita, cõcurrit. Suſtinet interim impetum Burgundiorum viriliter paratus Gallus, & tormentorũ fulmine magnam incutit plagam anteſignanis: ſicvt Ecmondenſis equus, quo vehebatur, primo curſu concideret. Burgundij vero nihilo deterriti iſto caſu, cœpto inſiſtunt fortiter, totoq; robore in hoſtem, monitore & impulſore Ecmondenſe, feruntur. Concurrunt ſine mora totæ vtrinque acies. Pugnatur cominus. gladijs, ferro, fulmine, haſtis res peragitur. Turmæ equeſtres turmis equeſtribus congrediuntur: pedeſtres copiæ peditibus opponuntur. Denique

nique cõſeritur manus, confertur pes pedi. Id quod caſu̇ne acciderit, an de induſtria ducum prouiſum fuerit, tamen obſeruatione notandarum rerum, nouum illud, itemq́ admirabile, vel Bellicæ rei ſcientiſſimis viſum eſt: qui ne à ſeculo quidem incidiſſe palam proferebant, vt ea cùm æquabilitate, & omnium ordinum paritate, & conſimili plane commiſſione prælium eſſet: quo vno omnis fere vtrorumq́ fortuna diſceptare videbatur. Ita & longo & ancipiti certamine acriter, pertinaciterq́ eſt pugnatum. nam etſi immoti ſtabant mercenarij Teutoni, Aquitanorum peditum tanta hîc fuit virtus, vt & horum ignauiam diligentia ſupplerent, & ſociorum vicem per ſeſe vlciſcerentur: denique ſuo robore totam fere molem prælij ſuſtinerẽt. quippe Teutonis tanquam ſummotis, ac aliquo interuallo relictis, conuerſa ſigna vndique vrgentibus Burgundijs intulerunt, his reſtiterunt, & magno animo venienteis exceperũt. Concurrebant & Gallicani equites, at lentius & diſſolutius ſolito, nec vt iſtam decebat nobilitatem, licet & delecta, & armis equisq́ ſplendide erat inſtructa, ex ipſius gentis conſuetudine. Porro dum illo in certamine vſque eo, &

eo, & tanta animorum contentione dimicaretur, vt neutri faciem auerterent: caſus quidam fortuitus, ac mirificus interuenit. Præteruehebantur eâ tum forte decem naues bellicæ Britannorum, qui procul ex vndis conſpecto conflictu, obuerſis clauis ac compreſſis gubernaculis (quoad per fluctus licuit marinos) in litus appulerunt. itaque Gallici exercitus (quē Oceano admotum ſupra diximus) latera, tormentorum tempeſtate eminus percuſſerunt. Hac rei nouitate perculſi Thermici, veriti ne plures accederent naues, ſummopere trepidare incipiunt. Contra verò Burgundij pertinacius inſtant: & vbi equitatum reiecerunt, peditatum mox identidem turbarunt: itaque poſtremo Gallos fuderunt ac profligarunt, non ſine magno decore generatim omnium ordinum, maxime leuis armaturæ equitum, & particulatim ſumma gloria Ecmondenſis, qui non minus iudicio quàm virtute valuit militari. Cuius præter cæteros duces, puta, Binicurium, Renteianum, Rullum, Enricum, Ponteualentem, Fōtanum, Hilmaremmonachuſium, & Caruaialem, ſpectata potiſſimum animi præſtantia & fortitudine inſignis iſta ſtetit victoria. Contra Thermus

rebus

rebus male geſtis non incuriæ ſolum, ſed etiam lentitudinis à nonnullis arguitur: quia diutius (quàm par fuiſſet) receptũ prorogaſſet, nec ſaltem conflictum fatalem Franciæ antecedente nocte, caſtra mouiſſet. ferebatur enim, auaritiæ cauſſa, cum prædam è Flandricis collectam municipijs in ſuam pertrahere voraginem ſtuderet, & tempus & opportunitatem idoneã liberi regreſſus tranſmiſiſſe. Quidam vero aſſeuerãt, iuſſu Regis commoratum fuiſſe in Pleumoſijs Thermum, quem rumor erat auxilia Thermo deſtinaturum fuiſſe. Vtcunq; fuit, propemodum errauit in hoc Thermus, quòd intercludi ſe, & quodammodo opprimi ea ratione paſſus fuerit. In numero autem occiſorum (vti fit) inter ſermones populares quamlibet variatum ſit, tamen ſedulo veritatem percunctantibus nobis, à fide digniſſimis, atque ijs militibus qui ipſi interfuerunt facto, in acta publica relatum eſſe audiuimus Thermicorum circiter 1500. in eo prælio cõciſos. eorum vero, qui in fugam ſe coniecerint, militũ longe plures obtrũcatos ab agreſtibus hominibus, q angustias itinerum & clauſtra (quibus fugam parabant profligati Galli) inſederant. Quæ clades illud item ignominiæ

inuſſit

iuſſit Gallis, vt verſari eis vſque ante oculos aſpectus Flandrarum, & furor debeat in eorum merita cæde (ſicut in Orpheum de Bacchis bacchantibus, Græcia fabulatur) exſultãtum. quippe furijs vltricib. agitatæ fœminæ, cum vrbanæ, tum ruſticæ Lacanarum in morem, ſicubi obuium Gallum habuerunt, eum conuitiatæ, quòd Flandriam vaſtaſſet, municipia vexaſſet, tecta incendiſſet, quem opprimere ſingulæ non poterant, plures ſimul vnguibus quaſi diſcerpſerunt, vel fuſtuario tumultuoſiſſime multarunt. vt profundo ſilentio interim inuoluantur, quos aut flumen abſorpſit, aut æſtus maritimi obruerunt. Britanni verò, qui ad anchoras relictis in alto nauibus, nauiculis item in oram maritimam obnauigabant, ex Gallis, qui in fluctibus nabant, circiter 200. viuos ceperunt, quos etſi perdere deprimereq́ poſſent in profundum, maluerũt tamen gloriæ dulcedine commoti hoſtem è naufragio extrahere, quo ſic tanquam participes eius belli adiutoréſque, haberent certos teſtes tam inſignis victoriæ in Britannia, quos paucos ex multis ad ignominiã ſortiti, eò (velut in triumphum) tranſuexerunt. Porro eorum, qui fuga interclusi capti ſunt, quorumq́ exſti-

exſtitit magna copia, hi principes numerabantur. ante cæteros Thermus, dux exercitus, idem rector Caletum: qui non in fortuna ſolũ, ſed etiam in corpore ſuo graue vulnus accepit, & cum eo Annibalius, Villæbonus, Sinarpontanus, ſummo loco nati, & omnes iuxta equeſtris ordinis viri, atque alij honeſtiores quiq;, & aſsidui Principum, quos breuitati ſtudentes ſtudioſe reticemus. Hîc præterea ſigna militaria, tormenta, munitionem, impedimenta omnia, & caſtrenſem ſupellectilem amiſerunt Galli. deniq; omnis fere ea præda, quam Thermus (cum decurſionibus per equites vaſtauerat ea loca, quæ incurriſſet) è Flandricis municipijs collectam abigere conabatur, nutu Fortunæ à Gallis, in Ecmondenſem ac Burgundios iure merito tranſit, vel potius recidit. Nec adeo mirum alicui videri debet, ſi Burgundiorum quingenti, non amplius, eo conflictu ſunt interfecti. Sed in his Peleus, nobilis Belga, cum aliquo numero equitum ac peditum (qui vtrobique principem aliquem locum obtinuerant) deſideratus eſt. Atque hunc euentum ſortita eſt Grauelingana illa pugna, res profectò maximi momenti, vnde firmioris ſpei fructum, cõuenerit rebus, fortuna,

næ, & expectationi Burgundiorum reſeruari. Siquidem in confeſſo eſt, eius prælij aduerſo caſu, graue toti Franciæ vulnus fuiſſe impoſitum: quo etiam illa vulnera, quæ vixdum cõſenuiſſe videbantur, recruduerunt. Contra, Philippus iniecta hoſtibus iſta ſecuri, non ſolum miram ſecuritatem ſuo Belgio præſtitit, neque non modo famam, exiſtimationémque collectam conſeruauit, verum etiam perfecta, cumulatáq; virtute (quantumuis nihil videbatur ad priſtinam laudem, honorem, gratiam, gloriam eius dignitatis addi poſſe) mandauit immortalitati, celebritatémque nominis, toto orbe, miris modis amplificauit. Videre autem viſi ſumus cum longinqui temporis vſu, tũ periclitatione recenti, non totius vertentis quadriennij, Gallos, re omiſſa, bellicoſorum nomen tantum tenere. quippe ſicubi ab vniuerſo naufragio periculum eſt, ſic vt vno prælio diſceptet omnis Fortuna, & (vt ita loquar) ad manus atque ad pugnam fatalem ſit veniendum, tum neſcio qua vel Fortunæ iniuria, vel εὐταξίας negligentia, quantumuis licet initio acriter committunt, poſtremo tamen euincũtur. cuius rei tria certiſſima teſtimonia (ſi certamen illud, quod ad Renteium

inchoa-

inchoatum fuit, in leuium præliorum numero habetur, vti certè debet, ſiquidem primis iactatis haſtis eſt diremptum) producemus, primùm cladem Martianam in Etruria. deinde Sanquintinã in Veromanduis. ac tertio, Grauelinganam in Pleumoſiis. Reliquerat præterea in caſtra recurrens Thermus Actiophani militum cohortes treis, cum mandatis, vt deprædato incenſoq́; ante oppido, ſe ſtatim ſequerentur. quæ recepta glorioſi milites ſumma crudelitate effecerunt. nimirum ardente iam oppido, ſe ad ſuos recipere conſtituerant. Verum illa Actiophani incenſio, ipſis eadem & Pythia & Delia fuerunt. nam non ita diu, vti ſperauerãt, alacris incendiÿ exſultauit improbitas. dum enimuerò fumum deflagrantis oppidi reſpectant, tantorum ſcelerum (quæ infinita ab iſtis, ac ſodalibus Thermicis in Flandriam ædita fuerunt) pœnas iure merito (fuga redituq́; ad ſuos intercluſi, in itinere ad vnum fere omnes iugulati) dederunt. Sic mali improbitatis fæcem bibunt. Sed quamlibet, dicerent multi Itium portum, Caletum rectore Thermo capto, profligato Gallico exercitu vrbeq́; robore præſidiorum orbata, in tanta rerum perturbatione & animorum conſter-

 natione,

natione, à Burgundijs (modo veſtigia præeuntis victoriæ prope ſequuti eſſent) eodem ipſo temporis momento facillime recuperari potuiſſe: opinio imbecilla certe, & cum falſo incognitóque communis fuit. quam opinionem popularem res præiudicata, & ad multas cauſas delata minuit. & præ vulgi ſermunculis vaniſſimis, ſummatum cum ratione valuit auctoritas, atque prudentia. nec enim (maxime vt plerique fere omnes) adduci potuerunt victores Burgundij, vt ſe iuſtitiæ caperet obliuio. nec enim ſi victoria potiebantur, ob id in alieni cupiditatem inciderunt. qui iuſtitia & perſpicacia dum in deliberatione publica vtẽdum iudicaſſent, cognitum eſt, æquitatis ratione, primum Caletum ciuitatem non eſſe aut iure mancipij, aut iure nexi Belgio obligatam, nec iuriſdictionis Philippicæ. deinde, conſiderato loco, oppugnationem eius arcis lõge multo difficiliorem eſſe, quàm plerique omnes in foro, in curia, in comeſſatione (tanquam ij, qui è feneſtris Achiuos iudicant) ariolabantur. Qua ſuorum clade renunciata perculſus Guiſanus, ſiue mutato conſilio, ſiue diſperata expeditione, quam videbatur callide parare, Vertuduno in Picardiam, receptus ſigno propoſito,

poſito, copias reduxit. caſtriſq́; loco delecto, ad Petram pontem ſubſtitit. quem locum cum ad hoſtileis excurſiones reprimendas, & ad ſuſtinendas impreſſiones militareis peropportunum atq; idoneum ſibi maxime optauit ac iudicauit.

Eodem ipſo tempore, quo de occupando Diuoduro Galli omnes rationes inibant, in Italia, interceſſione cùm Senatus Veneti, tum opera Florentinorum Reguli, fecerunt Philippus & Parmenſium herus pacem cum Ferrario, quæ pactiones & conuenta firmiſſimis affinitatum vinculis & matrimonij indiſſolubilis lege ſtabilita; ſancitaq́; fuerũt. quippe Alphonſus Ateſtinus, Princeps iuuentutis Ferrariæ, Herculis, filiorum natu maximus, tertiã Coſmi Medicis filiam habuit vxorem, quantumuis licet (fatis obſiſtentibus) maxima natarũ eius Ducis, quòd paucis menſibus è viuis deceſſerat, Alphonſus ſibi deſponſa virgine frui minime potuit. ſecunda porro Paulo Iordani Vrſino (qui poſtea aliquando Dux Bractianenſis audijt, cum eſſet eius fundi antea tantum Dominus) nupſerat.

Poſt ingentem illam Flandricam victoriã, dum Philippus (vt feliciter cœpta perficeret)

nouis delectibus prioreis augeret manus, & expleret exercitũ: deniq; in Artuſia in vnum copias cogeret: eodem curſu temporis Angli numeroſam claſſem magno clamore, & maiore oſtentatione comparabãt: ac interim igni ferroque Franciæ internecionem minitabantur. Conflata erat ea claſsis ex centum circiter nauibus bellicis, diſcreta quidem magnitudine, verum omnes egregie armatæ atque inſtructæ, & in his circiter decem militum millia impoſita, præter operas nauticas, & nauiculariorum delectum. Eam claſſem regebat Milordeclinto præf. lit. & oræ marit. Huc accedebant viginti Liburnicæ, vaſtæq; naues bellicæ, ex Oceaneis oris, quæ Philippo Regi parent, euocatæ: quæ ob vaſtitatẽ, arcium inſtar erant reſpectu Britannicarum, ſed in nauigando illis tardiores, ſplẽdido apparatu belli, & militibus refertæ, præter epibatas promptiſsimos. quibus Propræf. claſsis & oræ maritimæ Belgicæ Vachenus præerat, vir rei naualis peritiſsimus. Hiſce coniunctis viribus (nec enim annotinas, nauiculas & celotes corbituláſue, quibus commeatus ſubuehebantur, nominare libuit) Id. Quint. Angli, ab ſua vlteriore Britannia, Coro, (qui ventus magnã partem tempo-

temporis illic flare conſueuit) vento vſi pro-vectiq́, Cantio naueis ſoluerunt, quod inſu-læ latus contra Galliam ex diametro eſt oppo-ſitum, & velis pleniſſimis ad Armoricas ciui-tateis in obiectæ inſulæ oram hoſtili vi adnaui garunt: portumq́(cui Conchulæ nomẽ eſt vul-go) occuparunt. & ſine mora, parte copiarum (quas nauibus tranſportauerant) in continen tem expoſita, incendijs, depopulationibus, vaſtationibus, excurſionibus modum nullum fecerunt. primo maritimã oram nudarunt, deinde interiora etiam municipia ac caſtella circumlatis ſignis pergraſſabantur, non tam prædarum cupiditate, quàm vindictæ, incom poſiti diſſolutiq́ paſſim vagabantur. itaq́ in-opinanteis Britonas opprimebant. id quod eis ſtatim probro atq́ dedecori vertit. Belgis au-tem damno fuit. nam Cherſimo nobilis Gallus ad primum inopinatæ eius excurſionis & in-cenſionis tumultum excitus, partim ciuium, partim agreſtium hominũ millia circiter no-uem reip. iuuandæ ſtudio, taciteq́ collegerat. his, ex ædificijs publicis ac armamentarijs ar-ma diſtribuerat. huic præterea inconditorum hominum globo, cum municipibus præſidia circumuicinarum ciuitatũ, maritimorumq́

clauſtrorum coniunxerat. quo ſic & animum & robur pro aris, focis, agriſq; pugnaturis ciuibus adderet. ita vtcunque inſtructus dux ille, celeriter occurrit excurſoribus Anglis. quo rumore in maritimas ſtationes allato, ipſi deinceps vel in nauibus ſe continebant, vel excurſionibus immoderatis abſtinebant. ad quos cum feſtinatis itineribus Cherſimo acceſſiſſet, Angli, qui in litoribus paſſim oberrabant, aut in gurguſtijs deliteſcebant, aut in vmbris dumorum apricabantur, non modo hoſtis conſpectum non tulerunt, ſed ad nauiculas (ſicut in harena ad palos deligatæ ſtabant in ſummis vndis) fuga præcipiti delapſi, non intermiſſo remigandi labore in ſuas ſpeculas ſeſe abdiderunt. Belgæ tamen altitudine quadam animi & conſtantia, ab maioribus atque natura inſita, viriliter incurrentes Britones excipiebant, & (quoad eius fieri potuit) aut ad ſigna confugiebant, aut permiſte præliabātur. Porro quia Britones longe plures erant ſine comparatione, paucis Belgis exæquari minime potuerunt. Quo factum eſt, vt turpiter pugna excedentib. Britannis, & ſocios, in repētina Britonū incurſione, ac in diſcrimine ſummo poſitos deſerentibus, paucitas militum Vachenorum,

vel

vel fuſa, vel profligata (tanquam ſub cultro re licta) aut non optime acciperetur, aut ab hoſte furioſo interficeretur. Atque eo modo, cum ad paucos pœna temeritatis, ad omneis metus perueniſſet, famoſa iſta claſſis, nec ſibi, nec alijs ſolum non fuit vtilis, quinimmo socijs exitioſa. quam in rem naualem cum incredibileis & infinitos fere ſumptus Britanni feciſſent, & armorum ſtrepitu Franciam vniuerſam territaſſent, nihil adeo clare geſſerunt, quã quòd oleum & operam (quod aiunt) perdiderint. nam & deformatas partim naueis, partim conquaſſatas, & conuectorũ reliquias (amiſſa ſuorum meliore parte) & grauib. morbis afflictas, non multo tempore in Britonibus commorati, paucis diebus, flante leni Africo, obuerſis gubernaculis ſubduxerunt glorioſi nautæ. hiſque grauiſſimis caſibus ad eoſdem portus, ex quibus erant non multo ante egreſſi, magna iactati tempeſtate confugerunt. & clauſis ſtationibus ſeſe deinceps tenuerunt. id quod præſertim præclarum ſpecimen cæteris exſtitit nationibus ſummæ defectionis animi, in quam haud ita pridem ab antiqua conteſtataq́; virtute ac magnanimitate maiorum Britanni degenerauiſſe videtur, qui antea in-

 credibi-

credibilem terrorem formidinemq́ Franciæ incutere conſueſſent.

Philippus interea cum in Atrebatum ciuitate eſſet, belloq; totus vacaret, 12. Cal. Septemb. cum Satraparum contubernio, tum delectorum militum manu comitatus in caſtra peruenit. quæ (quia ceu ex prouocatione, cum hoſte acie decertare quamprimũ cupiebat) in hoſtile ſolum vſq; eo promoueri ante iuſſerat, vt non longius ſeſqui milliario ab Dorlente, Frãciæ ditionis oppido, abeſſent, ſimulans interim eius oppugnationẽ. Habebat vero tunc Heros ille ampliſſimus procul dubio exercitũ & florentiſſimum & præſtantiſſimum, militibus omnis ordinis, tormentis, munitione, apparatu, cùm belli, tum aliarum rerum, quæ ad expeditiones quaſuis neceſſaria videntur, inſtructiſſimum. quippe ex omnibus delectibus robur iuuentutis peditum tricena millia excedebat. equitũ vero dimidio minus. hisq́; tot & tantis militum copijs ſtipendium plene erat perſolutum. Cuius omnis militiæ pars tertia fere ex Teutonis conſtabat ſupernatibus. reliqui erant ex infernate Germania & municipali Belgio collecti. minima pars Hiſpanorũ cenſebantur cohortes. Omnes præterea non

optime

optime modo armati atque inſtructi, ſed victoriarum recentiū recordatione, per ſe prompti, magno animo hoſtem exſpectabant: quoſq; tam deſiderium ſummæ pugnæ tenebat, quàm præfractos cladibus Gallos communi periculi ſatietas retinebat. Principum vero, qui eo bello ſub Philippo vel ſtipendia meruerunt, vel militarunt (quia curioſæ poſteritati in hoc inſeruire volumus) è tabulis publicis ac faſtis hæc ſtudioſè à nobis ſunt decerpta nomina. Primo omnium Allobrox, Regius nepos, & Vicarius in quem omnis eius belli auctoritas & ſummum Imperium ab Rege ipſo, ob inſignem belli peritiam, erant delata. Parmæ ac Placentiæ Dominus. deinde magnanimus Seminaræus. qui (quia exiſtimabat, pugnantibus inter ſeſe duobus potentiſſimis Europæorum regibus, magnum & inſigne aliquod prælium commiſſum iri) ob id ab extremo vſq; Italiæ angulo, permutatis equis in caſtra illa venerat, cum firma animi intentione, quòd domino exemplum fidelitatis atq; ſui officij ea ratione relinquere volebat: modo in confertiſſimo hoſtium globo palam oſtendiſſet, ecquid Seminaræa haſta valeret. Atrienſis deinde. hi duo Ducum titulo inſigniti. Sulmonenſis Prin

Y 5 *ceps,*

ceps. Polycaſtrius, Balneenſis. Landinus, Comitatẽſes tres: atq; Aſcanius Corneus herulus, eo vſq; Italici generis, & nobiliſſimi & bellicæ laude clariſſimi. Ex Hiſpania vero oriundi, ſummoq́; loco nati Duces, Albanus, Darocus, Francauillanus, Villafermoſus. Balanga deinde, ac Anguillarius Marchiones Toparchæ. & Comites, Fuenſalida Celtiber, nec non Melitæus Luſitanus. Teutonorum prima nomina hæc collegimus: Henricus atque Erneſtus ex illuſtri Brunoniſuicanorũ Ducum familia. Legatus Marchionis Ioachimi Brandepyrgici. Suuarcenpyrgenſis, Manſoueldæus, Rẽnepyrgenſis, Comites. è Belgica autẽ nobilitate ſummates hi percenſebantur. Princeps Arauſinus, Areſcotanus Dux, & Ecmondenſis Comes, Berganus ac Renteius Toparchæ Marchiones. Hornus, Arenoperganus, Boſſutus, Mega, Ligniacus, Montagninus, Rullus, Hogoſtratæus Comitatenſes. Barclomontius, Aglaius: denique alij omnium nationum honeſtiſſimi quique Duces, Tribb. & milites. Sed breuitatis cauſa contenti fuimus flore iuuentutis delibando vel potius recenſendo.

Gallorum Rex contra, nullo neque diurno, neque nocturno labore intermiſſo ad Petram

tram pontem, quem locum ſupra commemorauimus, & quàm maximum exercitum habebat, conflatum itidem meliore ex parte ex Teutonis mercede accerſitis, & Heluetijs. Secundæ partes erant indigenarum ac Gallorum. Minimũ aliquid ex Italicis cohortibus, ſicut Philippo ab Hiſpanicis, acceſſionis, ei fuit. quo in exercitu præter Regem ipſum nomina vel nobiliſſimarum Franciæ familiarum, vel potentiſſimarum clientelarum in Cõmentarijs publicis legebantur hæc. Rex Nauarræus, Guiſanus, qui Imperium totius illius exercitus pro Rege (ſicut ſæpiuſcule diximus) obtinebat. Regulus Lotharingiacus, Ambarrus, Nemurs, Montepenſirius, Abumalus, Momoranſinus, Bullanus, hi ex Gallica gente omnes & titulo Ducali inſignes. nec non Gulielmus Saxo, & Lunepyrgicus, Germani, ijdemq; Ducum nominibus honorati. Cattorum Reguli filiorum vnus Heſſus. Ferrarius, ac Salernitanus, Principes duo. Summas, & Atrienſis, exules tres Itali. præter incredibilẽ munerum cuiuſuis ordinis, cum equitũ, tum nobilitatis, quibus omnibus recenſendis, totum vix ſuffecerit volumẽ. Hic tamẽ Gallus etſi præpotentẽ exercitum habebat, & apparatu bellico affatim

tim prorſus inſtructus erat, quia tamen recentiſſima clades Grauelingana:, vulnus illud, quod grauiſſimum ſuperiore anno in Veromãduis apud Sanquintinum acceperat, refricabat, cum fortuna Philippus leniore vteretur, ipſe autem duriore conflictatus bis térue eſſet, omnem tunc quidem iacturus aleam, aut pedem tertiùm collaturus ægerrime videbatur. Gallorum enimuerò hoc eſt maxime propriũ; vt vbi aliquid ſiniſtri euenerit, non modo iterum ſe committant timidius fortunæ, ſed plane obſequantur, ac aliquamdiu locum dent. Quapropter exemplo Fabij, illius Maximi, nõ tam cunctando rem reſtituere voluiſſe putabatur Rex, quàm Philippum à recto curſu procliuis victoriæ, ducẽdo bello, reuocare: & molli quodammodo brachio id agere, ſumma obſeruatione hoſtis, ne quam ſuæ ditionis vrbem inuaderet, aut opprimeret. Ob id per Ambianorum agrum iter faciens cum omnib. ſimul copijs Somonam tranſmiſit, & ſecundum eius ripam Aquilonarem, caſtra, Burgundiorum caſtris oppoſuit, tabernacula fixit, copiáſque diffudit. quippe paruo indidem interuallo Philippus prope Auſtralem ripam Auctiæ fluuioli, cõmodæ aquationis cauſa, cùm magni-

ſica oſtentatione caſtrorum, tum certa animi ſiducia conſedit. quo loci dum caſtra vtriq; militaribus operibus cõmuniſſent, lentum bellum ſanè, diuturnúmque negotium futurum videbatur. maxime verò Galli, vallo, aggeribus ac foßis ſolerter ſe obſepſerant, eo conſilio, vt hoſtem vel ſatietate vel tædio longæ obſidionis defatigarent, vel ſuum ea ratione regnum defenderent, & ab aris, ſociſq; ferrum ac flammam depellerent. Vbi quantumuis licet interdum leuibus prælijs, interdum prouocatione, ad exercitationem militarem ſit certatum, nunquam tamen ab alterutrius iacta alea, ſummæ rei periculum eſt factũ, aut fortunæ cuncta commiſſa. nam etſi perpetuam Philippus voluntatem habebat, in qua inerat vis aliqua deſiderij ad oppugnandum Dorlentem, conſilium tamen publicum, plenum prudentiæ & fidelitatis, iſtud minime committendum in tanta hoſtis propinquitate, cenſuit.

Interea dum apud exercitum, quem habebat vterque inſtructißimum, duo Europæorum Principum facile clariſſimi Heroës corã eſſent, caſtraq; prope coniuncta haberẽt, dúmne propius ob telorum iactum, tormentorúmque

que fulmina, admoueri debuerint (qui Principes non tam de potentatu, quàm de gloria contendebant) in ſumma iudiciorum varietate orbis vniuerſus rem ex ſuperiorũ temporum euentis metiebatur, & ſucceſſus non vna ratione ponderabat ac notabat. quippe pleriq; omnes vel Pharſalicæ, vel Cãnenſis, vel alius inſignioris cladis famam arrectis aurib. exſpectabant. Verum cum non exiguo temporis interuallo inuicem hoſtes prope intuerentur, ac procul ſpectarent, neque quiſquam vtriuſuis clientum eſſet, qui non in vnius diei caſu ſuarum omnium fortunarum euentum conſiſtere exiſtimaret, Reges imaginem rei totius primo loco conſiderabant: deinde animos & mentes ſuas ipſa cogitatione & voluntate conſiliariorum, tanquam conſilio nominis cuiuſdam conformabant. Si enim omnibus viribus ac vniuerſis legionibus cõcurriſſent, ſemelque armis decertaſſent; ex eo conflictu, tanquã ex nubium colliſione, ardorẽ expreſſum, emiſſum iri portinus prouidebant, id fore fulmen totius Reip. Chriſtianæ, quo acerbiſſimo incendio ipſa conflagrata concideret. ſiquidem robur ſui exercitus ex bellicoſiſſimis nationibus, iiſq; peregrinis, mercede accerſitis conſtare:

ſtare: itaque peiores partes (vtcunque caſus ce cidiſſet) fore ambo iudicabant, & ciuitates ſuas exteris prædæ futuras non peſſime diuinabant: ad communem ſalutem reſpicientes, vt circumſpexerunt omnia, confirmatis tandem rationibus concluſerunt. Pacem vel iniuſtam iuſtiſſimo bello vtiliorem eſſe. Itaq; nulla ſimulatione cõcordiæ paulatim attenuari bellum, ſenſim remitti ſpiritus Regius, ac imminui flamma militaris cœpit. quæ concordia vt omnino conciliaretur, legati primo Inſulam miſſi id agebãt, ac ſubinde apud Cerecampum, Anachoretarum clauſtrum opulentiſſimum, tertio ab Dorlente poſitum milliario, caſtriſq; vicinum. Quæ cũ ardua res inprimis eſſet per certos rogatores, diribitores, cuſtodes pactionum, lege agebatur. in cauſis quippe Regijs, & in rebus cùm Britannicis, tum Allobrogicis dicæ viciſſim ex inſtituto ſcribebantur. interceſſiones alterutrorum iudiciorum & exceptiones fiebant coram rogatoribus Comitiorum, atque arbitris, qui litem iudicarent, ac æſtimarent: quos (vbi de conſtituta iam pace narrabimus) poſtea nominatim indicabimus. Interim in caſtris militiæ vacationem eſſe placuit. quod quemadmodum præter omniũ accidit

dit opinionem, ita hercle in ſummam admirationem pleroſq; omneis adduxit. Porro lite vniuersè conteſtata, quia cuiuſq; ratio ijs Comitijs apud oratores feciales ordine habenda erat, trinumdiniúmque & promulgatio paulo longius ducebatur, commeatu omni paulatim cœpit exercitus laborare, nec optime habere, cùm propter Autumnales tempeſtates, tum propter impendentem hyemem. Eam ob rem, vel quia pactores ſocietatis, quiq; Cerecampi pacificatoria legatione erant implicati, id maximopere flagitabant, qui inſtituto colloquio in ſpem bonam pacis obtinendæ veniebant, dúmne nouis prouocationibus atque iniurijs militaribus, in tanta caſtrorum vicinitate (vti facile euenturum fuerit) belli tumultus aliquis oriretur, ad vaſa conclamato & receptui ſigno propoſito, exacto Octobri, melior pars militum caſtris exceſſit. quibus ſubinde Nouembri miſſio data eſt, ſic tamen, vt delectum aliquem certum è toto numero, Reges, præſidiorum loco ſibi retinerent, in hiberniſq; diſponerent.

Atqui dum rem nihilominus pagunt, in ſupradicto conuentu, alternis ſententijs atque oratione, ſperantq; meliora interpretes fœde-

rum,

rum auctoresq́ concordiæ, rebus eò adductis definitisq́ ſolum, vt ſola Caletum cauſa ſcrupulum injiceret, ac ſub iudice etiamnum eſſet, edictum tamen vnum propediem exſpectabatur è Britannia, neſcio quo malo genio renuntiatum eſt, illius gentis Reginam, cuius id maximi intererat 15. Cal. Nouemb. morte extinctam. morte, cum ob Principis fœminæ cariſſimas dotes indigna, tum rebus inſtantibus atq́ futuris incommoda. quippe ea mors, cauſſam publicam ſperatæ pacis pro re nata nonnihil perturbauit, ne dicam, peremit. nam diebus non multis interpoſitis, trimeſtre illud pacis conciliandæ colloquium, initio Decembris, inſtitio bimeſtri intermiſſum, interciſumq́ eſt.

Circa id temporis, quo ad pacem campi patebant (quòd ei fautor futurus haud obſcurè exiſtimabatur) Mag. Eq. remittitur, ea lege, quemadmodum vulgo ac genere efferebatur, vt ſatiſdatione bis centena millia aureorum redemptionis nomine penderet. qui tamen (niſi fallimur) ſpecie quadrantē è priore ſumma ſubtraxit. Itaque ſane Satrapa ille, qui conſultor ſuaſorq́ calamitoſi belli, & auctor publicorum incendiorū exſtiterit: ſuo capiti non

minimum aſſuit mali, & grauiſſima vulnera à fortuna, præter ignominiæ lituram accepit. Primo enimuerò captum maximum natu filium apud Terananam vt redimeret, quinquaginta aureorum millia neceſſe habuit appendere. Deinde conflictu illo Sanquintiniano, accepto ad femur graui vulnere, ipſe cum duobus filijs captus, quincuncem iam commemoratæ rationis perſoluit. Venit item paulo pòſt in Philippi poteſtatem Halmerotes, eius nepos, & cum eo affinium ac propinquorum nõ pauci. vt omittamus eos, qui paſſim in bello occiderint. ad quam rei familiaris iacturam, exiſtimationis deminutio atq; famæ dedecus acceſſit. Erraſſe enim eo grauius in Sanquintiniana illa clade videbatur, quo maiorem ſubtiliſſimi & acutiſſimi ingenij, tum prudentiæ opinionem in omnibus animis Gallorum ante impreſſiſſet, quem ſerpẽtis oculum habere vulgo ipſi iactitabant. Vtcunq; eſt. is certe vnus (vt ſi quis alius) perbelle exemplum ſtatuit fortunarum ſuarum. fortunæ impetum ſuperari minime poſſe ſcientia ſapientiaq́; humana, quemadmodum nec gubernatores optimi vim aduerſæ tempeſtatis vincunt. Amiſſione deinceps Mag. Eq. ſtatim & Halmerotes itidẽ

eſt

eſt ſolutus, ante tamen pactus pro capite quinquaginta millia aureorum.

Feruente etiamnũ bello, Car. V. Imp. Caeſ. P. F. Aug. attenuatis lentiſſimo morbo totius corporis virib. tandẽ febri aeſtuq́; iactatus animã Deo Opt. Max. reddidit, & (quo commoratũ abditumq́; ſupra diximus) clauſtro in eo Iuſtinorum ſodalium Caſtulonenſis tractus, atque in Hiſpania Baetica, 9. Cal. Octob. (qui dies tum D. Matthaeo ſacer erat) fatis conceſſit, fama aeternum victurus. Vixit ille Heros biennio minus ſexaginta. Clauum verò tenuit Rom. Imperij, & reip. gubernacula tractauit annos triginta ſex. auitum aũt regnum quadraginta amplius rexit atq; habuit: vir affatim prudẽs, ſeuerus ac grauis, patiens laboris, fortis & experiens, rerum ſciens, licet literas à limine tãtum ſalutaſſet. maxime verò conſtãs, & inuicti animi: quamobrem cũ honorifica & officioſa epiſtola ei Paulus III. Pont. victoriã illam Germanicã congratularetur, cum Max. tum Fortiſ. Principis nomen detulit. Caeterùm magnam in vtramque partem eſſe fortunae vim, vel ad ſecundas res, vel aduerſas, ecquem latet? Proſpera & aequabili fortuna Carol. V. à puero propè ad multos annos eſt vſus: qua co-

mite vti ad ſumma rerum, & Imperij faſtigia euectus, trophæum immortalitatis erexit ſempiternum, Mariano buſto longe præſtantius: ita præter Ticinenſem illam, inſignemq́ victoriam, præter miſerabilem vrbis Romæ incurſationem, præter memorabilem glorioſamq́ Thiniſſæ expugnationē, præter deniq́ ſtupendam & modis omnib. admirabilem debellatæ Germaniæ caſtigationē, plerið omnes aduerſarij, aut æmulatores (qui in Europa eius Maieſtatem inimicam cepiſſent) in fortunatiſſimi victoris poteſtatem viui peruenerunt. in primis vero Gallicanæ factionis duo Reges, puta Franc. I. Gallus, & Henricus Nauarræus. mox Clemens 7. Rom. Pont. Max. deinde Gulielmus Menapiorum Regulus. Ioan. Fridericus VII. VIR. Saxo. Erneſtus Brunoniſuicanus. hi itidem duces. & cum his fœderatus Cattorum Regulus Ph. Heſſus. maxima æque omnia nomina. præter infinitam ſummi ordinis captiuorum turbam. Sed eadem inconſtans fortuna (quæ, vt ſicubi alias, in armis certe poteſt plurimum) ab inimicis, aut hoſtibus ad Car. 5. Imp. aliquando tandem impetū ſuum conuertit, qua extremo tempore indigniſſima (vt olim Marius) eſt conflictatus. primum rebella-

rebellauit armata Germania, & manifeſte ſuo Imp. vim intulit. quod idem rebellionis genus, excuſſo ſeruitutis iugo, recipiēda libertatis cauſa ab Senatib. ſubinde eſt tentatum. ex qua die Carolum Ilias quædam malorum excepit: nam præterquam quod aut vltra Alpeis, aut in togata Gallia, aut in Italia, terra mariq́; ex clientelarum amiſſione, aut claſſis, militumq́; deportatione incōmodi plurimū acceperit; in Germania, in Imperio, ac in rep. ſuoque auito regno incredibilē rei & priuatæ & publicæ iacturā fecit. quo loci, ne multa congeramus, vno exēplo (vel omniū maxime miſerabili) contenti erimus, cladis nimirum illius horridæ, cum florentiſſimū exercitum, quem in hoſtem duxerat, mutilatum & extenuatum è Mediomatricib. ægre reduxit, vt interim fortunæ iniurijs connexos caſus, & continentem morbum (quo tandē exoletis corporeis virib. eſt oppreſſus) volūtario ſilentio inuoluamus. Renuntiata autē ex Hiſpania Caroli morte, tacitus luctus in publico concurſu omne Belgium occupauit, ita vt repente veſtem Patricij mutauerint, eodemq́; veſtigio dedicatione religioſa conſtitutis paſſim aris, per delubra Diuûm, conſecrationes D. Car. à Pontt.

 Tribb.

Tribb.pl. ac ſacerdotibus facta fuerint. Cúmque ciuitates omnes hæreditariæ, tributariæ, vectigales, ac clientelæ, municipiaq́ omnia Domino certatim funus ampliſsimum, luctu populari, toga pulla, funeſtaq́ face curauiſſet, Philippus etiam Decembri menſe, primum pientiſs. patri atq; auiæ Mariæ chariſsimæ, in curia Bruxellenſi (quò Belgæ optimates ad cohoneſtandas exequias conuenerant) ſubindeque ſolennibus cæremonijs iuſta vxorio funeri ſoluit. vt interim taceamus, tum virorũ, tum mulierũ lamentationes, & ſumptuoſam pompam, epulũ funebre, funalia, tibicines, funebris veſtimẽti genus, laudationes ac nænias, quæ in concionem funebrem ſcriptæ fuerint: & cætera triſtiſsima, quib. luctus augeatur.

Mariæ Britannicæ extremum vitæ diem morte conficienti, nullis relictis poſt ſe liberis, ſolenni promulgatione in ſororis demortuæ locum ſubrogata eſt Elizabetha, adoleſcentula, annos nata quinq; ſupra viginti. princeps (vti ferunt) non ſolum erudita, verum etiam præter Latinum ſermonem Gallici atq; Italici idiomatis perita, quæ dotes ingenij, ſcientiæ ac literaturæ in fœmina quò ſunt rariores, eo inſitæ nobilitati procul dubio maiorem gratiam lepo-

um leporémque pariunt ac conciliant. ſed interim reformatæ illi religioni apprime dedita. quæ ipſa Londini, vrbe regia, ex conſuetudine ſolennibus cæremonijs corā S.P.Q.Brit. 17. Kal. Febr. in. A. 1559. inauguratur. 1559.

Circa idem tempus diebus omnino quindecim, duorum Daciæ regum mortes inuicem conſecutas legimus. Primo vitam cum morte commutauit Chriſtiernus ille, qui è regno deturbatus, profligatis, fuſisq́ copijs captus ab hoſte populari (quemadmodum multo ante enarrauimus) & accepto grauiſſimo fortunæ vulnere, hactenus expers libertatis in compedibus atq; ergaſtulo fuerat detentus. quod regnum de manu paterna traditum Chriſtianus, Friderici F. pro re nata obtinuerat. qui Chriſtianus, eo nomine digniſſimus, ex praſcripto cæleſtis ac diuini legislatoris Dei Opt. Max. moribundum iam, mortiq́ vicinū Chriſtiernum affinem perhumane adijt, atq; inuiſit, quô loci cum multa in familiari colloquio inuicem ſimul ambo communicaſſent, deprecati alternas inimicitias, iniurias, itidem ſibi mutuo condonarunt. at paucis diebus (vti in vulgus relatum audiuimus) Chriſtianus, veſtigia Chriſtierni perſequens, morte itidem

occubuit. cui Frid. ſucceſſit F. Princeps ætate viridi, virtutis ſtudioſus, magnanimus, & Martis (quod aiunt) pullus.

XI. Kal. Feb. deinceps in vrbe Parrhiſiorũ Lutetia, Carolus Lotharingiacus Claudiam, Henrici, Regis Franciæ filiarum alteram vxorem duxit: nuptijs ſplendidiſſimis illic (vt in Adonidis hortis) luxu quodam regio, factis.

Sub idem fere tempus Sueſſanus, celeberrimi illius Conſalui, (cui ex laude bellica Magni cognomen acceſſit) nepos, idem Proprat. Inſubrum, iuſſu Philippi, coacto iuſto exercitu, in Taurinos, qui à Gallis meliore ex parte tenebantur, ſigna intulit, magnáque celeritate & virtute Centale oppidum peropportunum, & ad res gerendas vtile, pulſis inde Gallis recepit. quo temporis puncto, cum Piſcarius Herulus in expeditionem ab eo miſſus Rocauionem item obtinuiſſet, ipſeq; vno victoriæ curſu caſtella, municipiáque atque oppida cepiſſet, Moncaluum duxit, atque obſedit. quo non multis interiectis diebus potitus, Caſeale obſidere cœpit. Cuius Sueſſani ducis auctoritas, & bona præclaráque fama breui vſque eò ſtatim creuerat, vt minime dubitatum ſit, ab iſtiuſmodi feliciſſimis auſpicijs,

ciјs, magnos eum progreſſus in ea regione facile facturum fuiſſe: dum ne pacem Reges bellatores quàm bellum maluiſſent.

Interea oratores fetiales menſe Februario, præſcripta die tertiùm iam conuenerunt ad Cameracion caſtellum, ſexto à Cameraco milliario, cum mandatis Principum, vt pacem omnino conficerent. atque illi ipſi (quos hactenus interpellaſſe vbiq; in eam rem tacite ſubindicauimus) præter Britannicos, legati erāt, puta: pro Philippo Albanus, Arauſinus, Atrebatum antiſtes, Melitæus, Viglius Zuichenus, vir equeſtri dignitate, idemq; à priuatis conſiliјs. verum is (quòd aduerſa valetudine conflictabatur) illi tertio conuentui tum quidem non adfuit, nec ad nomina reſpondere potuit. Regis Franciæ partes ſuſceperunt Lotharingicus Purpuratus, Mag. Eq. regius, Sanctandreas IIII. VIR. Aurelianus Pont. & Laubeſpina à Secretis. Reginæ Britannicæ patrocinabantur Pōt. Elita, Milordauardus, Admiſſionalium rex, & Cantobricenſis ſacerdotiј primus. Res Allobrogicas procurabāt Stropianæus Comes, & Præſes Aſtenſis curiæ. Interuentu autem ſuo in ea negotio, Chriſtierna Lotharingiaca (id quod cum affinitatis, tum*

* Vulgo Cubiculariorum Princeps.

cõmunis ſalutis cauſa faciebat maxime) vna cum filio adoleſcente nobiliſsimo, eam operam diligentiamq́ præſtitit, vt & gratiam apud rogatores Comitiorum, atque partis alterutrius ſtudioſos ſingularẽ inueniret, & interpellatione rei malæ, cõciliatrix hæc amicitiæ, & fautrix tanquillitatis publicæ, ac ſalutaris ciuis reip. iurę merito haberetur.

Auditis eo in conuentu alternis controuerſÿs, ÿsque æquabili arbitrorum iudicio vtcunque compoſitis, vnus nodus indiſſolutus reſtabat, ſuper Caletum ſtatu, vti ante diximus. quem ſtatum, ſumma contentione Philippus per interceſſores ſuos, non ereptum ſibi, repetebat, ſed præoccupatum, belloque ablatum Britannis, vt Galli redderent, omni ratione atq́ via poſtulabat. Quæ ſpinoſa aſſumptio cũ refelli ſine pertinatia, & refelli ſine iracundia vix poſſe videretur, & qua nõ cõceſſa nulla fortaſſe fuerit ſecutura concluſio, cum res omnis adhuc in herbis eſſet, Mercurius forte interuenit, vt aiunt. is nuntium adferebat, Reginam Angliæ (cùm multis nominibus, tum vero maxime ob id, quòd in religione à pactoribus diſſentiret) veritam, ne eius legitimą ratio in conuentu haberetur,

itaq; à fœdere excluderetur, iccirco interceſſore Guidone Caualcāte Patricio Florentino, & ſuo, & regni nomine, diuerſo tamen in conciliabulo pacem clam conſtituiſſe cum Franciæ Rege, ei feciſſe liberam poteſtatem vtendæ ciuitatis Caletum, ea ſummatim lege. „ Vt exacto octennio Britannos in poſſeſſionem veterem Rex reſtitueret; Sin minus, quingenties mille aureos appenderet, eaq; vt ſarta tecta eſſent, obſides interim daret quatuor ex vniuerſa Franciæ nobilitate, quos ipſa Regina optaſſet. Ea ratione accepta, cum cætera ſatis inter Reges conuenirēt, in deſperatiſſima vulgi ſpe, apud Cameracion optabilem reipu. pacem 3. Non. April. inter ſe legati fecerunt. qua in re Atrebatum Antiſtes, M. Ant. Perenothus, qui adſcriptus eſt paulò poſt in numerum Purpuratorum, populari iudicio, magnam in ea re præ cæteris laudem eſt aſſecutus. Quibus in conuentis cum nihil perſpicere potuerimus, quod non ſit ſincerum ac ſanum (ita vt hoc vno, nullum fœdus neque ſanctius, neque ſtabilius, inter Auſtriadas ceu Burgundios ac Gallos, ad eam diem pactum fuiſſe, hoc loci aſſeuerare audeamus) operæpretium nos facturos arbitrabimur, ſi ſumma conditionum

capita

capita ſubtiliter à nobis deſcribantur. quæ priuſquam ſigillatim attingamus, vti aquam à fonte, ita rem, deriuandam duximus. hoc eſt: Colloquia duo priora, puta Inſulanum, & Cerecampanum, cum audiendis, tum iudicãdis alternis controuerſiis fuiſſe inſumpta: quæ ſane cum veterrimæ, tum maxime inexplicabiles erant (& Oedipo quodam dignæ) partes ſuas nemine non mordicùs tenente, neq; à ſuo iure facile diſceſſuro. qualia ſunt illa, quòd Franciæ Rex rationem obtendit ſcilicet repetitæ ſæpius actioni ſuper vſurpatione Siciliæ, Inſubrum, Flandriæ, Artuſii, Inſulæ, Duaci, Neruiorum, Atrebatum. rurſus: quòd Philippus, præſumpta ſuſpicione repetit non modo meliorem partem Aeduorum, ſed etiam prouinciæ Rom. Somonenſium ciuitatum, ac Morinorum, & his longe plura. Quæ omnia, nimirum vſusfructus, vſucapio, præſcriptio, quæ nimis longam, & æquo bono litigioſiorem diſputationem habere videbantur, æuumq; vix ſuffecturum liti odioſæ (ac quæ olim toties fruſtra prouocationibus, appellationibúſque ſit diſceptatum) definiendæ: eam ob rem circumſpecte profecto, prudenter, moderateq; præclara illa Synhodia (quæ nouiſſime inſtituta diximus,

ximus,

ximus, apud Cameracion caſtellum) vetabant, ne quid antiquiſsimarum earum querelarum in medium adduceretur, eóue deferrētur, quæ ab annis viginti quinque de mutuis iniurijs ſuſcipi poſſent. Quo factum eſt, cum ſententia Regum inclinaret ad mutuam pacem, & fœdus inter ſe faciendum indiſſolubile, vt oratores feciales viciſsim haſce conditiones facile tulerint ac receperint.

Primum omnium, ne acta conuentaq́; maiorum vlla ex parte tantillum reſcindantur, ſicuti Reges ipſi biennio ante illa ipſa fœdere Vacculano corroboraſſent, niſi noua hac pactio ne ſecus, ſpeciatimq́; ſtatuiſſent. "

Deinde vt inter Reges, Regios liberos, atq; omnem poſteritatem fraternus ſit amor, mutuum ſtudium, beneuolentia, officium, charitas, dilectio, ſocietas. itaq; in vniuerſa generatim rep. pax vna, conſtans, ac perpetua: quæ nihil habeat inſidiarum, ſiue domeſticarum, ſiue peregrinarum: ſic vti nulla in re, ſeſe mutuo deinceps per conuenticula, aut ſodalitates Europæas, Chriſtianorúmue, vel Aſiaticas Turcorum ac Barbarorum defraudent. "

Fidem auctoritatemq́; ſuam Reges interponant, quamprimum conuocando, habendóque "

dóque cùm in honorem Dei Opt. Max. tum ad ſalutem reip. Chriſtianæ, ac tranquillitatem ciuitatum œcumenico concilio.

„ *Vtriuis ſubiectis populis, ac clientibus, quocunq; illi tandem ordine ac conditione eſſent, ſiue ſacris initiati, ſiue profani, & quamlibet abacti vel proſcripti, aut aduerſum dominos rebellione intentata conſurrexiſſent, aut cõtra patronos bellum armaq; geſſiſſent, deſertam liceat adire hæreditatem, & poſſeſſionem ſtatorum bonorum cernere: quæ aut fiſcus Regius ſuſtulerat, aut haſta in foro poſita, acerbæ voci preconis prætor ſubiecta vendiderat, exceptis ab hac liberalitate Regia illis, q è Sicilia, Neapoli, atq; ab Inſubribus exſulabant.*

„ *Vt veluti alterna damna præſtando, toto octennio, bello aut alio quouis modo vſurpatas ciuitates inuicem reddant. Particulatim verò Franciæ Rex Diuodurum, Marianum, Iuoſium, Danouillarium, Momediũ, Belgica municipia, & Valentiũ in Inſubribus, vna cum caſtris, oppidis, arcibus, locisq; omnibus, quæ ille cis, tranſue alpeis occupaſſet (eaq; omnia ſalua atque integra, præter vnum Iuoſium, quod mœnibus nudet ad compenſationem euerſæ Terauanæ) Philippo reſtituat. Contrà, Philip-*

Philippus cedat Auguſtam Veromanduorum, Caſtellum, Hanēſem arcem, cum ditione vniuerſa, deinde ſolum Terauanæ diœceſis, dum ne olim aliquando exædificata inſtauratáue communiatur.

Philippus poſſeſſum eat Comitatum Carolatem, cum Heſdino, & toto eius gentis ſtatu. "

Nobilis Rex Delphinas, eo ipſo temporis puncto, quo promulgatio huiuſce pacis fieret, vſucapiat Crepacorium, cum ſubiecta ei ditione, citra præiudicium tamen Cruningij Toparchæ, qui præſumpta opinione id iuris ſibi arrogare videtur. "

Cùm ad corroborationem, fundamentum ſtabilimentumq́; æternæ pacis, tum ad veram ſinceramq́; amicitiam, reconciliationem, iniuriarum ſuperiorum obliuionē, ſimultatum oblitur ationem, diſcordiæ exſtirpationē, ceu indiſſolubile affinitatis vinculum, Philippus Iſabellam, filiarum Franciæ regis maiorem natu (quantumuis licet ea puella vndecennis eſſet) dicta dote quadringenties mille aureorū, vxorem ducat. "

Franciæ Rex Allobrogum Regulo, ex quo deturbatus iampridem bello fuerat, ſtatum, citra vltráue Alpeis de integro reſtituat, pter "

Tauri-

Taurinum ciuitatem, Pœnariolum, Charum, Ceuation, & Neapolim Aſtenſem oppida, quæ triennio ſibi reſeruaret, pignoricapionis loco, interea dum lege in eam rem cognoſceretur. iureq́ municipali, ac iuſtis iudicijs definiretur, ad vtrum litigatorum ex æquo & bono controuerſa iam pridem attineret hæreditas. ea conditione, vt Philippus contra, ex nepotis ditione Aſtam coloniam retineat & Vercellas, quouſq́ Pentapolim illam modo iam commemoratam Franciæ Rex habeat.

" *Alterutrius partis ne ſit Allobrox. ei nubat Margarita ſoror Regia. quæ præter dotem ter centies mille aureorum Ducatu Barrenſi, dum ſupereſſet, vtatur fruatur.*

" *Excedat Franciæ Rex locis omnibus, quæ ipſe Senenſis ditionis in Etruria vſurpaſſet: indidem præſidia, ſtationes, cuſtodias, vigiliasq́ educeret, ea lege, atq́ conditione tamen, vt cum Monte Alcinoi & Patricijs eius ciuitatis, Magiſtratui Senenſi obtemperaturis vniuerſe crimen condonetur.*

" *Reſtituat itidem Franciæ Rex Liguribus, quidquid ipſe Corſicæ inſulæ inuaſiſſet, modo Ligures ciuibus rebellionis pœnam remittant qui contra patriam ſub Gallis militauerint.*

Reddat

Reddat arcem Bullanam, & ſi quid aliud "
eius ditionis obtineret, Eburonum antiſtiti, reſeruato nihilominus negotio Sedanenſi.

Maternæ dotis debitione Maria Luſitana "
Infans ne deinceps torqueatur.

Philippus Heræ Totiuillanæ ditionem Pau- "
linatem reſtituat, excepto tamen iure clientelari, quod ab Regibus ambobus ſuper ea ditione multis rationum inuolucris, & quaſi velis quibuſdam obtenditur, aut cum honoris cupiditate prætexitur.

Mantuanorum Regulo iuxta reſtituat v- "
terq; quidqd nunicipiorum ipſi Monferratẽſium ſubtraxiſſent. ſic tamen, vt in arbitrio amborum eſſet, atq; in voluntate liberum relinqueretur, ſiue moles, ſiue munitiones abs ſe illic exædificatas exſtructáſque demoliri, nec ne.

Franciæ Rex prior cõuenta exequatur, tri- "
meſtriq; reſtitutionem vniuerſam expleat, iudicatumq; faciat. quo præſtito, Philippus vno menſe fidem ſuã liberet, promiſſis faciat ſatis, obſides det quatuor, quos Franciæ Rex arbitratu ſuo optaſſet, nominatimq; delegiſſet, puta Albanum, Darocum, Arauſinum, & Ecmondenſem.

Aa *In huiuſ-*

In huiuſce fœderis atq; ſocietatis partem veniant Rom. Pōt. Max. Imp. VII. VIRI. Principes, & ciuitates Germaniæ, Romano præciſe ſubditæ Imperio. Complectatur pax eadem Reges hoſce, Sarmatam, Dacum, Suecum, Scotum, vna cum Regina Britanniæ. Reſpub. item, cum Venetam, tum Heluetiorum, ac Rhetorum ſuperiorum honeſtam ac fortem ſodalitatem. Duces hoſce, Florentinum, Lotharingiacum, Allobrogem, Ferrarium, Parmæ ac Placentiæ, Vrbinatem. Ligures ac Lucenſes Democratias. denique potentatum omnem ac ciuitatem, quæ amica, ſocia, propinqua, clienſúe eſt alterutri Regum. Eaq; ratione non Hiſpaniæ tantum, ac Galliæ toti, ſed vniuerſæ reipu. Chriſtianæ tranquillitas quædam, pace orbi reconciliata, atque otioſa ſecuritas terra mariq; eſto.

Paria viciſſim reddentibus Regibus, de inſtitutis maiorum ſe nihil immutaturos repromittant Principes, Delphinas & Carolus. ac illud fœdus præſcripto tempore ratum, certum, fixumq; iureiurando corroborent. quod itidem ex ſententia, decretis, interdictiſque Principum comprehenſum, perceptum, ac in acta relatum, trinumdinioq; rogatum cũ Frãcia,

cia, tum Belgium omne excipiant: eo lato, receptoq́; viciſſim ſtipularetur.

Atque hæc eſt inter Ph. Hiſp. & Henr. II. Fr. R. non modo magna omnium ordinum, etiam ipſorum illorum Regum (ni fallor) voluntate, optato ac nouiſſime conſtitutæ pacis ſumma. Cuius pacis improuiſæ nec opinatæ Panegyrim dicendi, patentem campum illis Hiſtoriographis non grauate tradimus, q̃ plena oratione res vel minutiſſimas exaggerãt, atque in vaſtum locorum pelagus effundunt. id quod (vti à noſtro inſtituto diſcrepans ac aliorum) felicioribus ingenijs lubenter relinquimus pertexendum, notis rerum notandarum contenti. Ecquis igitur non ſummopere admirabitur atque obſtupeſcet, ſi ſub vnum oculorum conſpectum cataſtrophen iſtam, cum inopinata hac μεταμορφώσει *velut in tabella depictam quandam omnium rerum varietatem, propoſuerit? Primum enimuerò bellum (quod fere continenter magnanimi Auſtriadæ cum Gallis quinque ſupra viginti annos ſumma pertinacia geſſerunt, quo de potentatu inter ſe præciſe contenderunt) & huic bello connexa mala, deuaſtationes prouinciarum, depopulationes agrorum,*

tot euerſiones ciuitatum, tot denique incendia Europæ, mortesque ciuium, quis intueatur animo imperturbato? Rurſus præ ſuperiorum temporũ tumultu, ac confuſione rerum omnium, ſi ſyncretiſmum hũc conſideret quiſpiam, ſi pacem affinitate, connubijsq́; ſtabilitam, & obſtrictam prope introſpiciat, denique coram videat, vno temporis puncto nihil non liberalitate mutua oblatũ, expoſitum, paratum ac promptum: quod tam multi æris effuſione, quod tãto rerum tum priuatarum, tum publicarum diſpendio, tot detrimentis atq́; incommodis, & exantlatis multorum annorum laboribus alterutri lucrifeciſſent, nónne album calculum illico addiderit? nónne confeſtim vel congratulabitur ſperato in otio exſultanti reip.? nónne in admirationem incredibilem adducetur, malis etiam conciliari interdum homines? Vnde liquet terreſtreis iſtas turbas, cælitùs nobis contingere, & vicariorum regum animis à ſupremo numine immitti, ac talibus virgis, ceu flagellis, certiſſimis diuinæ iræ indicijs, in flagitioſos homines Deum, iuſtum compenſatorem operum, ſeuere animaduertere velle potius, quàm fundatas ſtabilitasq́; regni alterutrius

ſedes

ſedes conſimili naufragio labefactatas, protinus excindere

Inaugurata Britannica (vti diximus) magnis comitijs Senatus ad vrbem Londinum, ex conſuetudine cum haberetur, multis obſtinata altercatione conſumptis menſibus, ægre tandem eſt dimiſſus. Verſabatur vero omnis in eo controuerſia, Eſsétne aliquid de ſtatu religionis Chriſtianæ ſub manus mutandũ, innouandum, addendum, detrahendum, ſupplendúmue, nec ne. Primum, vniuerſum ſacris initiatorum, & ſacerdotum collegium, cum parte nobilitatis maxima nihil de inſtitutis maiorum immutari debere magna contentione ratiocinabantur, ac aſſerebant. Verũ Regina, cum nutricis lacte & ſuxerat Reformatã religionem, & ab incunabulis coluerat ſemper honore ſummo, alueratq́ hactenus liberalibus ſtipendijs doctores imbibitæ inſtitutionis. Ad hæc Reginæ opinionem atque exemplum ſequebantur plerique omnes ciues. Itaque poſt litigoſam illam, inutilem nimisque longam rixam, diſsidium verita (vel vt ſuis inſeruiret affectibus) Regina gratia regia, quidquid myſtæ, Patricij multi primatésue rogaſſent, reſciſsis actis ſororijs, S. C.

ſraternum (id quod Eduardo rege latum eſt) nempe quo edictum fuit à Pratore atque promulgatum, vt ne Pont. Rom. poſthac obtemperetur, paucis immutatis clauſulis, retulit ac reſtituit. Sic Regina decreuit. Quo S. C. lato factum eſt, vt τῶν καθολικῶν plerique omnes cum diu occulte ſuſurraſſent, ſuſpirare etiam poſtea cœperint. De Iconomachiæ porro negotio, tunc quidem eo Senatu nihil eſt actum. Verùm non multis interiectis diebus, Diuûm imagines ac ſimulacra omnia è templis, delubriſque ſunt ſublata, refixa, ac diruta, excepta ſola figura Chriſti, cruce affixi, quam domeſtico in ſacrario erectam reſeruauit Regina, publiceq; paſſa eſt oſtentari. Hac re confecta, ac compoſito regni ſtatu, inſpecioſum illum honorem denuo aſſumpta, quo Anglicanæ Eccleſiæ princeps eſt ſalutata. quæ tũc demum rem ſacram omnem in ſe conuertens, creatos ſuo arbitrio nouos quoſdam Epiſcopos, maximè verò miniſteria, ac vicarios (quibus in docendo, monendóque populum ſuſceptam diſciplinam, vteretur) ſtipendiolis ac annua penſione (quæ in victum vix eſſet ſatis) alere inſtituit. Quo reparationis modo, ærarium publicum quotannis mirum in modum creuit,

uit, ac tercētena millia Ducatorum, & eo plus lucrifecit.

Eodem fere tempore, quo Anglia mutauit ritum religionis, Scotia in viciniæ contubernium (vti ſuo loco preſſim à nobis dicetur) deſcendit. cui ſiue ſeceſſioni, aduerſus Reginæ ſenium, & præſidia Regia, ſuſceptæ, ſiue rerum repentinæ perturbationi populus ille, inſolentiam Gallorum (quam iſti in eo regno paſſim admiſiſſe, fama ac rumoribus publicis proſcindebantur) prætexuit. Vtcunq; fuit, inde ſtatim diſſidium, diſcordia, lites, & alia mala paſſim enata pullularunt.

Oppido quàm funeſtus & inauditus caſus, in præparatis nuptijs, in publico gaudio, inter os & offam (quod aiunt) circa id temporis incidit hoc ferè initio.

Pace conſtituta Ph. Albanum, ſtipatū pompa delectæ nobilitatis in Franciam amandauerat: tùm vt fidem publicam pactis adderet, tū vt illa legitima procuratione, ac honorifica legatione, deſponſam ſibi non multo ante in matrimonium Iſabellam haberet vxorem, Profectus eôdem Allobrox, Ph. exnepos, Margaritam ſororem regiam, ex conuentis eius coniugem pactam iurę petebat. Hi omnes cùm ma-

ximo honore, tum opum oſtentatione, ac luxus Gallicani iactatione ad vrbem Parrhiſiorum ab Rege, Curialibus, & Galliæ Satrapis excipiebantur. Nec multò poſt comparatis, inſtructiſq; theatris, ſcenis, ſpectaculis, ludis, pegmatis, & alijs quæ ad imaginarium triumphum attinebant, Iſabella, ab latus vtrumq; claudentibus patre Rege & Allobroge, ad D. Mariæ, quod Parrhiſianorum templorum eſt ſummariũ, deducitur. Præibat in pompa inter faces, tibiaſq; nuptiales (vti mos eſt) paranymphus Albanus, comitatus matre ſponſæ, Regina nimirum Franciæ, ac Margarita Allobrogi nuptura. Præcedentem ſponſam proxime ſequebatur Scotiæ Regina, Delphinati exacto ſemeſtri nupta, cum duabus puellis, ac ſororculis, ſponſæ, loco miniſteriorum, ſubducentes nimirum è ſolo, quamlibet ſtrato pannis laneis tonſilibus diffluentis patagij extremas lacinias, ne humi dilapſæ tanquam in humum demerſæ, virginis tenellæ greſſus impedirent. quæ ſtolarum laciniæ fuſiſſime prominent, in ſimilitudinẽ caudæ ac pinnarum, quas natura pauoni ad ornatum dedit. Has Gallicæ pleræque omnes feminæ, maxime vero Palatinæ, neſcio qua profuſione,

pro-

prodigalitate aut luxu, per lutum ac cœnum raptāt. matronæ autem, & moderatiores mulieres replicatas vnco, cingulo, ceſtúue comprimunt ac ſubleuant, aut ſubter axillas conuolutas, lacertis conſtringūt, ne turpiter fluant, Sed ad rem. Aliquo deinceps interuallo, Delphinas, rex item Scotiæ, cum tribus fratribus ſuccedebant. quorum omnium veſtigijs nobilitas vniuerſa, curia, Senatores, equites, & penè infinita hominum cuiuſuis ordinis multitudo, quæ ſpectatum venerat, inſtabat. Subinde verò Pontifex Vrbanus, ſacro inſtituto, (quod vulgo eſt Miſſa) ad ſponſam Iſabellam conuerſus, ſacra prius verba præfatus, indiſſolubili vinculo eam vxorem (vti cum à natura, tum à Deo ipſo hominibus id eſt tributum) Philippo marito mane coniunxit. quo ex coniugio precabatur, ſicuti geſtuum verborúmque erant ante contractæ, ſic deinceps orirentur amicitiæ rerum atque cognationum. cætera regius procurator, ac paranymphus nuptiali in conuiuio, veſperi, recepto more, officioſe perficiebat, ac ſponſum nomine faciéque tenus præſtabat. Poſtridie verò, ac ſtatim à nuptijs imaginarijs, opipare tamen, laute, ſplendidéque factis, ad ſingularia certamina,

& decurſiones equeſtreis multo ante inſtitutas, Rex Gallorum ſe vertit. à ferijs ad ludicra in familiæ luctũ, atq; in Franciæ funus adornata. Haſtiludia erant illa in primis ſolennia (vti Panathenæa altera) fatalia profecto, quibus erecto animo Rex vna cum Guiſano, Ferrario affine, atq; Nemurte (quos ab vniuerſo equeſtris ordinis ſodalitio, & ſpectata virtute & bellica gloria honoratos delegerat) manifeſta horum ludorum promulgatione, confidenter omneis haſtas Europæ (tanqam alter Achilles) prouocauerat. Contẽderat vero primo atq; item ſecundo decurſionum illarum die, Martis iſte pullus cum athletis, cataphractis, ſtrenue, acriter ac fortiter. Cum autem haſtas glorioſa lacertorum iactatione & brachio conitente iactaſſet, vi torſiſſet, vibraſſetque, itaque in concurſu illo vno atq; item altero, dum labori nõ parceret, ſibiypſi moleſtus atq; iniurius, ex laſsitudine, violento motu, atque agitatione corporis (vti accidere neceſſe fuit) artus quodammodo dormire tertia haſtiludiorum die, ſenſit. quod vbi coniunx Regia præceteris animaduertit, præcibus inſtabat, atque blãdiſsime obſecrabatur, vt eo die maritus decurſione deſiſteret. inquiebat enimuero, honori ſuo

ri ſuo tum nudiuſtertius cum pridie eum, laudatiſsimis duab. decurſionibus, quibus tot & taleis viros, equitesq́ defatigaſſet Rex, ac viciſſet, feciſſe ſatis. id quod eius vxor tunc quidem enixius orabat. quam nō ferūt, ſed aſſeuerant multi, in ſomnis eadē nocte viſam fuiſſe ſibi eū vulnere cōfoſſum & exanimū (ceu quandam ſubſequentis cædis imaginem) vidiſſe. Præterea cum Gallicus vates antea occulte pronuntiaſſet, ad vitæ eius periculum pertinere iſta ludicra haſtarum (id quod in popularibus rumuſculis ac ſermunculis nō obſcure circumferebatur) Regi etiam eius diei mane, familiariſsimi quique & admiſsionales, cùm exantlato labore defatigatum reperiſſent (vti remores aues) amiciſsimis verbis diſſuaſerant, vt ne tertiùm ſe ludis committeret. ſatis enim ſuperque prioribus duabus eius contentionibus, vniuerſo equitatus ordini palmam laudis & gloriæ præreptam dixerant. Porro bonorum conſiliorum tunc quidem (vt ſi quando alias) Rex negligens, ſomnium vxorium, & oracula contemſit. quæ tamen omnia luctuoſo exitu probauit: vltro in occurſum fatorum irruens. Armatus enimuero (vt antea) & equo generoſo vectus in paleſtram cum

ſplen-

ſplendore ſummo deſcendit: in eaque duabus amplius horis, ſumma contentione atq; ardore egregie eſt præliatus. His rebus triduo fere, & præclare ſemper geſtis, Pyruſtæ gaudium Henricus in concione circumſtantium equitũ, eſt gauiſus. nam cùm eo die finis haſtiludijs fuerit futurus, paucique in equis haſtas vibrarent, Mongomerium Gallum, Hordei Scoti Prætorianæ cohortis præf. F. nominatim euocatum, prouocauit. Hîc Mongomerius (in quem oculi omnium conijciebantur) dum imperata facit, ad claſsici ſignum, & tubarum clangorem equo admiſſo occurrentem Regem, magna vi excepit. Verum (vti fortuna poſtulauit) cum haſtæ, in pectus Regium duro brachio impactæ, cuſpis partim diſiecta, partim in multas minutiſsimas particulas, ramentaq́; diſsipata, in aërem ſublime ferretur, ecce, ſimul cum ictu impreſsionis violentæ, trunci (quem adhuc preſſa manu tenebat Mongomerius) acies, galeæ Regalis ocellum (ita anguſtã illam foraminum διαφάσιν, *neceſsitati ſeruientes, appellamus, quibus radium viſus certius dirigunt ac iaciunt à lumine vndiq; circumcluſo armati equites) offendit neſcio qua incuria apertum. itaque ſubleuato eo ocello (quem*

Rex,

Rex, quòd ab illa concurſatione, finem facere ſuarum decurſionum deliberatum habebat, noluerat obditis clauiculis præcludi) per aduerſum galeæ hiatum, labrúmue: dextrum oculum Regis confodit Mongomerius, ſic vt contus cerebro hæſerit. quo letali accepto vulnere, priuſquam ſemiuiuum animus deficeret, ſanguinolentúmque Regem delinqueret ſpiritus, occurrentes certatim admiſſis equis cuncti equites (vt ne ſanguine atque tabo deformatus ex equo laberetur) ſuſtinuerunt, coniunctíſque dextris, ex ephippio atque ſtapedibus ſuſtulerunt. qui euentus præter exſpectationem, dici nequeat, quanto cum dolore, tum animorum conſternatione non modo vniuerſum theatrum affecerit, ac perturbarit, ſed ipſum etiam victorē. Cœlum pro re nata ruere videbatur: aut terra igni commiſceri. At Rex confeſtim detractis armis, in ſedecula primum, deinde in triclinio eſt ſepoſitus. Quo ſtatim vndique accerſita exquiſitorum Medicorum iudicia, letum, mortémque denuntiarunt. qui medici etſi omnem operam perinde atque Vnctores ei nauabant, alexipharmaca & cataplaſmata adhibuiſſent, tamen remedijs neutiquam cederet plaga, letale malum ſucclama-

clamabãt. idem vt perſpexit And. Veſalius, in Anatomice omnium, qui ad hanc ætatem vixerint, medicorum facile Princeps, quem Philippus gener, è Belgio citatis equis, & magnis itineribus eò ad opem ſocero ferendam, allato nuntio miſerat, conſpecta plaga, ob perdolatas, concuſſasq́; teſtulas, ac cuticulam cranei, Chironium (inquit) vulnus. Interea vero dum doloribus diſtraheretur Rex, nullius æque eum pœnituit atque ſuæ temeritatis ac opinationis. etſi quando paululum ſe remittebat dolor (id quod raro fiebat, pelliculis, in teſtinis effluentis cerebri læſis ac colliſis) grauiſſime ſuſpirabat dolebatq́; ſe fortunæ ſumma iniuria, in lecto, deſidioſa iſta morte occumbere. ſemper enim aut in acie, aut in memorabili quopiam conflictu potius mori conſtituiſſe. Porro, ſub poſteaquam nullis humanis adminiculis, nullis officijs Aeſculapiorum, nullis contentionibus Archiatrorum impendentis fati vis reprimi aut repelli potuit, nudius vndecimo (vt inſanabile vulnus ei inflixit fortuna, aut voluntaria lenitas ſatius) 6. Id. Iul. vitam hanc cum morte commutauit, natus annos quadraginta, cum regnaſſet duodecim. Cuius mors humanis iudi-

tijs varie exaggerabatur. alijs immaturam illam, alijs horribilē, acerbam, miſerabilem, multis nominibus funeſtā, deniq; indignam tanto Rege, exclamantibus. Quamobrem non omnino à ſcopo aberrare nobis videtur Petrarcha, vir celebri eruditione, qui in Epiſtola quadam diſſuaſoria ad Hugonem Marchionem Ferrarium data, qua eum propter inſtantia pericula deterret ab huiuſcemodi haſtiludijs ac decurſionibus, hoc inter alia ſcriptum reliquit; Ludicra ea certamina eſſe exercitationes quidem militareis, verum duntaxat eorum equitum, quibus nulla alia vìa ac ratio eſt, aut corporis firmitatem, aut brachiorum robur aut virium præſtantiam oſtentandi. qui ſi caſu in paleſtra occubuerint, viderit hæc fortuna: ſuſq; deq; fuerit. ſciant talia bellum gignere. Priuatum etenim ac leue eſt ex eorum morte diſpendium. Non committendi porro ſunt equeſtribus illis prælijs (quantumuis licet ſimulatis) Principes, quibus innumeræ ſuppetunt cauſæ aliæ, quibus virtutem ſuam cunctis teſtatam reddant: vt quorum incolumitate, aut ciuitatum, aut prouinciarum, aut reip. ſalus conſtat, atque nititur. Hic vero Henricus, cū eſſet in primis bellicoſus,

licoſus, atque magnanimus, impatiens iniuriarum, laudis gloriaq́ ſitienter appetens, & arderet deſiderio potentatus, cuperétque ſummarius tandem in Europa haberi; domeſticorum interim miniſtrorum quodãmodo mancipium exſtitit: dum in ijs rebus, quaſcunque eius intimi propoſuiſſent, vel facillime acquieſceret. Mira præterea fuit comitate, atq; affabilitate ſermonis, qua animos ſubiectorum ſibi populorum conciliabat. Cætera iuſtus, idẽ ſanctus videlicet atque religioſus. Ob quas animi dotes, ſicuti viuum naturali amore proſequebantur, nec niſi optimo erant in eum animo: (eſt enim inſita ei genti, & à natura tributa erga ſuum Regem incredibilis quædam charitas) ita ſane tenerrime Galli morientem deflerunt. Vnde ad multos dies luctum publicum viduitas, & ſolitudo eſt conſecuta regni: & Francia omnis, præſagiens fortaſſe impendentium malorum mare, in grauiſſimis angoribus & moleſtijs implicata iacuit. Galli verò eo dolebant magis luctuoſam vicem domini, in id temporis fortuito incidentem, dum ipſe modo ex conuentionis formula meliorem partem iudicati feciſſet, ac propterea (propter agnatum quoddam vitium male-

diceri-

dicentiæ)ſuſpicioſius arguebant,vel crimino-ſius dicebant inter ſe, aut ſuſpicione futili deliqueſcebant, vt ne Philippus hac opportunitate idonea vſus,ſe aut ad iniquas conditiones reuocaret,aut pacta reſcinderet priora,aut nouam induceret molem ac pondus: itaque afflictæ Franciæ vulnus non callum obduceret,ſed potius aggraueſceret. Sed eum errorem publicum Franciæ, & opinationem popularem Philippus ſacramenti ſolutione correxit, ac ſuſtulit. quippe eo ipſo die, quo Galli paria fecerant, cœpta(vti conuenerat) perfectáque reſtitutione, pollicitis ſtetit, & fidem ſuam cum ſumma fidelitatis laude, & humanitatis commẽdatione liberauit. Reliquit poſt ſe Henric. II. liberos omnino nouem,ex coniuge ſeptem, mares quatuor, femellas treis, & naturaleis duos, alterutrius ſexus. Eam ob rem non multo poſt Franciſcus, omnium primus natu, Delphinas, idémque Scotorum Rex, auiti regni poſſeſsionem, legitimo ſucceſsionis iure accepit: vix annos egreſſus quindecim, qua ætatula profectò præcox & immatura, adminiſtrando tanto talíque regno, multis nominibus, maxime turbulentiſsimis in rebus Franciæ(ſicut mox exitus docuit)non multum op-

portuna, ac minime habilis pleriſq; omnibus videbatur: ætatula, inquam, quæ iura Gallorum municipalia (quamlibet ſtylum ſuum captioſe quidam contra inſtituta patria hîc exacuerit) liberam atque abſolutam poteſtatem fecerunt ſuis Regibus cum adeundæ hæreditatis, tum adipiſcendi regni, tum ſuſcipiendæ dominationis, denique reip. tractandæ: modo conſilijs vterentur ordinarijs. cuius rei luculentiſſimi teſtes ſunt Paulus Aemilius, qui Latine, & infiniti prope Galli, qui de eo ſubtiliter populari lingua ſcripſerunt. Siquidem in antiquiſſimis diplomatis, monumentis, edictis, ac Senatuſconſultis Franciæ, exſtat atq; conſtat, Reges illos ſtatim à pubertate & anno quarto decimo (ita cenſente Senatu) tutelam ſæpiuſcule abdicaſſe. Quæ conſuetudo tenet in hæc vſque tempora, in Hiſpania, in Luſitanis, atque Belgis. quâ tutela libertatis integrum eſt diadema pro ſuo abitrio accipere, creare magiſtratus, adſciſcere conſiliarios, ius dicere, leges ferre: denique regimen ciuitatis vniuerſæ conſtituere ac tractare, vti ipſis videtur. Sed id mirum nemini videri debet, qui in iura Gallicana propius introſpexerit. quippe legimus in annalibus Gallorum,

infra

infra ephœbiam interdum etiam puerulos ad dignitatem auctoritatemque Regiam aſſumptos eſſe exemplo Salomonis, atq; aliorum Hebreæ gentis Regum. ſic tamen, vt in præſidio alumnorum & conſiliariorum aliquotenus laterent.

Interea temporis, quo (vti diximus) vulneratus Henricus cum parata morte conflicta batur, Allobrox, ne aut cauſa ipſa caderet, aut conſtituta pax publica perturbaretur, vel idipſum poſtulāte Rege, Margaritham, ſororem Regiam, principem fœminam, virtutis ſtudioſam, & litteratam (vti conuenerat) duxit vxorem. Proximo autem menſe, poſtquam Henrici funus, patriæ perluctuoſum, Franciæ melior pars in vrbe Lutetia ſumptuoſis exequijs proſecuta eſt, ex conſuetudine auita traductum corpus ad Dionyſij, maiorum ſepulcro conditum eſt.

4. Id. Sextil. fato defunctus eſt Laurentius Priulus, Veneti Senatus Princeps, atq; in demortui locū Hieronymus frater eſt ſuffectus. id quod in ea rep. nouum atq; rarum fuiſſe, vt fratri à fratre, ceu de manu ſummus ille magiſtratus traderetur: multi ſuperſtitioſe notarunt. Sed ea eſt eius Senatus antiquiſſimi

conſtantia, & ſtatus firmitas, vt nullus neq; ariolationi, neq; obſeruationi, aut prædictioni locus reliquus eſſe videatur.

Poſtridie quàm Priulus rebus humanis eximeretur, Romæ Paulus 4. Rom. Pont. Max. in viuis item eſſe desijt. quo onere ſubleuatus Rom. populus, & vniuerſa ciuitas, eius ſubiecta imperio, miris modis exſultabat. nec enim ſolum propter acerbam illam, duram, ac periculoſam hæreſum inſpectationem inquiſitionemúe, quam ipſe inſtituiſſet, verum etiam propter inſolentiam ac nimiam quandam in rep. agnatorum licentiam, eo Pont. vniuerſæ clientelæ opes ſupra fidem erant depreſſæ.

Ph. Rex (vti dictum eſt) bello ſolutus, apud Gordunos ludis, cum ſe, tum ſuorum in pace victorijsq; exultantium animos Gandaui, primaria vrbe Flandriæ relaxabat, ac reficiebat: vbi Comitijs magnis, conuocata tota equitum ſodalitate, ritu à maioribus inſtituto, ac multis cæremonijs, & ſolennibus ſacrificijs Pyladæam illam, adiuratamq; amicitiam datis dextris primum renouauit, redintegrauit, confirmauit. Equitum deinde numerum auxit. & in his, equeſtrem dignitatem, puta Ioſuani velleris inſignia, monile aureum, ornatum

tum agninis exuuijs Franciſco II. Franciæ Regi, affini ſuo, dedit. quo ille vteretur tanquã veri amoris mnemoſyno. itaque his confectis rebus, ac compoſito ſtatu Belgico (cui Margaritam ſororem, Parmæ ac Placentiæ heram, præfecit) comparata ante diſceſſum claſſe magnarum nauium, 7. Kal. Sept. commodam nactus tempeſtatem, Vliſsinga ſoluens, in Hiſpaniam renauigauit. Cuius optatis Fortuna (vt ante rebus magnis, & præclare geſtis) conſtanter reſpondit. quippe paucis diebus, Laretum, Cantabrorum municipium, vno continenter afflante Aquilone, eoque ſecundo appulit. quò, tãquam ad ſuum familiarem larem, ſimulatque peruenit, extemplo reflauit Africus. isq; ventus ad multos menſeis deinceps perſtitit immobilis, & eodem nauigaturientibus maxime contrarius. Atque ita, ſi opportune illius temporis punctum forte interpoſuiſſet vnum, aut ei nunc, præter ſumptum incredibilem, quem in alendis Epibatis, nauiculariјsq; ponebat (quanquam illud ipſum nollet) aut ei per Franciam iter in ſuam Hiſpaniam, aut in Belgio diu commorandum hærendúmue omnino, non ſine ſuſpicione, timore, periculo Hiſpanienſis cuiuſdã ſeditionis, fuerit. Erat

enimuero Hiſpaniæ ob varias turbas, quæ non modo in præterito tempore motæ fuerãt, ſed etiamdũ in inſtanti pullulabant, nec non in futurum impendebant, Regia perſona, & præſentia, vt quam maxime opus. præciſe autem, propter illas ipſas Teutonûm & Britannorum hæreſes, quæ pro re nata vſque aliquo in illa regna penetrauerant. Phi. igitur ſimulatque eo eſt introgreſſus, nihil antiquius habuit, quàm vt in hæreſes iſtas acerbe animaduerteret. Comprehenſi igitur paſſim, & ad diem adducti hæretici, maxime qui opiniones nouæ religionis aut aperte ebulliebant, aut mordicus defendebant, primo menſe Septembri in Turdetanis, apud Hiſpalim, celebre emporiũ, exſtructo publico rogo, in foro, circumſpectantibus multis omnium ordinum millibus, viui combuſti, concrematiq; ſunt. quo exemplo in ſectatoribus ſtatuto non ætatem, non conditionem, non ordinem, non denique ſexum reſpici voluit Rex. Alijs interim, nempe qui à concepta hæreſi tandem deſciuerant, vitæ ac lucis vſura dabatur. Secundo, nec multis diebus interpoſitis, apud Pintiam vallem, ſimile illi Hiſpalenſi alterum ſpectaculum Octobri ſecuto edebatur. cui (quòd illic ceu

in

in Proaſtijs vt plurimum ſeſsitat) frequentes non modo Palatinorum, ac municipum myriades, ſed etiam Ph. Rex imperſonatus præſensq́; interfuit. id quod priore eo fuit luctuoſius, quòd hîc ad flammam publicam, inter cæteros, equeſtreis & primi ordinis, multi alioquin clari viri ſeuere profecto exhiberentur, ita vt terror vniuerſam concionem perfunderet.

Eodem tempore Gallia itidē ad ſupplicium iſtiuſmodi ſectarum ſeditioſarum alumnos dabat. quo ſic illæ, quoquo verſus diſſeminatæ, tandem radicitus exſtirparentur.

Circa id temporis 15. Kal Octob. Franciſcus II. inauguratus in Rhemis (more quidem maiorum, ſed ſumptu, ob extenuatam ſuperioribus bellis remp. ſolito minore) nō multo poſt Bareloducæ, Barrenſis Ducatus metropoli, comitijs magnis, qui dies D. Michaëli erat dicatus (cuius Athletæ cæleſtis imaginem Equites Gallicani in torquibus geſtant) conſueto cæremoniarum ritu, & ſolēni ſacrificio ſubpoſteaquam ordinem illum, ſiue collegium illud velut recenſuiſſet, ac auxiſſet; par pari retulit, & conſimili honore Philippum affinem viciſsim decorauit.

5. Non. Octob. deinceps Hercules Ateſtinus, ætate optima, maturima, moritur, & animam agit. cui filius ſuccedit Alphonſus, tali patre dignus, virtutis eximiæ, certæ ſpei & exſpectationis.

Hoc vero loco non incommodum quadrare videtur, occultarum cauſſarum ignoratione in rebus nouis admirationẽ vt plurimum fieri. qua percellebantur omnes plerique, & præ cæteris Europæi, quòd vnus hic annus omnium fere clariſſimorum Chriſtianæ reip. Principũ mortes, nulla peſte, nulla lue, nulla extraordinaria calamitate in vulgũ graſſante, præciſe continebat. quos in numerũ redigere ſi libuerit, à D. Car. V. Max. ſtatim Marias duas, alteram ſororem Caroli, alterã Britannicam, deinde Bonam Sfortiam Sarmaticã, treis puta Reginas: mox Reges totidem, Dacas duos, Franciæ vnũ: deinde duos Duces, Venetum ac Ferrariũ: denique Rom. Pont. Max. ordine ceu ſucceſſiuis horis mortem occubuiſſe reperimus.

Pont. (quemadmodum paulo ante indicauimus) extincto, comitia illa Pontificalia Romæ ad interregnũ, paulo minus quatuor menſium ſunt adducta. quòd vel comitiorum

quoti-

quotidie ſinguli dies tollerentur obnuntiationibus, vel ſortitio prærogatiue quieſceret. Sic æmulatione vitioſa, riualitati ſimillima, Purpp. PP. tunc inter ſe & contendebant, & diſsidebant. Veruntamen cum tantum temporis litigioſis illis diſputationibus fruſtra conſumpſiſſent, tandem prid. Hilariorum Chriſtianorum, idq; veſperi, Ioan. Angelus Medicinus Mediolanenſis, Mariani illius ſtrenui bellatoris frater, Pont. creatus, Pius IIII. mutato nomine appellari voluit. vir præcipitata ætate, & biennio maior ſexagenario, nec illiteratus, nec peſſimæ ſpei, vt qui ſtatim in initio Põtificatus humanitatis ſpecimen ædidit ſingulare, quòd Palicanum, & ditionem omnem (ex qua extruſus trienuio ante Latino bello fuerat) M. Ant. Columnæ curauerit reſtituendam.

In. An. 1560. Eliſabetha Henrici II. Regis Galliarum filia natu maxima, magno apparatu, mortuo iam patre, ad Hiſpaniæ fines, principibus viris illuſtrib. rege ſcilicet Nauarræ, & Cardinale Borbonio, eius fratre Germano, deducentib. legatis Philippi Regis Catholici, ad hoc vnum conficiendum deſtinatis, ſolenni pompa, & verè Regia, traditur, & à Rege

ſponſo (pro more) regali magnificentia excipitur. Excepta Iſabella regis nomine, per Cardinalem Burgenſem & Ducem de Infantaſqua appellatum, à Philippo; veris iam & ſumptuoſis nuptijs prid. Kalend. Febr. apud Numantiam, pleniſſimam ciuitatem, in perpetuam eius vitæ ſocietatem, & affinitatis cōiunctionem venit: ac ibi demū, quod coniugij eſt ſummum, perfecit. quam ob rem, apparatu Regio, Ludi magni in Caſtulonenſibus paſſim ſunt inſtituti, quibus perpetuo in triumpho per complureis dies conſumptis, eadem ſimul opera, ac vno lætitiæ curſu, Carolus, Philippi F. à Bæticis primum populis exorſus, iuramentum fidelitatis detulit. itaq; pedetentim, tanquam oſtendendi ſui cauſa circumuecto, ciuitates reliquæ Hiſpanienſes, deinceps, vt ei oſculum ordine ac officioſe porrexerunt, ſeque & ſua omnia ſacramento obligarunt.

Iiſdē diebus flagrabat omnis prope Scotia tumultu ac ſeditione. quam moliri ferebatur populus ille, partim aduerſus herā, eamq; viduā, partim in præſidia Gallicana, tūc illic creſcente hæreſi, quā nuperrime à conſortibus Britannis acceperant. Qua rerū nouitate concitatus Frācie Rex, quia ad ſuū arbitriū negotium illud re-

lud reuocare velle videbatur, eò militum cohorteis aliquot, quæ interea præſidio ciuitatibus eſſent, traduxerat, copias maiores ſubinde tranſmiſſurus: quorum Albuſa, nobiliſſimus Gallus, Guiſani glorioſi ducis, germanus frater, Trib. erat deſignatus. Sed inſtitutum Gallicanũ odorata Britann. Regina, attente, circumſpecteq́; (quoad eius fieri potuit) ſibi p̃cauebat. itaq; cũ non optimo erga Gallos animo eſſet, ſuſpicione ſolicita & metu ſuſpenſa, querelas grauiſſimas aperte deferebat. Primo dolebat, Scotiæ Reginam nuper innuptam Franciæ, præpropera prenſatione, vna cum inſignibus, nomen item Regium, vixdum elato funere dilectæ ſororis Mariæ, ſibi arroganter vindicaſſe. deinde Henr. Regem ſedula interceſſione Paulũ IIII. Pont. Rom. ſolicitaſſe, vt ex interdicto Clementis 7. regnum illud abs ſeſe in Scotam tranſcriberetur. quæ eius conſanguinea, ex patre originem trahebat à ſorore Primaria Henr. 8. Regis ſui patris. deniq; moleſtiſſimum eſſe ſibi, ſe conuitio populari, in Francia indigne proſcindi, ac medio digito (quod aiunt) oſtendi. in quibus omnibus rationibus, etſi nihil quidquam adhuc inueniebat firmius, quod teneret, quàm illud, quod ſibi ſimil-

rebellionis, ne ſimul à concitatis Scotis aut obruerentur, aut opprimerentur. Abeſt illa nauium ſtatio ab Alatis Caſtris (quæ eſt totius regni eius metropolis atq; Regia) paſſibus non amplius mille. quem portum, natura per ſe firmiſſimum, Galli operibus ſic communierant, vt neq; humanis vllis viribus, neq; oppugnatione, quantumuis violenta capi poſſe videretur. ad hæc Scotici exercitus, in quo fere 12. millia peditum erant (rariſſimus autem eſt ei genti, ſicut & Britannis, equorum in bello vſus) ducem agebat Comes Haranes, magnanimus iuuenis, Proregis Scotiæ F. quas copias ſimulatq; aduentantibus Milordegraijs militibus coniunxit, terra, mariq; Letha obſidione circumcluſa eſt. Interim conſilio Britãnorum cognito, & per exploratores perlato in Franciam, colligebat Gallus, tum ex Armoricis ciuitatibus, tum ex Aquitania maritima magnum nauium numerum, & claſſem ſolicite inſtruebat, & ſubſidia Lethanis obſeſſis comparabat: tamen hæc omnia grauiſſimis diſſenſionibus domeſticis retardatus (quemadmodum paulo pòſt carbone delineabimus) præſtabat negligentius, & difficilius ſeriuſq; faciebat. nam præterquam quòd tardiuſcule naues,

quibus

quibus exercitum tranſportãdum curauerat, è portubus egrederentur, forte accidit, vt Luna adulta maritimi æſtus maximi in Oceano eſſent. Præterea cum diurna nauigatione vix aliquantulum proueherẽtur, tanta tempeſtas noctu eſt coorta, vt nulla Gallicarum nauium (quanquam breuiſſimus eſſet trãſmiſſus) curſum tenere potuerit, aut inſulam capere. ſed exundante mari diu multumq́; conflictata, aliæ eodem, vnde ſoluerant, referrentur, quædam etiam in vltimam Aquitaniam, quædam verò magno ſui cum periculo propius Cantabros atq; occaſum Solis deijcerentur: ſic vt vectoribus omnis facultas aut adminiſtrandi, aut opitulandi obſeſſis, natura repugnante, adimi videretur. afflictatis itaque & laceratis nauibus, accepto maximo rerum incommodo, facta iactura, armamentariorum & commeatus bellici, cœpto Galli deſtiterunt.

Circa id temporis in mari Balearico Chriſtianis acerbum, & reip. grauiſſimum vulnus Turcæ impoſuerũt, hoc fere modo. Intermiſſa, quam deſtinauerat, oppugnatione Leptis magnæ, & prorogata, quã parauerat, expeditione Barbarica, Metymnacælus Hiſpanus, ampliſſime natus, idem Prorex Siciliæ, & Philippicæ claſſis,

claſſis, nullo labore Meningem inſulam receperat, in eaq; arcē firmiſſimā exædificauerat, cognomēto peregrino Philippalcalzer: vbi ad inſulæ præſidium Aluarum Sandam Celtiberum, hominem non ignobilem cum legiuncula, è quinis millibus militum, & calonibus, lixiſq; mille reliquit. Quare non peſſime geſta noſtros retro vela facienteis Turcica claſſis, cui præerat Baſciapial, forte excepit. Hîc conſpecta repētina Barbarorum occurſatione Metymnacælus, in altum euadere, & ludificatione nautica, naueis callide ſubducere conabatur, pugna ancipiti (contra atq; Ligurū Trierarcharum pars aliqua conſulebat) minime committendum ratus: ob id quòd & paulo eſſet imparatior ipſe, & quod Barbaris erant naues fere triplo plures. Itaque cum promiſcue in fugam ſeſe præcipites noſtri dant, ab hoſte (qui in perturbatos omni ex parte, vehementiſſima remigationis vi ferebatur) viginti ſeptem longæ naues in medio clauduntur: quarum pars tormentis, pars roſtris Barbararum in aperta noſtrarum latera ruentium depreſſa eſt, maior autem pars vi capta. Inde verò ad naueis onerarias, corbitas, & nauigia annotina conuerſis celocibus Turcæ, magnum itidem

ex his

ex his numerum ceperunt. Quod incommodum eo maius fuit, quod commeatu belli, & militibus inſtructiſſimæ erant naues illæ, & ad Lybicam expeditionem comparatæ. Metymnacælus tamen & Doria (apud quos ſummum erat in ea claſſe imperium, quique delectum remigum habebant) cum aliqua parte nauium euaſerunt incolumes. Turcæ verò, illis ipſis victoriæ veſtigiis inſiſtentes, & in opimis ſpoliis exſultantes, ac tempori inſeruientes, arcem illam (quam modo diximus à Metymnacælo in Meninge inſula exſtructam) obſederunt.

Interea Galli ſtatarij, etſi ad obuallatam Letham obſidebantur ab Anglis & Scotis, quia auxilium è patria, in horas exſpectabant, non modò fortiter ſanè eam obſidionem ferebant, ſed etiam diurnis, nocturniſque eruptionibus hoſtem crebrò laceſſebant. Quos cum minimè ferentes iniuriarum Britanni ſimul & Scoti, incredibili pertinacia, muris ante tormentorum vi vndique conquaſſatis, ac ſumma feritate (ſæpius nequidquam oppugnaſſent, infracto animo & contentione propugnatorum, repulſi à vallo in caſtra, receptui ſemper cecinerunt. Qua animorum præſtantia atque altitudine

tudine prope victi hoſtes clade maxima accepta, quos vi atq; armata manu, ægrè expugnaturi videbantur, fame circumſeptos incluſosq; offuſcare conſtituerunt. ob id ſtationibus cuſtodijsq; diſpoſitis terra mariq; itinera ſeruare cœperunt, illud præcauentes, ne quam opem tribules Lethanis ferrent, quo ſic Gallos, tandem aliquando vel neceſsitate compulſos, è nido deturbarent.

Menſe Iunio angoribus, moleſtijsq; domeſticis diſtracta Regina Scota ſenior, atque ex hac perturbata confuſaq; vita in concupitam tranquillamq; ſecuriatem tranſiens, fœmina dotibus animi ac virtute rara, iuſtum ſui deſiderium cum luctu regno & clientibus reliquit. qua morte in Franciam relata, Rex, vt eius viduæ vita valde nitebatur, ſic proculdubio valde percellebatur deceſſu. Quam ob rem multis ſimul difficultatibus implicatus, cum inteſtinorum diſsidiorum malũ, quo regnum conflictabatur, externo longè eſſet periculoſius, & timeret ab panolethria, nec quantumuis licet laborantibus ſuis apud Letham (vt voluiſſet quidem, modò per hoſteis licuiſſet) opitulari iam poſſet, id quod conſultiſsimum afflictis rebus fuit, menſe Quintili, recõciliata ſibi

ta ſibi Britannica, in has ſummatim pactiones, vel iniquas venit.

„ *Ne Franciæ Reges aut inſignibus, aut titulo vel Britannico, vel Hibernico deinceps gloriarentur: quin de corruptis literis intra menſeis ſex, ad ſummum curarent, ne contrauenirent.*

„ *Vt Regnum Scoticum poſthac à 12. viris, ex ampliſſima quaq; familia delectis, adminiſtraretur. quorum ſeptem Reginæ arbitrio, reliqui identidem voluntate Senatus, ceu Tetrarchiæ crearentur.*

„ *Iniuriarum ; damnorumq́; recentium Francia ne recordaretur quidem, cui compromiſſo Senatus Scoticus fidem ſuam interponeret.*

„ *Vt in eum locum, vnde aliquando decidiſſet, magiſtratus quilibet reſtitueretur, clauſaq́; in poſterum Gallis eſſet Scotorum curia.*

„ *Lethæ euerſio vel incolumitas ad arbitrium certorum Scotorũ reuocaretur. Ea tamen arx paulò pòſt ſolo æquata fuit.*

„ *Præſidia Gallicana ad vnum omnia ex peninſula tranſmitterent. præter cohorticulam centum vicenûm militum. qui duas ad arceis bipertito excubarent. his ſtipendia ex ærario publico*

publico perſoluerentur. Senatui tamen inquilini illi, vti ciues, parêrent.

Ne militem vllum, neu munitionem vllam " *in Scotiam, niſi cenſente Senatu, Gallis traducere liceret.*

Quoad ſtatum religionis, & fœdus propin " *quorum inter ſe populorum, iuſtitium pro re nata indiceretur.*

Has pactorum, vel grauiſſimorum Franciæ, conditiones, Britanna non minore ſui gloria, quàm commodo ciuitatis impoſuit. quas minimè accepturus fuerit niſi neceſſitas, quod eſt durũ telum, eò loci hominem redegiſſet, vt aut cedendum Fortunæ Scoticæ, aut inteſtinis ſeditionibus omnino ſuccumbendum fuerit: niſi in conuentionẽ aliquam, bello potiorem, veniſſet. id quod & prudenter, tum conſideratè fecit, aliò reſeruans ſuas ad vindicandã iniuriam rationeis: dum & tempus & locus, opportunitatem magis idoneam rebus gerendis adferrent. in eo ſeipſum, ac animum vincens, quòd non neſciebat, omniũ rerum quandam eſſe viciſſitudinem.

Nec ita multò poſt eam pacem, Scoti Gallicæ victoriæ inſignia reportantes, ab Catholica religione deſciuerunt: proq́; vetere religio-

nem nouam, ad affinis Angliæ pridem mutatum inſtitutum, conformatam, ſuſceperunt. Aſceteria diruerunt. Archimandritarum ſepta reuulſerunt. Dominica ſolennia ſumma admiratione multorum atque ſuſpirio reiecerunt. quod omnis ea prouincia hactenus religionem Catholicam mordicùs tenuiſſet, & reuerenter coluiſſet. Hinc exſules, ac proſcriptos (quorum tūc permagnus numerus in Francia commorabatur) & in his nominatim ſpectatæ nobilitatis capita, citarunt, humanè primùm monentes, vti ad cōſtitutum tempus nullo reſpectu alterutrius maieſtatis ad nomina reſponderent, poſtliminoq; reuerterent in patriam. Sin abeſſe mallent, bona eorum fiſco addicta, & in contumaciæ reos cauſam peractā iri, comminabantur. Atque hoc pacto quidē Franciæ Rex, partim inſulſitate ac inſolentia, partim inſipientia, ac inſania ſuorum, breuiſſimo temporis interuallo, tota cauſa vxoriæ dotis cecidit: quæ iniuria non minimum eius auctoritati detraxit. Huc acceſſit, peruetus illa amicitia, & mutuis officijs demerita ſodalitas (quibus ad multa iam ſæcula, Francia & Scotia, pace belloq; familiariſſimè inter ſe vtebantur) præter rerum iacturam incredibilem,

præter

præter turpem ignominiæ notam in odium conuerſa ſunt perniciosſum ac pertinax. itaq; quod Regnum appetebat Franciæ Rex, regnum quodammodo amiſit (ſiquidem alludere nobis eſt integrum) inſperato illo ſyncretiſmo, Deo volente, Echinis duobus mutuò conciliatis. quod tam eſt rarum, quàm quod rariſsimum.

Exacto prope Iulio, non optimè ceſſit miſeris Chriſtianis, quos profligata claſſe, antè in Meminge inſula, ad arcem, obſidione Barbarica circumcluſos eſſe commemorauimus. Hi, inquam, Chriſtiani, cum diuerſo in cœlo poſitis non modò promiſſa auxilia non ſubmitterentur, ſed neq; in circumſeſſa arce commeatus etiam ſatis eſſet, vnde ipſi, & tot alerentur milites, neq; munitionis copiam vllam haberent, qua ſe contra oppugnatores pertinaciſsimos diutiùs defenderent: deniq; ſiti iam magna ſuorum parte, ob inopiam aquæ dulcis, conſumpta, enectaq;, in extremo verſabantur diſcrimine. Communicato igitur conſilio, cognitoq; rerum inſtantium ſtatu, & explorata hoſtis improbitate atque perfidia, cum mortem glorioſam abiecta ſeruitute cùm potiorem, tum honeſtiorem fore ſibi iudicarent, paucis admodum ad præſidium arcis relictis, cæteri,

ab decumana porta noctu, in nihil tale cogitantium hoſtium caſtra irruptione facta, inuaſerunt, tanto impetu animorum, & niſu virium, vt ategias & tabernacula Barbarorum initio facile perturbarẽt, magnam in his ſtragem ederent, & vſq; aliquo progrederentur. Porrò, etſi ad primam noſtrorum impreſsionem Barbari dubitaſſent, ecquid in caſtris tumultuaretur: tandem tamen eiulatione ſociorum exciti vniuerſi, & ſublato ingenti clamore ſimul ac ſe magno tumultu collegiſſent, certatimq; ad ſcuta, macharas, leuiaq; arma iſſent, Barbariæ totius concurſum ferre paucæ cohortes minimè potuerunt. itaq; pauci à multis facilè ſuperantur. Aluarus autẽ, præf. præſidij, atq; eius legiunculæ Trib. cum reliquis, qui deſperatiſsimam fugam parabant, capitur. Qua clade renuntiata, per amicos, qui ex prælio fortè euaſerant, tantus metus excepit cuſtodes, vt arx ab hoſtibus capta eodem temporis veſtigio videretur. qui quòd Ducem amiſerãt, quodq; robur legionis vel abactum, vel cõciſum eſſe viderãt, itaq; temerè ſe facturos fuiſſe iudicauerant, ſi in tanta, munitionum, frumentiq; penuria, iſta aut exiguitas aut ſolitudo propugnatorum, vim rabioſi hoſtis ſuſtineret,

ſtineret, cogitabant ſalutis ſuæ quoquo modo habendam rationem, itaque incolumitatem ac honeſtas conditiones depaciſci. Sed cum ab iracundo & furibundo Barbaro optatum minimè impetrauerint, poſtremò & ipſi, vi atq; multitudine Turcorum oppreſſi, vna cũ arce in Baſciapialis poteſtatem ſunt redacti, atq; in vincula coniecti.

Sextil. Frãciæ Rex, ad Aquas Vitreas, in dictis antè Comitijs, omneis in vniuerſum ſui regni proceres, tam initiatos ſacris, quàm non initiatos, promiſcuè conuocauit. eo nimirum cõſilio, de ſumma rei vt publico in Senatu ageretur, ſimul vt perturbatiſſimæ ciuitates componerentur, ſimul verò vt cauſa religionis (quæ tum mirandum in modum confuſa atq; controuerſa erat) definiretur. nec enim terminari ſectarũ modus potuit, cum altiſſimè inſitæ illæ radices egerint: quin illæ ipſæ paſſim diſſeminatæ indies ingraueſcebant: ac ſpeciatim apud Normannos, quorum ſummaria ciuitas Rothomagus quòd recens in conſimilem errorem lapſa fuerit ſuſpicio erat ingens vel vniuerſalis tumultus. Hic igitur ad diem coacto Senatu, & Rex, & Regia mater precibus inſtare, obnixeque orare ex præcipuæ

Franciæ nobilitate conflatam concionem, vt extremo tempore ſaltem in negotio vrgentiſſimo, in cauſa ſontica, & ea omnium maxima, in inſtantiam rerum turbulentiſſimis tempeſtatibus, nnllo animorum affectu, quin omnes vno ore & ingenue cum cõmuni patriæ, tum regno conſulant, itaque afflictæ reip. ſubueniant. Tum verò aſſurgens Halmerotes, ab vniuerſitate fidelium Chriſtianorum Franciæ, quem acceperat Rothomagi ſupplicum libellorum faſciculum protulit. Horum hæc potiſſima duo erant capita. Primũ, illarum turbarũ, quæ ad Amboſæ Pomeriũ, prætextu neſcio quo religionis excitatæ fuiſſent, conſcientiam ſuam nõ ſolum ſanis rationibus excuſabant, ſed poſt deteſtationem eius tumultus, fidelitatem, officia, obſequiaq; omnia ſua Regi, ac Domino (vt æquitas tum diuina, tum humana poſtulabat) & ſub manum, & in poſterum certatim deferebant. Deinde etiam atq; etiam communibus votis optabant, vti per Regem liceret ſibi diuino vacare cultui, quemadmodum eruditi atq; inſtructi fuiſſent ab illius diſciplinæ Doctoribus, qui Euangelicorum nomen ſibi adſciuerant. Idem verò dum in manus Regi tradit, quas modo nominauimus preces, ex

more,

more, laconiſmo vſus, quo vniuerſa ſui inſtituti ratio continebatur, inter alia ſubtexuit: Petenti ſupplicum ſubſcriptiones, reſponſum ſibi fuiſſe, Regem ſententiam vt prius rogaret: nũquid vellet ipſa maieſtas à pauculis ea ſcripta ſubſignari, an à quampluribus? quippe quinquaginta hominum millia (quando res ita poſtulaſſet) mox & nomina datura eſſe, nec grauate ſubſcriptura. Prӕterea de cenſu Regio, deq; ӕrario, cum multum, diuq; ageretur: ſubductis in vtramque rationem calculis, ӕſtimatum eſt, vectigalia, portoria, tributa, & exactiones, denique onera ciuibus impoſita, poſt affectum vltimum bellum (quo ӕrarium haud dubie exhauſtum fuerat) decies centena millia aureorum, & amplius ſuperare cenſum Regium. Quibus de rebus, ac connexis, & aliјs conſimilibus cum grauiſſime per compluries dies eſſet in Senatu conſultatum: nouiſſima concluſio fuit, vt Comitia maxima, vniuerſitatis Franciӕ (ſtatum vocant vniuerſalem) in proximum Decembrem deducerentur, quibus demum arduum illud de rep. conſtituenda negotium diligenter excuteretur. quadrageſimo autem die poſt, conuentus celebraretur domeſticus, vbi ſigillatim ageretur de ambigua

religione. Interea iuſtitium eſſet, & quæſtionis tormẽta, quib. hæreſis dire exagitabatur, intermitterentur, ac relaxarentur: modo ne quis tumultum in ciuitate palam excitaſſet, aut arma ſumpſiſſet, aut ſeditionẽ alio quouis pacto clanculum ſolicitaſſet.

Septembri prope exacto, ipſo die, qui D. Machaëli inſcribitur, Guſtauus, Suecorum Rex, valde inclinata ætate, mortem obijt. Hic ad regni illius gubernacula cum ſediſſet annos quinos ſupra tricenos, crudelitatis & auaritiæ eſt notatus. nam nobilitatis partem meliorem, vel paulatim ſuſtulit, ac interfecit, vel bonis exuit & ſpoliauit. Vrgebatur autem admiſſorum partim conſcientia, partim libidine peculatus. primo, quòd regnum illud ipſe vi arripuiſſet, ſummopere metuebat, ne ſummates tragulam ſecurímue ſibi aliquando viciſſim inijcerent. deinde cũ indigenas non tantum tonderet vſque ad cutem, verum etiam degluberet: ne inquilinis quidem atque aduenis pepercit. vndecunque etiam inſuper lucrum captans, vectigalia, portoriaque etſi minimo redempta, maximo locans, his artibus rem familiarem ſupra modũ auxit, ac immenſam auri vim contraxit. nihil anxi-

us, ſi

us, ſi aut diuinum numen offenderet, aut hominum nouercale quoddam odium ſua rapacitate concitaret. Ei porro ſucceſſit Ericus, F. patri diſſimillimus, princeps tam laudatis moribus, quàm fuerit ille illaudatis. exſtitit enim ſpectata virtute, eruditione ſingulari, et linguarum diuerſiſsimarum ſcientia ornatus: ob humanitatem ac vrbanitatem cunctis æque charus, liberalis item, ac gratioſus: denique erga domeſticos, ac peregrinos iuxtà comem ac affabilem ſe præbens.

Nouembri extremum diem vitæ clauſit Andreas Doria, Melphenſium Princeps, Neptunus alter, ſeptennio ferè minor cẽtenario, vir multis nominibus, tum maximè ob naualis rei peritiam affatim prorſus clarus, qui virtute ſua ad honores, atq; inſignia nobilitatis viam inuenit. Cuius ad laudum cumulum hoc acceſſit, quòd patriam, fidelitate ac fortitudine ſumma vnus reſtituit Genuam (Ligurum metropolim) iam inde ab anno 1500. duo detriceſimo ſupra ſeſquimilleſimum, quã tunc Galli obtinebant. quibus magna virtute animi eiectis, & excuſſo ſeruitutis iugo, libertatem conciuibus reddidit. libertatem inquam præciſe fundatam, confirmatam, nixamq;

auctoritate & gratia Doriæ. nam cum ea ciuitas, neſcio quibus fortunæ iniurijs, ad eam diem factionibus, diſsidijs, inteſtinis odijs ac tumultibus ſemper flagraſſet, neceſſe fuit accedere (vti accideret) vt aut modo peregrinam dominationem toleraret, aut modo tyrannide potentioris alicuius ac ſummarij ciuis fuerit oppreſſa. cum libertate verò, quam Doria procurante, vel tandem aliquãdo receperat, quietem lõgiſsimam, ſecuritatẽ commodiſsimam, ac tranquillitatem perpetuam deinceps conſeruauit, exiſtimationem potentiamq́; auxit, opibus, honoribus, ciuibus multo quàm olim florentiſsima. Cuius extremæ pietatis, & ſingularis beneficij memor ciuitas, ac minime ingrata, cum optimum, tum pientiſsimum ciuem immortali Elogio honorauit, tabellæq́; publicæ, in curia Dorienſi appẽſæ, patrem patriæ inſcripſit: vt ne tam boni ciuis memoria aliquando deperiret.

Ineunte Decembri Pont. Pius IIII. cuius ea res præcipue intererat, tum cui indies ante oculos verſabatur perturbatus, ac permutatus religionis ſtatus, tum quod in firma pace Europa quodammodo conquieſcebat, tam bona opportunitate vſus, Tridentinis Comitijs,

quæ

quæ ob continua & atrocia bella multos iam annos erant intermiſſa, diem dixit, in proximi veris tempora, octiduo poſt Eleutheria Chriſtianorum. qui vltro citroq; datis literis, magna voluntate conſortium, ad omneis in vniuerſum principes Chriſtianæ reip. eos ſtudioſe ad Synhodũ allectabat, ſolicitans & Teutones, & Dacas, & Britannos, & reliquos ſtationis Põtificiæ deſertores. quò non multo poſt, quinque legatos, puta Mantuanum, Seripandum, Symonetam, Varmicum atq; Empſanũ, Purpp. PP. omneis, præter antiſtites, ac Pontifices minoreis, nec non ſacrorum librorum interpretes, emiſit.

Nonis Decemb. Franciſcus II. Franciæ Rex, etiamdum adoleſcens, ſeneſcente capitis morbo, quo multo ante afficiebatur, eſt exſtinctus. cuius, quamlibet præcox factum, præter humanam ſane conſuetudinem, pleroſque magis delectabat, quàm contriſtabat, quaſi inexpertus, & infans, plus ſatis obtemperaſſet nonnullorum genio atque priuatis ſuſurrationib. vnde ob æmulationes, diſſidia, ac religionum confuſionem, & id genus alias tempeſtateis, omnis Francia non optime ſecũ conſtabat: videbaturq; vniuerſæ reip. naufragium impẽdere.

In

In Franciſci II. demortui locum, frater ſabrogatus eſt Carolus Maximilianus, Aurelianus, quem breui & compendiaria nomenclatura, Carol. IX. pòſt dixerunt. Cuius, etſi ætate quidem puer adhuc eſſet, vndecennis fere, indolem bonam nihilominus vultus alacris et promptus, & altitudinem quandam animi ac Regium ſpiritum repromittebat. Hîc igitur, cum recepto tutelarum iure, in tutorum poteſtate, puerum impuberem in annum quintum decimum ſaltem, propter infirmitatem conſilij, eſſe maiores vellēt: ex imitatione quidem, atque exemplo ſuperiorum temporum, tam ſecundum naturam, quàm ſecundum leges olim irrogatus eſſe videbatur, vt rerum (veluti per tutelare illud interregnum) pueri Regis mater, Regina interea potiretur. Cæterum illud ipſum ſummum ius, Heroes, ac optimates, à ſtirpe Regia oriundi, multis nominibus, pro re nata, ad ſe præciſe, certatim cauſabantur attinere. Porro, quanquam interdum, vel vt tempori inſeruirent, vel vt opinioni ſuæ abunde ſatisfacerent, olim aliquando aui, atauique Reges nonnihil de inſtitutis maiorum immutauerint, ne perperam tempus tranſmitteretur litigioſa magis quàm nihil profutura

tura ac inani diſputatione: vtrum recte, an ſecus feciſſent ipſi: neu querelarũ modus, nulla interceſsione, nullo interdicto terminaretur propter importuniſsima atque periculoſiſſima tempora, vno ore, & cunctis ſuffragijs VIII. viros R.P. C. primo (vt tunc ipſa temporum ratio ferebat) crearunt, eoſq́; ex nobiliſsimis & ampliſsimis Gallorum familijs, quorũ conſilio Regis infantia corrigeretur, puta Nauarræum Regem, Lotharingiacum ac Turonẽſem Purpuratos, Mag. Eq. Guiſanũ, Sanctandreã, Briſacem, & Regem ſcribarum. quo tamen in conſilio principem obtineret locum Regina, nullo vel gubernatricis vel moderatricis titulo honorata. At is conſiliariorum Regiorum ordo ſtatim creuit, cùm eòdem aſſumerentur: Borbonius purpuratus, Nauarræi Regis frater germanus, Montepenſirius, Rocaſorio, fratres; cùm ex illa ipſa Borboniorum illuſtriſsima familia; tum ex Regali ſanguine ſtemma ducentes. Mox etiam in eum adſcripti ſunt Niuers & Condates, Nauarræi Regis itidem frater. qui Cõdates nuperrime ſiue firmà ratione, ſiue fauore ac ſtudio defenſorum adiutus, opinionem non bonam de ſe ſuſceptæ ſuſpicionis in foro ſupremo refutauerat, ſicut

eadé

ea dere inſtituta in actione (quæ in vulgum ædita eſt typisque excuſa) ſubtiliter deſcribitur. Nouiſſime vero omnium Tribb. mill. duo eôdem acciti conſiliariorum numerum ſupplererunt, ſcilicet, Momoranſinus, & Thermus. itaq; octouiralis illa dignitas, in quindecimuiralem ſenſim abijt amplitudinem.

Franciſco II. interim iuſta ſunt facta. cor, vitæ ſedem, Genabi ad auguſtiſſimum eius ciuitatis Fanum Crucis, ſublimi tymbo eſt abſconditum: corpus reliquum (ex vetere conſuetudine quidem, ſed multo minore funeris pompa ac ſumptu) deductum Dionyſiano maiorum ſepulcro eſt illatum.

1561. *Anno 1561. 17. Ianuar. in Francia conuentus & exercitia Reformatæ religionis extra Lutetiam permiſſa ſunt.*

7. Febr. Principes Germaniæ Synodum celebrant Numburgi; de qua certior factus Pontifex Roman. Pius 4. eôdem Zachariam Delphinum Pharenſem, & Ioannem Franciſc. Comādonum Zazynchium, Epiſcopos mittit. Quibus principes reſpondent, ſe vel authoritatem, vel Iuriſdictionem pontificis nequaquam agnoſcere, nec paſſuros ſibi ab eo leges præſcribi.

Hæc

Hæc dum peraguntur, Princeps Auriacus cum Anna Mauricij Electoris Saxoniæ, & Agnetis Landgrauiæ Haſſiæ filia, Lipſiæ, nuptias magna pompa celebrat. Cui nupta prius fuerat Anna quoq; Maximiliani Egmondani Comitis Burani filia vnica, & hæres. Fœlix profectò Princeps, cui duorum bellicoſiſſimorum Heroum duas filias vnicas matrimonio iungi contigit.

Anno 62. Menſe Nouemb. promouētur noui in Belgio Epiſcopi. Transfertur Epiſcopatus Terrauanēſis in Yperenſem. Inauguratur Archiepiſcopus Mechlinienſis Granuellanus. Adque ſequentis anni initium celebratur in Tridentino Concilio prima Seſſio, ſub Pio 4. quæ in ordine aliàs eſt 17.

11. Iunij Gallia bello ciuili, & inteſtinis odijs, ob diuerſa religionis ſtudia, penè tota conflagrari cœpit. Tunc Brabantiæ etiam Prælatos, ſuos ad Regem in Hiſpaniam mittere, qui nouis ſeſe Epiſcopis opponerent. Tunc Antuerpienſes (poſt triumphum ad Auguſti diem 3. anni præcedentis indictum ac celebratum) idem facientes. Adeò vt paulatim quoq; in Belgio, motus ob vicinorum incendia regnorum exarſiſſe, non obſcurè animaduerteres.

Albert. II. Auſtriacum, pauciſſimis Regib. contigit) trium Regnorum Coronas intra vnum annum capiti impoſuiſſe.

1564. *Anno 64. ferijs D. Iacobi Apoſtoli Sanctiſſ. Imperator Ferdinandus viuos reliquit.*

Hoc anno fuit hyems ſupra modum prodigioſa, ita vt à 14. Nouemb. vſq; ad 18. Februa.

1565. *Anni 1565. vltra Schaldim currib. & equis tranſire liceret.*

1566. *Anno partæ ſalutis 1566. menſe Aprili, Belgicarum prouinciarum Gubernatrici, Principi Parmēſi, Bruxellis, à magna nobilitatis parte, ſupplex exhibetur libellus, quo acerbiorum pro Religione conſtitutionum, petebatur abrogatio, quibus Hiſpanicæ Inquiſitioni, & omnium proinde nationum, ac vrbium interitui, via putabatur parari.*

Diuerſarum deinde Religionum, publicè ſunt in ſuburbijs Antuerpienſibus, & varijs paſſim in locis, conciones habitæ, quas ſtatuarum & imaginum diuerſis in locis eſt ſubſequuta ruina, menſibus Iulio & Auguſto.

3. Iul. *Poſthæc Gubernatrix Belgij vetuit, ne qua vel priuatim, vel publicè conuenticula fierēt, Concionatoribus capitis ſupplicium, alias pœnas auditorib. intentās: atque etiam 600. aureorum*

reorum

reorum præmium proponens, ſi quis concionatorem reformatæ religionis comprehendiſſet. Mittitur præterea Comes de Megen Antuerpiam, vt de præſidio accipiendo, cum Antuerpienſib. ageret: qui tamē inde recedere coactus eſt, ne quid detrimenti acciperet.

Poſt aliquot dies, cum rumor diffunderetur, aduentare cum regio præſidio Comitem, multum ſudatum eſt Antuerpiæ, ſingulis ad ſuas fores, excubias agentib. Accidit tum etiam, (8. Iul.) tres ardere ædes, vnde plebs accreſcentib. animis, facta iam audacior, ingentib. concitatis turbis exclamauit: Ad cædes, ad cædes: Verum Magiſtratus hæc compeſcuit.

Ob motus ſedandos Auriacus princeps venit Antuerpiam, ibi licet in præſentia eius pacatiora facta videbantur omnia: Plebs tamen nihilominus ad Conciones ſolito ardentiùs egredi viſa eſt. Ita, vt non 23. Iun. ſolum, in viculo quodam, Bürgerholtz / *non procul ab Antuerpia duæ ſunt habitæ Conciones: Teutonica vna: altera Gallica: verùm etiam poſtea (14. Iul.) dominica quadam die, ſex aliæ, extra eandem ciuitatem Antuerpienſem.*

Secuti ſunt in Flandria, Yperenſes, Gandenſes, Aldernacenſes, Tornacenſes. Inſulani: in

Franciæ nobilitate conflatam concionem, vt extremo tempore ſaltem in negotio vrgentiſſimo, in cauſa ſontica, & ea omnium maxima, in inſtantiam rerum turbulentiſſimis tempeſtatibus, nullo animorum affectu, quin omnes vno ore & ingenue cum cōmuni patriæ, tum regno conſulant, itaque afflictæ reip. ſubueniant. Tum verò aſſurgens Halmerotes, ab vniuerſitate fidelium Chriſtianorum Franciæ, quem acceperat Rothomagi ſupplicum libellorum faſciculum protulit. Horum hæc potiſſima duo erant capita. Primū, illarum turbarū, quæ ad Amboſæ Pomeriū, prætextu neſcio quo religionis excitatæ fuiſſent, conſcientiam ſuam nō ſolum ſanis rationibus excuſabant, ſed poſt deteſtationem eius tumultus, fidelitatem, officia, obſequiaq; omnia ſua Regi, ac Domino (vt æquitas tum diuina, tum humana poſtulabat) & ſub manum, & in poſterum certatim deferebant. Deinde etiam atq; etiam communibus votis optabant, vti per Regem liceret ſibi diuino vacare cultui, quemadmodum eruditi atq; inſtructi fuiſſent ab illius diſciplinæ Doctoribus, qui Euangelicorum nomen ſibi adſciuerant. Idem verò dum in manus Regi tradit, quas modo nominauimus preces, ex

more,

more, laconiſmo vſus, quo vniuerſa ſui inſtituti ratio continebatur, inter alia ſubtexuit: Petenti ſupplicum ſubſcriptiones, reſponſum ſibi fuiſſe, Regem ſententiam vt prius rogaret: nũquid vellet ipſa maieſtas à pauculis ea ſcripta ſubſignari, an à quampluribus? quippe quinquaginta hominum millia (quando res ita poſtulaſſet) mox & nomina datura eſſe, nec grauate ſubſcriptura. Præterea de cenſu Regio, deq; ærario, cum multum, diuq; ageretur: ſubductis in vtramque rationem calculis, æſtimatum eſt, vectigalia, portoria, tributa, & exactiones, denique onera ciuibus impoſita, poſt affectum vltimum bellum (quo ærarium haud dubie exhauſtum fuerat) decies centena millia aureorum, & amplius ſuperare cenſum Regium. Quibus de rebus, ac connexis, & alijs conſimilibus cum grauiſſime per compluries dies eſſet in Senatu conſultatum: nouiſſima concluſio fuit, vt Comitia maxima, vniuerſitatis Franciæ (ſtatum vocant vniuerſalem) in proximum Decembrem deducerentur, quibus demum arduum illud de rep. conſtituenda negotium diligenter excuteretur. quadrageſimo autem die poſt, conuentus celebraretur domeſticus, vbi ſigillatim ageretur de ambigua

religione. Interea iuſtitium eſſet, & quæſtionis tormēta, quib. hæreſis dirè exagitabatur, intermitterentur, ac relaxarentur: modo ne quis tumultum in ciuitate palam excitaſſet, aut arma ſumpſiſſet, aut ſeditionē alio quouis pacto clanculum ſolicitaſſet.

Septembri prope exacto, ipſo die, qui D. Machaëli inſcribitur, Guſtauus, Suecorum Rex, valde inclinata ætate, mortem obijt. Hic ad regni illius gubernacula cum ſediſſet annos quinos ſupra tricenos, crudelitatis & auaritiæ eſt notatus. nam nobilitatis partem meliorem, vel paulatim ſuſtulit, ac interfecit, vel bonis exuit & ſpoliauit. Vrgebatur autem admiſſorum partim conſcientia, partim libidine peculatus. primo, quòd regnum illud ipſe vi arripuiſſet, ſummopere metuebat, ne ſummates tragulam ſecurímue ſibi aliquando viciſſim inijcerent. deinde cū indigenas non tantum tonderet vſque ad cutem, verum etiam degluberet: ne inquilinis quidem atque aduenis pepercit. vndecunque etiam inſuper lucrum captans, vectigalia, portoriaque etſi minimo redempta, maximo locans, his artibus rem familiarem ſupra modū auxit, ac immenſam auri vim contraxit. nihil anxius, ſi

us, ſi aut diuinum numen offenderet, aut hominum nouercale quoddam odium ſua rapacitate concitaret. Ei porro ſucceſſit Ericus, F. patri diſſimillimus, princeps tam laudatis moribus, quàm fuerit ille illaudatis. exſtitit enim ſpectata virtute, eruditione ſingulari, et linguarum diuerſiſſimarum ſcientia ornatus: ob humanitatem ac vrbanitatem cunctis æque charus, liberalis item, ac gratioſus: denique erga domeſticos, ac peregrinos iuxtà comem ac affabilem ſe præbens.

Nouembri extremum diem vitæ clauſit Andreas Doria, Melphenſium Princeps, Neptunus alter, ſeptennio fere minor cẽtenario, vir multis nominibus, tum maxime ob naualis rei peritiam affatim prorſus clarus, qui virtute ſua ad honores, atq; inſignia nobilitatis viam inuenit. Cuius ad laudum cumulum hoc acceſſit, quòd patriam, fidelitate ac fortitudine ſumma vnus reſtituit Genuam (Ligurum metropolim) iam inde ab anno 1500. duo detriceſimo ſupra ſeſquimilleſimum, quã tunc Galli obtinebant. quibus magna virtute animi eiectis, & excuſſo ſeruitutis iugo, libertatem conciuibus reddidit. libertatem inquam præciſe fundatam, confirmatam, nixamq;

aucto-

auctoritate & gratia Doriæ. nam cum ea ciuitas, neſcio quibus fortunæ iniurijs, ad eam diem factionibus, diſsidijs, inteſtinis odijs ac tumultibus ſemper flagraſſet, neceſſe fuit accedere (vti accideret) vt aut modo peregrinam dominationem toleraret, aut modo tyrannide potentioris alicuius ac ſummarij ciuis fuerit oppreſſa. cum libertate verò, quam Doria procurante, vel tandem aliquãdo receperat, quietem lõgiſsimam, ſecuritatẽ commodiſsimam, ac tranquillitatem perpetuam deinceps conſeruauit, exiſtimationem potentiamq́; auxit, opibus, honoribus, ciuibus multo quàm olim florentiſsima. Cuius extremæ pietatis, & ſingularis beneficij memor ciuitas, ac minime ingrata, cum optimum, tum pientiſsimum ciuem immortali Elogio honorauit, tabellæq́; publicæ, in curia Dorienſi appẽſæ, patrem patriæ inſcripſit: vt ne tam boni ciuis memoria aliquando deperiret.

Ineunte Decembri Pont. Pius IIII. cuius ea res præcipue intererat, tum cui indies ante oculos verſabatur perturbatus, ac permutatus religionis ſtatus, tum quod in firma pace Europa quodammodo conquieſcebat, tam bona opportunitate vſus, Tridentinis Comitijs,

quæ

quæ ob continua & atrocia bella multos iam annos erant intermiſſa, diem dixit, in proximi veris tempora, octiduo poſt Eleutheria Chriſtianorum. qui vltro citroq́; datis literis, magna voluntate conſortium, ad omneis in vniuerſum principes Chriſtianæ reip. eos ſtudioſe ad Synhodũ allectabat, ſolicitans & Teutones, & Dacas, & Britannos, & reliquos ſtationis Põtificiæ deſertores. quò non multo poſt, quinque legatos, puta Mantuanum, Seripandum, Symonetam, Varmicum atq; Empſanũ, Purpp. PP. omneis, præter antiſtites, ac Pontifices minoreis, nec non ſacrorum librorum interpretes, emiſit.

Nonis Decemb. Franciſcus II. Franciæ Rex, etiamdum adoleſcens, ſeneſcente capitis morbo, quo multo ante afficiebatur, eſt exſtinctus. cuius, quamlibet præcox factum, præter humanam ſane conſuetudinem, pleroſque magis delectabat, quàm contriſtabat, quaſi inexpertus, & infans, plus ſatis obtemperaſſet nonnullorum genio atque priuatis ſuſurrationib. vnde ob æmulationes, diſſidia, ac religionum confuſionem, & id genus alias tempeſtateis, omnis Francia non optime ſecũ conſtabat: videbaturq́; vniuerſæ reip. naufragium impẽdere.

In

In Franciſci II. demortui locum, frater ſubrogatus eſt Carolus Maximilianus, Aurelianus, quem breui & compendiaria nomenclatura, Carol. IX. pòſt dixerunt. Cuius, etſi ætate quidem puer adhuc eſſet, vndecennis fere, indolem bonam nihilominus vultus alacris et promptus, & altitudinem quandam animi ac Regium ſpiritum repromittebat. Hîc igitur, cum recepto tutelarum iure, in tutorum poteſtate, puerum impuberem in annum quintum decimum ſaltem, propter infirmitatem conſilij, eſſe maiores vellēt: ex imitatione quidem, atque exemplo ſuperiorum temporum, tam ſecundum naturam, quàm ſecundum leges olim irrogatus eſſe videbatur, vt rerum (veluti per tutelare illud interregnum) pueri Regis mater, Regina interea potiretur. Cæterum illud ipſum ſummum ius, Heroes, ac optimates, à ſtirpe Regia oriundi, multis nominibus, pro re nata, ad ſe præciſe, certatim cauſabantur attinere. Porro, quanquam interdum, vel vt tempori inſeruirent, vel vt opinioni ſuæ abunde ſatisfacerent, olim aliquando aui, atauique Reges nonnihil de inſtitutis maiorum immutauerint, ne perperam tempus tranſmitteretur litigioſa magis quàm nihil profutura

iura ac inani diſputatione: vtrum recte, an ſecus feciſſent ipſi: neu querelarũ modus, nulla interceßione, nullo interdicto terminaretur propter importuniſsima atque periculoſiſsima tempora, vno ore, & cunctis ſuffragijs VIII. viros R.P. C. primo (vt tunc ipſa temporum ratio ferebat) crearunt, eoſq; ex nobiliſsimis & ampliſsimis Gallorum familijs, quorũ conſilio Regis infantia corrigeretur, puta Nauarræum Regem, Lotharingiacum ac Turonẽſem Purpuratos, Mag. Eq. Guiſanũ, Sanctandreã, Briſacem, & Regem ſcribarum. quo tamen in conſilio principem obtineret locum Regina, nullo vel gubernatricis vel moderatricis titulo honorata. At is conſiliariorum Regiorum ordo ſtatim creuit, cùm eòdem aſſumerentur: Borbonius purpuratus, Nauarræi Regis frater germanus, Montepenſirius, Rocaſorio, fratres; cùm ex illa ipſa Borboniorum illuſtriſsima familia, tum ex Regali ſanguine ſtemma ducentes. Mox etiam in eum adſcripti ſunt Niuers & Condates, Nauarræi Regis itidem frater. qui Cõdates nuperrime ſiue firmá ratione, ſiue fauore ac ſtudio defenſorum adiutus, opinionem non bonam de ſe ſuſceptæ ſuſpicionis in foro ſupremo refutauerat, ſicut ea dé

ea dere inſtituta in actione (quæ in vulgum ædita eſt typiſque excuſa) ſubtiliter deſcribitur. Nouiſſime vero omnium Tribb. mill. duo eôdem acciti conſiliariorum numerum ſupple uerunt, ſcilicet, Momoranſinus, & Thermus. itaq; octouiralis illa dignitas, in quindecimuiralem ſenſim abijt amplitudinem.

Franciſco II. interim iuſta ſunt facta. cor, vitæ ſedem, Genabi ad auguſtiſſimum eius ciuitatis Fanum Crucis, ſublimi tymbo eſt abſconditum: corpus reliquum (ex vetere conſuetudine quidem, ſed multo minore funeris pompa ac ſumptu) deductum Dionyſiano maiorum ſepulcro eſt illatum.

1561. *Anno 1561. 17. Januar. in Francia conuentus & exercitia Reformatæ religionis extra Lutetiam permiſſa ſunt.*

7. Febr. Principes Germaniæ Synodum celebrant Numburgi; de qua certior factus Pontifex Roman. Pius 4. eôdem Zachariam Delphinum Pharenſem, & Ioannem Franciſc. Comãdonum Zazynchium, Epiſcopos mittit. Quibus principes reſpondent, ſe vel authoritatem, vel Iuriſdictionem pontificis nequaquam agnoſcere, nec paſſuros ſibi ab eo leges præſcribi.

Hæc

Hæc dum peraguntur, Princeps Auriacus cum Anna Mauricij Electoris Saxoniæ, & Agnetis Landgrauiæ Haſsiæ filia, Lipſiæ, nuptias magna pompa celebrat. Cui nupta prius fuerat Anna quoq;, Maximiliani Egmondani Comitis Burani filia vnica, & hæres. Fœlix profectò Princeps, cui duorum bellicoſiſsimorum Heroum duas filias vnicas matrimonio iungi contigit.

Anno 62. Menſe Nouemb. promouētur noui in Belgio Epiſcopi. Transfertur Epiſcopatus Terrauanēſis in Yperenſem. Inauguratur Archiepiſcopus Mechlinienſis Granuellanus. Adque ſequentis anni initium celebratur in Tridentino Concilio prima Seſsio, ſub Pio 4. quæ in ordine aliâs eſt 17.

11. Iunij Gallia bello ciuili, & inteſtinis odijs, ob diuerſa religionis ſtudia, penè tota conflagrari cœpit. Tunc Brabantiæ etiam Prælatos, ſuos ad Regem in Hiſpaniam mittere, qui nouis ſeſe Epiſcopis opponerent. Tunc Antuerpienſes (poſt triumphum ad Auguſti diem 3. anni præcedentis indictum ac celebratum) idem facientes. Adeò vt paulatim quoq; in Belgio, motus ob vicinorum incendia regnorum exarſiſſe, non obſcurè animaduerteres.

6.Octob. Vniuerſitas Duacenſis à rege Hiſpaniarum erigitur.

24.Octob.coronatur Maximilian.II. Roman.Rex.

19.Nouemb.fit inter Condenſes & Guiſianos,in Francia prope Druydes, vigilia Diui Thomæ, ingens pugna: in qua cecidit Mariſchalcus S. Andreæ. Aſtiterunt Guiſianis, ex parte Regis Hiſp. mille quadringenti ſclopetarij Hiſpani. Capitur deinde Cõteſtablius ad S. Dionyſ. duob. miliarib. à Lutetia diſtantem.

An.1563. 6.Febr.in Belgio princeps Auriacus,Egmondanus & Hornenſis Comites mittunt ad Regem Hiſpan. literas proprijs manibus ſubſcriptas, quibus totius Belgij ruinam minantur, niſi Granuellanum Cardinalem (cui vel ſoli adminiſtratio Belgij credita incumberet)auocet. Authoritatem enim ac præſentiam illius,populum Belgij communem, aliâs ſatis infectum,nequaquam efficeret meliorem: Id quod hactenus diu diſsimulatum, Regiam ſuam Maieſt.celare amplius non poſſent. Rex Hiſpaniarum reſpondens,ſcribit, ſe literas eorum quidem recepiſſe,ſed peculiarẽ nullam in ijs cauſam inueniſſe, cur id faceret. Et quia miniſtros ſuos ſine graui cauſa grauare

non

non aſſueuiſſet, petit, vt, tametſi ſperet ſe prima quoque commoditate, in Belgium conceſſurum, rebúſque præſens remedium adhibiturum: nihilominus tamẽ, vnus eorum ad ſe in Hiſpaniam proficiſcatur, à quo coràm, meliùs quam per literas rem intelligere, indeq; reſolutionem capere poſſit.

Replicant princeps Auriacus & Comites ſic ad Regis literas: nimirum, Res Belgicas in eo iam ſtatu verſari propter vicinorum ſubtiles, nõ minùs, quàm periculoſas machinationes, vt in Hiſpaniam illis proficiſci non liceat. Peterent igitur, ſuis literis præcedentibus à Rege fidem adhiberi, & Cardinalem ab officij munere, exonerari, quod eidem non ſolum non conueniat, ſed prorſus ſit extraordinarium. Adeò, vt citra imminentia totius Belgij pericula, in manibus illius, diutius eſſe, non poſſet.

Menſ. Septemb. Maximilian. Rom. Rex deſignatus, Poſonij Rex Hungariæ ab Archiepiſcopo Granenſi coronatur. Pari ſolennitate Regina Maria, Philippi Regis Hiſpan. ſoror, Regina Hungariæ vncta atque coronata eſt. Obſeruatum eſt, Maximilianũ (quod præter

Albert.II. Auſtriacum, pauciſſimis Regib. contigit) trium Regnorum Coronas intra vnum annum capiti impoſuiſſe.

1564. *Anno 64. ferijs D. Iacobi Apoſtoli Sanctiß. Imperator Ferdinandus viuos reliquit.*

Hoc anno fuit hyems ſupra modum prodigioſa, ita vt à 14. Nouemb. vſq; ad 18. Februa.

1565. *Anni 1565. vltra Schaldim currib. & equis tranſire liceret.*

1566. *Anno partæ ſalutis 1566. menſe Aprili, Belgicarum prouinciarum Gubernatrici, Principi Parmẽſi, Bruxellis, à magna nobilitatis parte, ſupplex exhibetur libellus, quo acerbiorum pro Religione conſtitutionum, petebatur abrogatio, quibus Hiſpanicæ Inquiſitioni, & omnium proinde nationum, ac vrbium interitui, via putabatur parari.*

Diuerſarum deinde Religionum, publicè ſunt in ſuburbijs Antuerpienſibus, & varijs paſſim in locis, conciones habitæ, quas ſtatuarum & imaginum diuerſis in locis eſt ſubſequuta ruina, menſibus Iulio & Auguſto.

8. Iul. *Poſthæc Gubernatrix Belgij vetuit, ne qua vel priuatim, vel publicè conuenticula fierẽt, Concionatoribus capitis ſupplicium, alias pœnas auditorib. intentãs: atque etiam 600. aureorum*

reorum præmium proponens, ſi quis concionatorem reformatæ religionis comprehendiſſet. Mittitur præterea Comes de Megen Antuerpiam, vt de præſidio accipiendo, cum Antuerpienſib. ageret: qui tamẽ inde recedere coactus eſt, ne quid detrimenti acciperet.

Poſt aliquot dies, cum rumor diffunderetur, aduentare cum regio præſidio Comitem, multum ſudatum eſt Antuerpiæ, ſingulis ad ſuas fores, excubias agentib. Accidit tum etiam, (8. Iul.) tres ardere ædes, vnde plebs accreſcentib. animis, facta iam audacior, ingentib. concitatis turbis exclamauit: Ad cædes, ad cædes: Verum Magiſtratus hæc compeſcuit.

Ob motus ſedandos Auriacus princeps venit Antuerpiam, ibi licet in præſentia eius pacatiora facta videbantur omnia: Plebs tamen nihilominus ad Conciones ſolito ardentiùs egredi viſa eſt. Ita, vt non 23. Iun. ſolum, in viculo quodam, Bürgerholtz / *non procul ab Antuerpia duæ ſunt habitæ Conciones: Teutonica vna: altera Gallica: verùm etiam poſtea (14. Iul.) dominica quadam die, ſex aliæ, extra eandem ciuitatem Antuerpienſem.*

Secuti ſunt in Flandria, Yperenſes, Gandenſes, Aldernacenſes, Tornacenſes. Inſulani: in

Hannonia Valencenẽſes, & alij aliis in locis ac prouinciis, totius inferioris Germaniæ.

Fuit interea (15. Iun.) confœderatorum Nobilium conuẽtus Trudinopoli, ditionis Leonidæ, finitimo Brabantiæ oppido, vt inter ſeſe de ſuis rebus diſceptarent, miſſi eò à Gubernatrice fuere, Dux Arſcotanus & Comes Egmondanus, verùm re infecta ac mutata (variantibus opinionib.) ſententia, colloquium indictum eſt Dufflæ, vico non longè ab Antuerpia. In eo cœtu Mercatores & populares ſupplicem libellum fœderatis nobilib. exhibuerunt, eos ceu protectores, atq; tutelares dominos implorantes, ne in religionis ſuæ exercitiis interturbarentur. Quibus fœderati reſponderunt non eos ob religionem vim paſſuros vllam, tantiſper dum ab ordinib. aliud ſtatuatur, ſi tamen extra modeſtiæ cancellos non efferantur.

Die colloquio præſcripto (18. Iul.) legati fœderatorum, ad Memoratos Principes Dufflam venerunt, quib. cum quàm fieri potuit beneuole, actum eſt. Scriptoq; rogati ſunt inter cætera, totis viribus, totiſq; ſenſib. eò incumberent, vti conciones agrariæ exigerentur, cum præſertim rumor inualuerit, ſupplicem libellum non poſtremam illarum cauſam fuiſſe. hæc

enim

enim ratione, perfacilè labem eam poſſe elue-re: vel maximè, cum poſt duos legatos aurei Velleris equites, Marchionem Bergamum, & Montigneum, Veredarius quoque ab ipſa Gubernatrice miſſus ſit in Hiſpanias ad Regem; vti aſſenſum ſuum indicendo Generali Statuum conuentu impertiat: interea Gubernatricem (dummodò viciſſim ipſi quoq; abſtineant) nulla in eos arma ſumpturam.

Sub huius Menſis finem Bruxellam venerunt denuò confœderatorum Legati, atq; ibi ſatis perlixè reſponderunt, ad nouem capita, Dufflæ in medium adducta. ijdem cum perdidiciſſent hoc ipſum Gubernatricem in votis habere, alio ſcripto mentem ſuam fuſius adaperiunt. Atq; inter cætera, iuſtas nequaquam ſibi deeſſe lamentationis cauſas aſſerunt, quod 5. Aprilis oblato libello ſupplice, nonnulli protinus aurei velleris equites, ab ipſis, ceu perduellionis reis, ſe penitus abalienauerint, ſibiq; ſanguine iūctos cōmoneſecerint, ne aut cū ipſis fœdus pcuterent. aut, ſi q̄ ictū ſit, reſcinderēt.

Hæc cum Bruxellæ agerentur, eodem die Nouiomagi, quæ eſt inſignis Geldriæ ciuitas, Philippi Regis nomine mādatum publicatur, ne quis vlli alteri, quàm Comiti Megano, Gel-

riæ Præfecto militaret, Cuius ciuitatis Mœnia, Ludouicus quidā nomine, factus ex Monacho Caluinianus, in Iudæorum Cœmiterio cœpit concionari, habuitq́; frequens auditorium. Altera die, qui fuit 11. Auguſt. & dominicus, largior pluuia homines domi tenuit. In ipſo autem aſſumptionis Virg. Mariæ peruigilio (14. Aug.) aliqui ciues in Collegio Iohannitarum Nouiomagi conuenerunt, vt inter ſe conſultarent, de profligando Ludouico, Apoſtata Monacho, ſed reluctantib. quibuſdam alijs, factioni addictoribus, re infecta diſceſſum eſt. Hoc ipſo die rurſus Antuerpiæ tumultuari cœptum eſt. Iam ſuggeſtus poſitus erat, vt ex eo concionarentur in vrbe noua Caluiniani: ſed impediti per Magiſtratum.

Poſtridie ex Antuerpia diſceſſit Auriacus Princeps (16. Aug.) & eodem ipſo die ſeptem Cōciones partim à Caluinianis, partim à Lutheranis habitæ ſunt. Habitis Concionib. cùm in æde Deiparæ B. Mariæ Virginis preces veſpertinas perſoluerent Canonici, laicus quidā conſcenſo ſuggeſtu, Paſtorem ad diſputationem prouocauit: ſed per nautam quendam è ſuggeſtu deturbatus. Inde ortus tumultus templū & vrbem compleuit.

Ganda-

Gandaui die 22. eiuſd. Menſ. Ciuile bellum indictum eſt ſtatuis & imaginib. Eodē die Gubernatrix Diploma euulgans ſecuritatem in poſterum fœderatis nobilib. certis tamen adhibitis conditionib. præſtat, ſimulq́; inquiſitionis intermiſſionem condicit tantiſper, donec de Religione Rex aliud edixerit. Eodem hoc die apud Valencenas & Tornacum idem fit quod Gandaui, & Tornaci quidem magna vis auri & argenti reperta dicitur. Tornaci duæ ſunt Caluiniſtarum conciones habitæ.

Anno 1567. Poſteaquam varij diuerſas in urbes, Cōcionatores, recepti, Thouluſano Duce, conflati citra delectum milites, vt nouarū Antuerpiæ Eccleſiarum promouerēt conatus, in Oſteruela pago, ad Schaldim fluuium, primo ab vrbe lapide, à Gubernatricis equite, cæduntur, Martij 13. 1567.

Hac clade, qui Caluini amplectuntur doctrinam, Antuerpiæ exacerbati, maximam illam in ponte Marino ſeditionem, & popularem, plenam periculi factionem mouent, quæ ſumma D. Stralij Conſulis, Hochſtratini Comitis, & potiſſimum Auriaci Principis prudentia, citra cædem & ſanguinē 14. Martij ſedatur.

Quorũ cùm latius proſperet factio, in Hannonia, Valencenas vrbem præclarã inuadit, quæ cùm à Concionibus nollet deſiſtere, eam Gubernatrix Parmenſis, Norcamio duce, obſidione arctiſsima cingit, & paucos poſt dies occupat.

Auriacus princeps de Hiſpanorũ conſilijs certior factus, poſtquam intellexiſſet, Ducem Albanum non pauca Hiſpanorum, Italorum, & Burgundionum manu ſtipatum, ad Belgas aduentare, fluxam quorundam optimatum ac nobilium fidem, & vulgi inſtabilitatem expertus, dat locum iniuriæ temporum, vrbeq́ Antuerpia excedens, Bredã 21. April. ſe confert, non paruo nobilium, mercatorum & ciuium numero comitatus.

Ex Hiſpania deinde Albanus in Belgiam, Parmenſis Gubernatricis conſilijs pacatã veniens, menſe Auguſto à Bruxellenſibus læta pompa introducitur.

Egmondanus & Hornenſis Comites, dum in ædibus Albani Bruxellæ de fortificatione Theumuillæ, 9. Septemb. deliberant, apprehenduntur, atque 13. eiuſdem menſis die in arcem Gandauenſem abducuntur. Paulò poſt diſcedit Albanus, vt locum erigendæ arci Antuer-

Antuerpianæ deligeret. Sub finem eiuſdem anni 30. Decembris, Parmenſis Gubernatrix diſcedit, comitante & deducente eam extra ciuitatem Albano.

Anno 1569. 16. Febr. miſit Albanus comitem quandam Louanium, qui filium Auriaci, Philippum Gulielmum, Comitē Buranū, duodecim annos natum, Antuerpiam duceret, qui poſtea miſſus in Hiſpanias, in vniuerſitate Complutenſi literis operam dedit. Rex Philippus fertur ei præbere 2000. ducatorum. Aiunt Egmondani Comitis filium, niſi ætas tenera obſtitiſſet, pariter in Hiſpaniam abiturum fuiſſe.

Margaretha, Belgij Gubernatrix, omni ſua authoritate in Albanum translata è Belgio in Italiam reuertitur.

Hinc cum Albani conatus Belgis paulatim innoteſcerent, pedites nō pauci domino de Villers præfecto, collecti, qui Albanum in cœnobio prope Bruxellas, Paſchales ferias peracturum, intercepturi erant, in Iuliacenſi ducatu iuxta oppidum Dalen, nondum armis inſtructi, ab Hiſpanis 22. Aprilis cæduntur. quo etiam tempore, Hiſpanica feritas, in Iuliacenſes vicinos, tam ruſticos quàm

nobiles

nobiles innocentes, effrenate deſæuijt: Horum tamen potentiam Ludouicus Naſſouiæ Comes illudit, cũ paulò poſt de Veda, Damo, viciniſq́; locis, militari manu triumphat.

Eius vt Albanus diſſiparet exercitum Comitem Arenburgicum, Phryſiæ Gubernatorem, cum magno Iberorum veteranorum Comitatu, duci Brachamõte præmittit, qui quidem Arenburgicus comes ob locum minus propitium, conflictum detrectans, fluxæ ab Hiſpanis fidei inſimulatus, eam vt ſuſpicionem deleret, manum cum Naſſouio infeliciter & iniquo loco conſerens iuxta Hiligers locum Groningenſis territorij pagum, Hiſpanis in fugam conuerſis, concidit, perit ſimiliter Adolphus Naſſouius Comes, Maij 24.

Hac ſuorum clade efferatus Albanus, Calendis Iunij Batenburgicos Barones fratres, & alios captiuos nobiles. Quinto autem eiuſdem Menſis die pridie Pentecoſtes Egmondanum & Hornenſem Comites, optimè de Rege olim meritos, quorum cauſa ordinario iuſtitiæ proceſſui commiſſa, nondum erat deciſa, Bruxellæ capite mulctat. Corpus Egmondani in oppido ſuo Sotteghem, in Flandria: Hornenſis verò in eius comitatu in Campinia Brabantiæ, humatum eſt.

Eodem

Eodem ferè tempore edixit Albanus, vt, quicunque Religionis cauſa è Belgio profugiſſent, in Belgium redeant, ſuoq́ſe Magiſtratui ſinguli repræſentent, alioqui bona ſua omnia amiſſuri, & perpetuò exulaturi: ſed nemo comparuit.

Bruxellæ in foro equorum coniurationis nomine damnati Nobiles magno numero ad ſupplicium producũtur capiteq́ multantur 1. Iunii. inter quos erant Battenburgici Barones, fratres duo. Erat autem Confœderatio, quam ſubſcripſerunt, de verbo ad verbum ex Gallica lingua in latinam translata, talis:

Cum pòſt debitam, iampridem informationem habitam, certò conſtet: aliquòs eſſe pernicioſos, hominéſque malicioſos, qui ſub magni cuiuſdam Zeli prætextu, quem ſe habere falsò ſimulant, pro conſeruanda & promouenda Religione, Fidéque Catholica, & populi vnione: nihil quærũt aliud, quàm vt inſatiabili ſuæ auaritiæ, ambitioni, & ſuperbiæ intolerabili ſatisfaciant, hi verbis ſuis melle conditis, falſisq́ delationibus, Regem dominum noſtrum, perſuadendo eò perduxerunt, vt contra Iuramentum Deo, ſuisq́ fidelibus ſubditis, in inferiori Germania præſtitum, (neglectis

glectis omnibus, quæ in contrariũ ſupplicando apud regem adſerebantur) violẽter introducere, ac veluti iugum imponere voluerit, pernicioſam Inquiſitionem illam, quæ non ſolum rationi, omnibusque legibus, tam diuinis quã humanis contraria eſt, verũ omnium etiã rigorẽ & crudelitatẽ excedit, qb. antehac vnquã vſi ſunt Tyranni, infideles, & pagani.

Qualis non poteſt redundare, niſi ad contemptum diuini nominis, & extremam perditionẽ, & ruinam totius inferioris Germaniæ, propterea, quòd eiuſcemodi inquiſitio, omnem redigat authoritatem, & iuriſdictionem ſub poteſtatem Inquiſitorum: faciat omnes Belgas perpetuos miſeroſq; ſeruos: exponat homines continuis & euidentibus periculis corporis & bonorum. Adeò vt, ſi præsbyter quidam, vel Hiſpanus aliquis, aut alius quiſcunque tandem fuerit, volens nocere alicui; Is mediante tali inquiſitione, eũdem & accuſare, & carceri mancipare, imò cum bonorum confiſcatione morti etiam tradere poßit, probitate aliàs & honeſtate conſpicuos quoſcunq; qui laqueis hoc pacto irretiti, in cauſis, rationibus, ac defenſionib. ſuis, vnquam nec audiri nec aſcultari poſſent.

Nos

Nos itaq; Infraſcripti, benè conſideratis ac perpenſis his omnibus exiſtimauimus, atque etiamnum exiſtimamus, debitum noſtrum, nec non & rationem ipſam, hoc à nobis efflagitare, vt, euidētia huiuſmodi, pariter ac intolerabilia, inconuenientia declinantes atque euitantes aptis ad hoc remedijs, & bonis, & perſonis noſtris prouideamus: ne inſtar prædæ exponamur ijs, qui ſub Religionis, vel inquiſitionis prætextu, rem ſuam agendo, diteſcere conantur ſanguinis, vitæ, ac bonorum noſtrorum, expenſis & periculo.

Quare bonum hoc opus, firmumq; ac ſanctum fœdus, ſimul ineuntes, Nos inuicem nos obligamus, ſolemniq; iuramēto promittimus, Impedire, omnibus viribus noſtris, dictam inquiſitionem, ita, vt eadem nullo modo, ſiue publicè & apertè, ſiue tacitè aut colore quocūque, (puta ſub nomine & vmbra inquiſitionis, viſitationis, Edicti, Mandati, vel alio quouis prætextu) ſuſtineatur aut recipiatur; verum, vt pro poſſe noſtro in totum aboleatur, funditus extirpetur, & eradicetur, tanquam fons & ſcaturigo omnis confuſionis & Iniuſtitiæ. Sub proteſtatione tamen nihilominus, notum facimus coram Deo & homini-

hominibus;in bona fide & conſcientia, nos nihil omnino, velle hoc fœdere noſtro moliri, vel attentare, quod vel ad contemptum Dei, vel ad diminutionem authoritatis & dignitatis regiæ, Statuumue ſuorum tendere poſſit. Cùm in contrarium, hæc ſola ſit noſtra intentio; Vt ſcilicet, Regem, eiuſque ſtatum manuteneamus;bonumq́ ordinem & politiam conſeruemus; reſiſtentes quantum in nobis fuerit, omnibus ſeditionibus, tumultibuſque popularibus.

Quam quidem confœderationem, ex hoc promiſimus, & iurauimus, promittimus & iuramus etiã in poſterum; nos velle ſanctè & inuiolabiliter, ſemp̱ & quoad vixerimus in hoc mundo, eandem cuſtodire atque obſeruare. In teſtem aſſumentes DEVM OMNIPOTENTEM, ſuper animas & conſcientias noſtras, Nos neq́ facto, neq́ verbis, directè vel indirectè, ſcientibus aut volentibus nobis, quocunq́ modo fuerit, vnquã contrauenturos.

Atque vt in perpetuum hoc fœdus noſtrum magis ratificetur, ſtabiliatur, firmetúrque. Nos ijdem promittimus, alter alteri, omnem aſſiſtentiam corporis & bonorum; manus ad hoc in-

hoc inuicem iungentes, ne quiſquam confratrum & confœderatorum noſtrûm vllo modo inquietudinem ſiue moleſtationem ſufferat, aut perſecutionem in corpore vel in bonis, occaſione dictæ inquiſitionis, & edictorum eandem concernentium, vel etiam nomine huius confœderationis noſtræ. Quòd ſi verò contingeret, aliquos ex confratribus & confœderatis noſtris, moleſtia quadam, vel perſecutione impeti, quocunque tandem modo id accidat. Iuramus nos illis aſſiſtere (Deum in teſtem adhibentes,) Corporibus ac bonis noſtris hac in parte nequaquam parcentes, abſque omni omnino ſubterfugio vel exemptione quacunq;, non aliter, ac ſi hoc ipſum perſonas noſtras concerneret proprias.

Expreſſe hoc intelligentes ſpecificamus, nihil nobis prodeſſe, ad hoc vt eximamus aut abſoluamus nos, à confœderatione ac debito hoc noſtro; ſi perſecutiones aut moleſtationes huiuſmodi ſub colore aut prætextu quodam tegere perinde ac ſi rebellionem duntaxat punire voluiſſemus, aut aliqua cõiectura. Dummodò nobis veriſimiliter conſtet, occaſionem talem præceſſiſſe, ex cauſis ſuprà dictis. Nam hoc vel ſimili caſu dicimus, non poſſe prætendi

Ee aliquod

aliquod crimen Rebellionis; Propterea, quòd origo procedat ex Zelo & deſiderio ſancto, conſeruandi gloriam Dei, Maieſtatem Regis, quietem & tranquillitatem publicam, cum ſalute corporis & bonorum, ad defenſionem familiæ, vxorum ac proliũ noſtrarum; quibus & Deus nos obligat & natura ipſa.

Volumus etiam, atq; alter alteri promittimus; quòd in his & ſimilibus rebus, quilibet ſeſe conformare tenebitur, voluntati & conſilio, fratrum & confœderatorũ omnium cõmuni: aut aliquorum ſaltem, qui adhoc deputati fuerint ac conſtituti; vt in perpetuum ſic noſtra hæc, inter nos vnio confœderata permaneat, tantoq; firmius ſit atq; validius hoc ipſum, quod communi omnium conſenſu, factum decretumq; fuerit.

In Teſtimonium & confirmationem huius confœderationis atq; vnionis noſtræ, Nos ſanctiſsimum nomen Dei viuentis, creatoris cœli & terræ, omniumq; quæ in eis ſunt, inuocantes: tanquam Iudicis & ſcrutatoris cordium, conſcientiarum, & cogitationum noſtrarum & tanquam illius, qui nouit intentionem ac reſolutionem hanc noſtrã, eſſe talem: Oramus quàm humillimè, Quatenus ſui ſpiritus ſancti gra-

ĉti gratiã nobis impartiri dignetur, ad hoc, vt omnes actiones, & conatus noſtri, bonũ & fœlicẽ ſortiantur effectũ, ad honorem eiuſdem ſanctiſſimi nominis ſui, ad pacẽ & tranquillitatẽ publicã, & ad ſalutẽ animarũ noſtrarũ.

Statim pòſt obitum nobilium, comitumq́, non procul à Louanio, ſanguinis guttæ, ingenti copia ſunt repertæ. Et comes Meganus apud quandam Abbatiam, propè Groningam, ſub collo ictus globulo, in Thorace aut circiter non multò pòſt quoq; obijt. (6. Iun.)

Dux Albanus, cum intellexiſſet, Ludouicum Comitem Naſſouium, & Hochſtratanum Friſium, cum duodecim millibus peditum, & quadringentis equitibus, vt Groningam obſiderẽt oppidum, inuaſiſſe; miſit aduerſus eos, Chiapinum Vitellium Italum, non paruo peditum, equitumq; numero inſtructum: qui exercitui hoſtiũ vicinus factus, eos ad prælium allicere conabatur; Sed enim, cùm eò adduci non poſſent, Monaſterium quoddam, à ſeptem hoſtium ſignis occupatũ, Vitellius adoriri ſtatuerat; cæterum pluuia ſuperueniente, & conatus illius interturbãte nihil effectum fuit.

Interea Groningenſes, ab inimicis obſeſſi, crebras ex vrbe faciebant eruptiones, nec

paucos proſternebant. Eodem die, quo comes de Megen ictus eſt, apud eandem abbatiam, de qua ſuprà, ducentos trucidarunt, & totidem ceperunt, decem è ſuis duntaxat deſideratis & amiſſis. Nec longè tùm abfuit à periculo, Comes Curtius, equo eius cadente.

Ludouicus Naſſouius, cernens de exercitu ſuo perire multos, bis ad iuſtum prælium prouocauit Vitellium; qui, licet cum hoſtibus confligendi eſſet cupidiſſimus, reſpondit, nec dum ſibi opportunum eſſe: breui tamen fore. Nolebat enim abſente Duce Albano, ſe ſuosq́ in diſcrimen conÿcere, dubÿ euentus, qualis ferè ſolet eſſe præliorum.

Eodem menſe Iunio, quidam captus apud Groningam, faſſus eſt, ſe, cum tribus alÿs voluiſſe, oppidum Groningenſe, quatuor locis inflammare; vt ÿs ita, qui cum Ludouico Naſſouio erant facilior daretur aditus ad vrbem capiendam, præſertim quod non deeſſent, intrà vrbem, qui eis fauerent: verum infauſtus is, in quatuor tandem partes diſſectus eſt.

Comes Montenſis occupauit Bergas, oppidum ſuum vulgò dictum (Bergenop Zom) cæſo præſidio, quòd Meganus comes ei impoſuerat:

Qua

Quare permotus Dux Albanus, miſit è ſuis quoſdam, qui ex hoſtium manibus, oppidum extorſerunt; relicto illic præſidiario milite, qui nomine Philippi Regis illud detineret.

Albanus Dauentriæ, greſſu citato, venit Rooldum, tribus à Groninga miliaribus germanicis. Inde tandem hoſtibus vicinus fit. non enim obſcurè intellexit, Auriacum cum ſuis ſequacibus, in eam vnam curam, ſenſus ſuos omnes intendere; vt, non modica equitum & peditum manu collecta; ijs, qui apud Groningam erant, ſuppetias ſubmitterent, eos itaq., priuſquam ſeſe Auriacus illis coniungeret, diſsipandos ratus eſt.

Auriacus Princeps collectum in Germania exercitum, iuxta Stochemium pagum, infra Traiect. oppidum per Moſam Octobri menſe traducit, & inſignem de communi patria hoſte tum triumphandi occaſionem, præfectorum ſuorum diſsidijs & diſputationibus amittens, inſequente Albano, per Galliam exercitum reducere cogitur.

Albanus relictis ſuis peditibus Bruxellæ, venit Antuerpiam cum quadringentis equitibus, altera die viſitauit caſtrum Antuerpienſe, vbi poſtridie maximus fiebat terræmotus.

1569. *Anno 1569. Tumultu iam omni, vti Albanus exiſtimabat, ſopito, generalem veniam & amneſtiã Antuerpiæ 16. Iulÿ promulgat.*

Ladronius Comes, ob non ſoluta ſtipendia, à tumultuante Germano milite, Valencenis aliquamdiu captus, poſtquam dimiſſus eſſet, eundem deinde militem ſigillo & manu Albani Ducis, vanas ac falſas veniæ & gratiæ promiſſiones oſtentans, Antuuerpiam pellexit, equite & milite Hiſpanico cingit, datas à ſe & Albano literas vi extorquet, tum præcipuos duces & Capitaneos, contra fidem datam prope arcem Antuuerpianam, laqueo & ferro, menſe Septembri, barbara immanitate crudeliſſimè necat.

Albanus, cùm probè ſibi officio ſuo functus eſſe videretur; contra eos, quos criminis læſæ Maieſtatis reos exiſtimauerat: cumq́; in eos, vt dictum eſt, quoq; animaduertiſſet, qui aliÿs criminibus obnoxii, ſuſpendio & gladio digni iudicabãtur, voluit poſt criminales executiones, etiam ciuilibus ac politicis in Belgio conſtituendis rebus, intendere: Videns itaq;, maximas fallacias fraudes ac deceptiones occupaſſe Belgiũ, quoad monetas ex aliis regionibus eò delatas, interdixit omnibus monetis argen-

tis argenteis, tam paruis quam maioribus ne valeant, niſi quæ Regis Philippi nomine cuſa fuiſſent atq; ſignatæ.

Non pauca præterea obſeruari voluit edicendo, à Ludimoderatoribus, Impreſſoribus ac Bibliopolis, ne quemadmodum eò vſque factum eſt, illorum incuria, partim inſcitia atq; auaritia, quicquam poſthac delinquatur, ea imprimēdo ſcilicet vel impreſſa diuendendo, quæ in præiudicium Religionis Catholicæ, authoritatis regiæ, atq; vtilitatis publicæ tendere poſſent.

Pius V. Romanus pontifex poſtquam contra Angliæ reginam Sententiam tuliſſet, vt dictum eſt, eamq; hæreſeos condemnaſſet, & omni regnandi poteſtate excidiſſe declaraſſet, multaq; id genus alia publicè denūtiaſſet, eaq; typis excudenda curaſſet: exemplar in Angliam perlatum eſt, ad Iohannem Feltonum virum nobilem & Catholicū, qui nolens homines ſuæ gentis Catholicos, eam pontificis latere Sententiam, ipſo corporis Chriſti feſto Londini ad fores Epiſcopi, apud ſummam ædem eam publicè affixit, non ſine mortis periculo.

Promouebatur etiam circa hoc Tempus iam

ab Anno 1565. hucuſque intermiſſa, Concilij Tridentini executio, cùm anni huius menſe Iunio primùm Epiſcoporum atq; aliorum Eccleſiaſticorum Mechliniæ cogeretur Concilium.

Rex interea Philippus, non obſcurè intelligens, Piali Baſſam Conſtantinopoli ſoluiſſe 17. Aprilis, cum triremibus octoginta, biremibus autem triginta, atq; etiam 16. Maij die ſubſequente, Hali quoq; Baſſam, cum triginta ſex triremibus & duodecim biremibus, ſex onerarijs nauibus & vno Gallione, vt per illos Turca Selymus Cyprum extorqueret Venetis, his miſit in auxilium Ioannem Andream Auriam, cum quinquaginta triremibus, vt etiam contra exteros Turcas, pro Catholicis, Catholici Regis titulum defenderet.

Quinta die prius quàm Concilij Mechlinienſis Decreta abſoluerentur, edidit etiam Albanus reformatoria in cauſis criminalibus poſthac obſeruanda quædã decreta, Regiæ Maieſtatis nomine promulgata.

Poſtea, iam omni ferè in Belgio tumultu ſopito, illiq; Albano contra aduerſariorum ſuorum inſolentias fortuna vtcumq; blandiente, Regis nomine, generalem condonationẽ ac

veniam,

veniam,ſiue donum regalis clementiæ, vt dicam elegãtius, regali Theatro magnificè ſtructo ante domum ciuicam, in magno foro Albanus promulgauit Antuerpiæ, quod quidem donum, pacis ac tranquillitatis impatientes aliqui Pandoram omnium calamitatum procuratricem appellarunt. non autem Pardonam, vt alij barbarè vocarunt, literis tranſpoſitis duntaxat, aliàs iiſdem manentibus.

Poſteaquam magno cũ apparatu, inter Regem Hiſpaniarum Philippum, & Annam Auſtriacam Imperatoris Maximiliani filiam, pacta eſſent ſponſalia. Illa Ratisbona diſcedens præſtantiſſimis quibuſdam viris comitata nobilibus, pergit in inferiorem Germaniam; inde in Hiſpanias profectura. Sexta Idus Auguſti Ioannes ille Feltonus nobilis quidam Anglus, à duodecim viris damnatus, Londini ad ſupplicium trahitur; ob affixas literas, quibus ſententia pij V. ſummi Pontificis, contra reginam continebatur, quæq; ad octauam ferè horam alterius diei, in eo, quo dictum eſt, loco publico permanẽtes, à multis lectæ ſunt, atq; etiam à nonnullis deſcriptæ.

Aſtitit quidam Feltono eas affigenti, qui periculum veritus, ne quod amaret, in eo peri-

ret; fuga ſibi conſuluit, ſimul Feltonum adhortans ſuaſit, vt ipſe ſe quoque ſubduceret; ille fugere nolens, ſe per Dei gratiam non recuſaturum teſtabátur, quicquid ea cauſa ferendum eſſet, comprehēditur, & in carcerem ducitur. Deinde in Iudicium, quòd duodecimvirale vocant, productus, atq; nùm literas illas affixerit, interrogatus, reſpondit in hūc modum: Ego libero vos omni vlteriori ſolicitudine & labore, meq; fateor id feciſſe. Qui ad locū ſupplicij protractus, ac monitus à quibuſdam, vt à Regina veniam peteret, non ſe eam læſiſſe reſpondit.

Publicata eſt pax, Pariſiis inter regem Carolum IX. & eius ſubditos rebelles, atque ita tertium bellum Franciæ Ciuile ſopitum eſt, certis quibuſdam conditionibus, quæ typis excuſæ proſtant.

Circa hæc tempora Coſmus Medices creatur à pontifice magnus Dux Hetruriæ ſiue Tuſciæ, cùm antea Dux Florentiæ duntaxat appellaretur; non ſine quorūdam principum magni nominis contradictione; cùm in orbem nō inuniātur Archiduces niſi Auſtriaci ea dignitatis prærogatiua ſoli gaudentes vt appellētur magni, ſiue Archiduces.

Appulit

Appulit Antuerpiæ, Philippi Regis Hiſpaniarum futura cõiunx, ex Germania per Geldriam in Brabantiam, iter faciens; vbi cum duobus Archiducibus Auſtriæ, fratribus ſuis iunioribus, Alberto & VVenceslao, cumq; nobilium ac principum aliorum virorũ inſigni admodum comitatu, excipitur, quam honorificentiſsimè, à Duce Albano, aliiſq; proceribus, in magnificas illas ac ſplendidiſsimas ædes diuertens, quæ vulgo dicuntur (dat Oſterſch Huys) illic aliquandiu perſiſtens, ventum expectat propitium, quo flante ſalua & incolumis, in Hiſpaniam natiuitatis ſuæ terram, redire, & ad chariſsimum ſuum futurum coniugem pertingere poſſet.

Peruenit 8. Septemb. Philippi Regis Hiſpaniarum atque pontificis claſsis, in Inſulam Cretam, honorificè paulò ante accepta, à Zaneo Venetæ claſsis Imperatore. Iam verò inter ſe totius claſsis Duces, cum alijs egregijs viris cõuenerant, de conſerenda cum Turcis manu: quos ſi ſuperaſſent, Cyprum liberatum iri nõ dubitabant à violentia Selymi (qui legatum miſerat Venetias, Cyprum petentem, ſed precibus armatis.) pugnabant interim Turcæ, fortiter ad Nicoſiam, ſed cum ſtrenua

Chriſtia-

Chriſtianorum opera, vrbem egregiè propugnantium, multis è ſuis amitterent, compulſi ſunt ab Hali & Piali Baſſis ſubſidia petere; à quibus miſſi ſunt ad eos peditum Turcarum viginti millia, ij eodem die venere Nicoſiam: Quibus copijs freti, Turcæ ſequente nocte, magna vi, in vrbis expugnationem incumbunt: ſed repelluntur ab oppidanis, non ſine magna vtrarumq; cæde.

Tandem occupant Turcæ vrbis munitionem vnam, & quamuis inde quoq; fortiſſimè depulſi eſſent; tamen multitudine ſuperiores, multos cædunt ſtrenuiſſimos milites, ipſumq; Palaſſum Ducem cum alijs nobilibus: atque in oppidum ingreſſi, magnas edunt ſtrages, ipſo quoque Epiſcopo Nicoſienſi interfecto. Ita vt vix relicti ſint ex nobilibus viginti quinque aut triginta, cum paucis è plebe, qui omnes capti ſunt.

Chriſtiani verò, cum venti opportunitate freti, Rhodum cõtenderent, in ipſo itinere certiores fiunt, de capta Nicoſia; Magno itaq; dolore affecti, ſummi totius claſſis Duces, Marcus Antonius Columna, qui Pontificis copijs præerat; Iohannes Andreas Auria, qui Regis Philippi copijs præfectus erat; & Zaneus claſſi vene-

Venetorum imperans; poſt longam delibera-tionem, ob rationes minimè contemnendas, ſibi reuertendum cenſuerũt potius, quàm cum hoſte tanta victoria elato, temerè congrediendum.

Præterea nihil ea tempeſtate memorabile in Belgio geſtum eſt, niſi quod Dux Albanus, tria peditum inſignia militum, qui Valencenis Comitem Ladronium in vincula condiderãt, Antuerpiam reuocat, vbi non multò pòſt, tùm præcipui duces & capitanei militum, equitib. militibuſq; Hiſpanis cinctorum, carcere relaxato comite Ladronio, laqueo ferroq́; ſeditionis dat pœnas.

Circa hæc tempora Anna Auſtriaca, diſcedens in Zelandiam, Vliſsingem relinquens, vento ſecundo, è Belgijs in Hiſpanias nauigat.

Pius V. ſummus pontifex, certior factus de miſerando illo Nicoſiano ſpectaculo atq; conſiderans tantum fundi Chriſtianorum ſanguinem, eorumq́; ditiones ita ſenſim venire in poteſtatem Barbarorũ, cum ſumma ignominia, & detrimento nominis Chriſtiani; ictum fœdus inter ipſum, Philippum Regem Hiſpaniarum, & Venetos renouat, cùm haud obſcurè intelli-

intelligeret ineunte vere Maximum inſtitui bellorum apparatum, à Selymo Turcarum Imperatore, qui inſigni aliqua clade officere terras Venetas in animo habebat. Philippus rex Ioannem Auſtriacum fratrem, qui poſtea etiam Belgij Gubernator fuit, totius expeditionis contra Turcam, ſummum Imperatorem deſignat.

Vndecima Calendas Nouembris Nuptiæ inter Elizabetham Maximiliani Imperatoris filiam, & Carolum IX. Galliæ Regem, ſolemni ac regio apparatu ſancitæ ſunt. Soror Elizabethæ, Anna Auſtriaca, vento ſecundo è Belgijs in Hiſpanias nauigiis appulſa, Burgis è vallo Toleti honorificentiſſimè ſuſcipitur.

Aquarum exuberantia Maxima, & quaſi diluuium in Friſia, Holādia & Zelandia præſertim, alijsq́ue locis per totam inferiorem Germaniam.

Loco decimi & viceſimi denarij, Brabantini conſenſerunt, in ſummam 542000. librarum monetæ Artheſienſis, exoluendam ſpacio duorum annorum. Porrò quomodo eadem ſumma inueniri poſſit, atque exolui, quandam inſtructionem typis excuſam, ediderūt, vt tandem

dem à 10. & 20. nummo contribuendo, liberari poſſent.

Anno 1571. Louenſteiniam Holandiæ arcem quidam Hermanus Reuter occupat., quam vt Hiſpani recuperarent, exercitu adoriri coguntur. 1571.

Sebaſtianus Venerius, poſtquam Nicoſia in Turcarum poteſtatem eſſet redacta, inq; magno periculo verſabatur Famaguſta, à Venetis primarius inſtitutus eſt Cypri Gubernator, vt per eum laborantib. Cypriis, maturè opem ferrent. Sed cùm is ob incommodā valetudinem eò proficiſci non poſſet; Quirinus vir fortis & ſtrenuus, cum 11. triremibus. & 4. nauibus onerariis, quas Veneti Famaguſtæ ſubleuandæ deſtinarant, ad Cyprum peruenit. (26. Iun.)

Quirinus poſtea à Cypro diſcedens quinto die in Cretam reuerſus eſt, vbi ex Senatus Veneti literis comperit, ſe quidem claſſis curatorem eſſe deſignatum, porrò Sebaſtianum Venerium, ſummum totius claſſis Imperatorem eſſe; quemadmodum Ioānes Auſtriacus, Philippi Regis nomine, & M. Antonius Columna ſummi pontificis, claſſium imperatores, vt dictū eſt, conſtituebantur: Miſit & Selymus ſuum Hali Baſſam Cōſtantinopoli, vt in Cypriū conten-

contenderet, quò perrexit ad Calendas Aprilis.

Exhibitus eſt circa hoc tempus, in inferiori Germania Principi Auriaco libellus quidam, Hipodixes continens, liberandæ Belgicæ ab Hiſpanis, qui quidem libellus poſt tres annos deinde typis excuſus atq; editus eſt in Octobri menſe.

Menſe ſequente Turcæ ex decem aggeribus vrbem Famaguſtam, in Cypro Inſula, verberare cœperunt 74. tormentis, in quibus erant 4. immanes Baſiliſci. Qui in vrbe erant, magna induſtria coniectis globis in hæc hoſtium tormenta, è præcipuis 15. perfregerunt, & ad 30. hominum millia intra dies 10. interemerunt.

Initio Iulij venit Ioannes Auſtriacus Genuam, cum 47. triremibus. Biduo antè, Venerius cum Venetorum claſſe Meſſanam appulerat, cui adiunctæ erant 12. Pontificis, & 4. Melitenſium trieres. Turcica verò claſſis contraria, Supportum, Dulcinium, & Antiuariũ occupauit.

Menſe Auguſto Iohannes Auſtriacus Neapolim appulit, vbi ſingulari apparatu exceptus eſt, è Creta quoq; mandato Senatus Veneti,

ueti, iuſſi ſunt Meſſanum contendere, qui illic erant, ſeq́ꝫ cum claſſe fœderatorum coniungere (eò nanq́ꝫ iam Ioannes Auſtriacus quoq́ꝫ peruenerat) atq́ꝫ illic honorificè imprimis exceptus eſt; obuiam ei procedentibus M. Antonio Columna, & Venerio, multoq́ꝫ bombardarum ſtrepitu eum ſalutantibus.

Porro Turcæ ad Corcyram appetentes, inſulam illam nauigijs, & milite propè cinxiſſe videbantur, Tertio Idus Septembr. Turcæ indè recedunt, Pargamq́ꝫ venientibus mandatum a Selymo Imperatore exhibetur, vt capta iam Famaguſta, victoriam perſequantur, omnes vicinas inſulas occupent, nemini parcant, atq́ꝫ ipſam quoq́ꝫ Chriſtianorum claſſem diſſipent. Parent Turcæ imperioſo domino, atq́ꝫ in ſinum Corinthiacum ſe conferunt, vt bis cocto pane, & rebus neceſſarijs inſtructa claſſe Chriſtianos inuadant.

Iannes Auſtriacus poſtquàm ſingulis quid agendum eſſet, quiue progrediendum, præſcripſiſſet, cum ſuis Meſſana ſoluerunt & poſt aliquot dies venêre in Corcyram, vbi cognouerunt, de Turcarum in ea Inſula hoſtili planè animo, deſignatis facinoribus. Inde in Cephaloniam appulêre, ſtatuentes cum feris illis

hoſtibus fortiter confligere, vndè claſſis Chri-ſtianorum Principes, cum ſuis quoq; pergunt eos inuadere.

Non multò pòſt, quam in ſinu Corinthiaco 150. Triremes conſpectæ eſſent, (20. Sept.) & paulò antè Ochiali Baſſa, cum 50. Cōmiſſum eſt (7.17. Octob.) prælium atrox, Turcarum cum Chriſtianis, à meridie ferè ad noctem vſque. In media acie, Ioannes Auſtriacus cū Columna & Venerio, egregiè ſeruato ordine, medio æquè Turcarū agmini occurrerūt. Auſtriacus cum ipſo Hali Baſſa, & duobus aliјs ducibus, ea virtute & fœlicitate congreſſus eſt; vt, tametſi quinq; triremium ferret Impetum, & ter ex ipſa Hali Baſſæ prætoria naui, cùm ad malum vſq; peruaſiſſet, non ſine multa cæde repulſus eſſet: totam tamen nauim illam occuparit, ipſo Baſſa interfecto. Ibi tùm à Chriſtianis proclamata Victoria eſt, nec iam cædendis hoſtibus, ſed colligandis ſpolijsq; diripiendis, operam dabant victores.

Multi ibi capti, & cæſi proceres Turcæ, Ianizari, alijq; milites propè innumeri. Soli illi euaſère, qui mox ab inchoato prælio minoribus nauigijs aufugerunt, in quibus fuit etiam Portauus Baſſa, Fugit tamen etiam Oluzalius

cum

cum multis triremibus, quòd noctis ſeſe ferè intendentibus tenebris, eum perſequendi, facultas erepta eſſet.

Poſt eam tam inſignem victoriam, quam Chriſtiani ex ſæuiſſima Turcarum gente, quatuor horarũ ſpacio retulère, cùm claſſis Chriſtianorum ſingulari ducum induſtria in portum reducta eſſet, incredibilis de repẽtè tempeſtas orta eſt, nullo eorũ detrimento, qui iam in tuto loco eſſent; vbi iam triduò feſtos egère dies, Deo opt: maximo, vti par erat, pro tanta victoria laudes, grateſq; agentes.

Miſſi ſunt Venetias (19. Octob.) & Romam, (21. octob.) qui de hac victoria nuncium perferrẽt. Capta ſunt autẽ Turcarum naues 100. & 30. eæq; omnes omni commeatus genere inſtructiſſimæ, perierunt plùs minùs 80. ad 40. ferè fuga delapſæ ſunt. Præda ſic diſtributa eſt; vt Philippus Catholicus Rex 58. cum dimidio, quibus ſaxa iaciuntur, 128. minora acciperet. Captiui autem ſic diſtributi ſunt, vt Pontifici venerint 81. Philippo Regi 1713. Venetis 1500. & LXXII. De his plura, vide Iohannem Contarenum, qui has res copioſius perſcripſit.

Turris ampliſſima D. Petri Louanij collapſa eſt. Atq; in Anglia mons ſat procul à mari diſſitus, ſuo loco mouetur. In quo quidem mari; poſtquam Geuſii, quos vocant, piraticam exercuiſſent, quaſdã Hollandiæ Inſulas, Schellink, Texaliam, & VVieringam occupant. In ditione Embdenſi (quæ denDam vulgò vocatur) in profeſto omnium ſanctorũ Friſiis orientalibus ſanguinem pluit.

Pridie nonas Decembris, Philippo Hiſpaniarum Regi, ex Anna Imperatoris Maximiliani filia, filius naſcitur: qui poſtea XIIX cal. Ianuar. diuino ſacri pnéumatis rore profuſus eſt, eidemq; inditum nomen Ferdinandus. Hunc è ſacro fonte leuauit VVenſeslaus, reginæ Frater, quem Pater mihi chariſſimus, piæ memoriæ, ſimiliter è ſacro fonte ſuſcepit, die 10. Martij, Anno Chriſti 1561.

Albanus Dux, ob impeditas in Anglia Regias, pro belli vſu, pecunias, omnes in Belgio mercatores Anglos, non iuris, ſed planè hoſtili arreſtatione (nã iniquæ Iberorum ipſos demandabat cuſtodiæ) citra Regis ſui cõſenſum, citra deliberationem Concilij Status, menſe Decembri, funeſto exitu grauat. Varia hinc Belgæ & grauia ſensêre incommoda, & ab eo

tempore Angliæ Regina Auriaci partes, apertius viſa eſt tutari.

Anno 1572. Albano nimia ſecuritate infauſta decimi denarii tributa contra Regis & Concilii Status voluntatem, exigente, Briela, eiuſdem nominis cum inſula in Hollandia opp. à Lummeo Comite ex Anglia cum milite ſoluente, Calendis Aprilis, ſubitò occupatur. deinde Fliſſinga, Enchuſſa, & pleræque aliæ vrbes, atrociſſimis Hiſpanorum offenſæ iniuriis, ab Albano deficiunt.

Nona Aprilis die, Buſſuuinus Comes ingentes Hiſpanorum copias per Roterodamum Hollandiæ oppi. deducens, non ſeruata Ciuibus, quæ ipſis certo erat addicta, fide, Delfshuſen propugnaculum occupat.

Sequenti Maio Ludouicus Comes Naſſouiæ, paucorum fretus auxilio, Hannoniæ montes nihil minus, quam ſimile quidpiam ſuſpicantes, mirabili ſtratagemate inuadit, cuius, vt Albanus impediret conatus, Archiepiſcopi Colonienſis, Comitis ab Iſenburg, qui Epiſcopatum deinde deſeruit: aliorum equitatu adiutus, graui eum obſidione menſe Auguſto cingit.

Moritur hoc Menſe Sigiſmundus Rex

 Poloniæ

Poloniæ, cui poſtea ſucceſſit Henricus Valeſius, Car. 9. Galliarũ Regis frater, qui tamẽ poſtea, audiens fratrem obiiſſe in Galliis, relicto Poloniæ regno, rediit in Franciam, vbi Rex coronatus, etiamnum regnum adminiſtrat.

Ludouicus Comes, ob Galliam Lutetiana cæde turbatam, deletis etiam ab Albano auxiliaribus quorundam Galliæ procerum copiis, fratris etiam Auriaci Principis, qui amplo exercitu prope Duisburgum Cliuiæ oppi. Rheno traiecto, Ruremunda capta, Louanio per deditionem occupata (Mechlinea inuaſa) non ſuccedente conatu, obſeſſam Albano ea conditione vrbem dedidit, vt ipſum Romani Imperii ſolo reſtitueret, cui quidem promiſſioni 26. Septembris ſatis fecit.

Inſequuta deinde prima Octobris, Mechlinenſis vrbis pulcherrimæ, fœda direptio, quæ, quia Auriacum Principem receperat, libidini & direptioni militum, primùm quidem Hiſpanorum, tum Gallorum, demum Germanorum crudeliter exponitur. Quàm multæ tum innocentum ſint cædes patratæ, quam honeſtæ matronæ & virgines pudicæ, Barbara turpitudine violatæ, vt in vtriuſq; ſexus corpora nuda immaniter ab Hiſpanis, pecuniarum

emun-

emungendarum gratia, ſæuitum, anguſta hac narratione comprehendi non poteſt.

Dragonius 20. Octobris vicina VVallonũ Hiſpanorumq́; militũ ſigna, per Vadoſa æſtuaria, ab Aggere pago, in Suiitbeuenlandiam, magna omniũ admiratione traducit. Tergoſam vrbem, graui ab Auriacis obſidione preſſam liberat.

Pari, qua in Mechlineenſes feritate, in munitiſſimum Gelriæ Opp. Zutphaniam, ab Hiſpanico Albani exercitu 16. Nouẽb. ſæuitum. *Subſequitur eiuſdem Nouemb. triceſima die, iniuſtiſſima Nardenſium in Hollandia cædes, contra pacta iusq́; gentium à Friderico Albani filio perfidè ac ſceleratè perpetrata, qua nec ætati nec ſexui parcitum, deletisq́; internecione omnibus, oppidũ in fauillas & cineres redactum.*

Crudeliſſima Nardenſium cæde, ſociorumq́; ſtragibus Hollandorum animi exacerbati, extrema pro ſalute tentare cœperunt.

Anno 1573. Hinc Fridericus tot innocentum ſanguine nobilis, Harlemum non perinde munitum Hollandiæ opp. arctiſſima obſidione cingit.

Infœliciter deinde Albanus, maritimo conflictu cum Fliſſing nis Duce Sancho Dauila Antuerpianæ arcis Præfecto, cõgreditur. Admiralius quippe, aliæq́ naues complures, omni armorum genere ac milite Hiſpano inſtructiſſimæ, in Auriacorum poteſtatem redactæ, 21. Aprilis, Fliſſingam deducuntur.

Hoc menſe horrendum fuit & intempeſtiuum frigus, vt etiam vndæ ad pollicis craſſitudinem vna nocte concreſcerent.

Hiſpani, ob Harlemici maris fauces aliquãdiu occupatas, commeatus viam, obſeſſis intercludentes, in extremas ipſos redegerunt anguſtias, ita, vt poſt grauem & difficillimam ſeptem menſium obſidionem, hoſtium ſe arbitrio, ſpe veniæ, permiſerint, illi autem, incolumitate ciuibus data, vltra duo militũ millia, gladio, aqua, & fame 13. Iulii enecârunt. Incredibile dictu, quantam Harlemenſes ſint famem perpeſſi. Hiſpani namq́, nullum in expugnata vrbe animal viuum, nõ catum, non murem, nullam radicem, nec gramen in terra nullum, in arbore folium inuenerunt.

Eodem anno, quinto Auguſti, Rammecken, munitiſſima VValachiæ arx, non optima Capitanei fide, paulò etiam pòſt Mons San. Gertrudis

trudis in Auriaci Principis poteſtatem deuenit.

Hiſpani milites ob ſtipendiorum ſolutionem diutius prolatam, cõtra Albanum Ducem tumultuari cœperunt.

Fridericus Albani filius, menſe Septembri Alcmariam, Hollandiæ oppid. obſidione cinctum, grauiterq́; oppugnatum, non ſine probro deſeruit.

Ambſterdami, Albanus inſignẽ nauium apparatum, Buſſuuio Comite, duce, adornat, atque in Enckhuſanos emittit, infeliciter nouus hic belli ductor cum aquaticis pugnat, qui præclara potiuntur victoria, nauium maximam partem, cum Comite captam, Hornam, vndecimo Octobris die, deducunt.

Albanus vniuerſum Belgium, quod pacatum & quietum inuenerat, perturbatum relinquẽs, cum ingenti præda in Hiſpaniam inglorius, menſe Decembri reuertitur.

Anno 1574. Poſt eius verò diſceſſum Belgicis Prouincijs, Ludouicus Requeſenius, Magiſter Generalis ordinis S. Iacobi, ex familia Ducum de Ceſa, à Rege Gubernator præficitur. Is, primo præfecturæ ingreſſu, malis auib. pugnat. Middelburgum namq́; Zelandiæ caput,

ab Auriacis obſeſſum, liberare conatus, Hiſpanos VValloneſq́ꝫ nauales ſocios iuxta portum Bergenſem, vicinus conflictui, ſuperari capique videns, mœſtus, 27. Ianuarij, Antuerpiam venit.

Middelburgenſes poſt grauem longámque obſidionem atq́ꝫ inediam Mondragonio vrbis & Zelandiæ Gubernatore, Auriacis, nona Februarijſe dedunt.

Requeſenius 5. Aprilis, nouam omnium admiſſorum veniam, Bruxellæ ſolenniter, conuocatis Ordinibus promulgat.

Decimo quarto eiuſdem menſis die, Auxiliares copiæ, quæ Auriaci vires nitebantur firmare, in Ericeto Mokẽſi, vulgò auff der Mocker Heyden / *ab Hiſpanis fuſæ ſunt, & diſſipatæ, præcipui exercitus Duces, Ludouicus & Henricus Naſſouij Comites, & Chriſtophorus Palatinus, nec inter viuos nec mortuos repti.*

Mox ſeditioſus Hiſpanus miles, Antuerpiam, præter arcem ingreſſus, ingentem pecuniæ vim à Ciuib. extorquet, ſacra prophanis, militari inſolentia miſcet, maximis ſumptib. Ciues exagitat, & vrbis Gubernatorem, Dominum Champani, cum Gallico milite, vrbe excedere cogit.

Lugdunum Batauorum; vulgò Leiden/ *diuturna obſidione grauiter afflictum, & molib. ac propugnaculis validis cum Hiſpanico milite paſſim cinctum, Auriaci, tertio Octobris die, duce Boſſotto, maris æſtu iuuante, cum 60. Galeis annona recreant, quos, cum hoſtes, præciſa Hiſpanorum, quos velitationibus in itinere ceperant, capita, in malis ſuffixa geſtantes, forti conſtantiáq; animo aduentare viderent, priora bina propugnacula, Ponte cõiuncta, vi ab his expugnata exiſtimantes, obſidionem ſoluunt, & ignobili fuga, per medias vndas, dilabuntur.*

Bruxellæ incendio correpta eſt, cum ingenti fragore, mola pulueris tormentarÿ, turríſque ei vicina, in qua repoſiti erant 50. vaſcula puluere illo repleta, cuius vi turris illa, & coadiuncta mœnia ad 20. cubitus ex fundamentis deiecta, ſubtractis in aëra ſaxis & lapidib. & procul ab vrbe decidentib. diuerſis locis, vir & equus oppreſſi. In vrbe & extra vrbem, maximo illo impetu plurimorum ædificiorum tecta, vna cũ fumi receptaculis, quæ ſupra ædium culmina attollũtur quaſſa & diuulſa, feneſtræ vno quaſi momento diſiectæ, homines 15. interierunt: idq́; factũ 24. Maÿ.

Menſe

Menſe Octob. Lugdunum Batauorum, ab Hiſpanis Antuerpia redeuntib. diuturna denuo obſidione grauiter afflictum, & molib. ac propugnaculis validis vndiq; cinctum, Auriaci milites Duce Carolo Boiſoto maris æſtu iuuante, cum 60. Galeis annona recreant, reb. aliâs propemodum deſperatis. Hinc eſt, quod Hiſpani Gorcomium & Bomelium aggreſſuri, inde obſidionem ſoluunt. Moritur poſt Carolum regem, pactis in Francia inducijs, Carolorus quoq; Cardinalis Lotharingicus, 23. Decembr.

Anno 1575. Aquæ Veteres, octaua Auguſti, ab Hiſpanis Præfecto D. de Heers, Generali exercitus duce, expugnantur, incoliſq;, nullo delectu habito, vniuerſis internecione deletis, duodecimo eiuſdem Menſis die, Schœnhouiam in deditionem accipiunt, octaua deinde Septemb. VVerdam quidem arcta obſidione Hiſpani premunt, ſed eandem paulò poſt ſoluunt.

Sequuntur Articuli, ſeu pacis, inter Philippum Hiſpaniarum Regem, & Hollandiæ Zelandiæ confœderatos conciliandæ, capita decem, Auriaco Principi per Metellum Furij Cariolani nomine tranſmiſſa:

Primum,

I.

Primum, vt ad pacem faciendam ſint ita omnes animati vtraq; ex parte, ne quicquam ipſi vllo modo quàm pacem quærant & promoueant, ne ergo rebus priuatis ipſi magis quã publicis ſtudeant.

II.

Vt diligenter omnes expendant: dum inter ſe Chriſtiani Principes cum populis ſuis bella gerunt: eoſdem ipſos Principes & populos vnà cum Religione & fortunis, planè perire. Nobis igitur periculum inſtare præ foribus; quale Africam, Palæſtinam, Aſiam minorem, Græciam, & Pannoniam vaſtauit, niſi nos ei, facta animorum & armorum coniunctione, maturè re ipſa occurrere velimus, dum poſſumus.

III.

Vt ſalus & quies publica vtrique parti præ oculis ſit. Neutra itaq; ſummum ius conſectetur. Præcipuè verò hoc intereſſe ad Principis Auriaci, qui ſolo vulgi fauore nititur, fortunas, gloriam, otium, & tranquillitatem.

IIII.

Vtrinque fiat reſtitutio in integrum. Rex videlicet omnes in gratiam reſtituat non in bona

bona ſolùm: ſed etiam in nomen & honores. Hi verò reſtituti, viciſſim Regem, & in poſſeſſionem veterem, & in ſolitam reuerentiam, & in obedientiam debitam, reſtituant.

V.

Vt promiſſa, pactaq́ conuenta, & fides data, inuiolabiliter vtrinque ſeruentur. Quòd ſi Regem arctius pactis conuentis & tranſactionibus aſtringi neceſſe videbitur: ijs conuentionibus; illi Hiſpaniarum Principes Ordinis nimirum tam ſacri, quam prophani, vnà cum Rege, ex veteri gentis etiam cum Africanis more ſubſcribant. Volente porrò Rege, ijſdem Germaniæ Principes ſubſcribant. Aliquot denique oppida de primoribus Belgarum ſub certis legibus & condicionibus vnà quoq; cum Rege ſubſcribant. Tribus iſtis vinculis pacta neceſſariò firma fore.

VI.

Vt cùm tres ſint inter cæteras primorum & ſecundorum motuum cauſæ præcipuæ: Suſpicio inprimis de noua inquiſitione inſtituenda; deinde Regium mandatum de ſeuera executione Edictorũ de Religione, Caroli Quinti Imperatoris & Philippi filij, ab Anno 1521. vſque ad Annum 1560. & poſtremò imperata De-

ta De-

tæ Decimæ: ne ſcilicet inquiſitio (nec enim inſtituta eſt) vlla ſit; ne quoq; Decimæ. Edictōrum verò moderatio excogitetur, & fiat de communi omnium ordinum conſenſu, conſilio, atq; ſententia: Iis autem, qui huiuſmodi de Religione conditionibus contenti non erūt, optio detur, nimirum: vt ſe Catholicæ Religioni reconcilient: vel aliò (quemadmodum in Imperio ſubiectis prouinciis ac locis lege de Pace in Religione lata præſcribitur) habitatum concedant, extra quidem Regiam ditionem: ſalua tamen ipſis re familiari: Quam ad fructus indè percipiendos, ipſi vendere, aut aliis locare poſſint.

VII.

Vt externus miles licet nullum damnum; ſi ſtandum quæ dixi pactis conuentis ex fide certa ſit; Belgis inferat: tamen, ſi volent exauctoretur, & Belgio eiiciatur. Ita quidem vt ipſi etiam Regi dēt firmam & omni maiorem exceptione cautionem, de nihil moliendo aut tentanda, quo par ſit & aqua vtraq; cautio & ſecuritas.

VIII.

Vt demiſſe & ſuppliciter cum Rege, vti decet agant, literas verò ad eum Auriacus Prin-

ceps

ceps de pace ſed modeſtia præſtantes exaret. Magni enim momẽti eas ad reconciliationem fore.

IX.

Vt unà aliæ literæ ſcribantur ad Meliti Principem Franciuillæ Ducem, & ad Comitem Chinchonium quo loco intercedant apud Regem pro cauſa cognoſcenda; & adhibendo remedio omnibus adcommodato, tuto, ſtabili, ac firmo. Hi enim Regis ſunt præcipui Conſiliarij rerum Status, & vtrique iunctus eſt adfinitate Princeps Auriacus. Nam Princeps Meliti, eſt patruelis Menciæ Mendociæ Marchionis Zenetenſis, quæ fuit vxor Henrici Comitis Naſſouij, & Chinchonij vxor, eſt ſoror antedicti Principis.

X.

Vt ad Regem atque ducem & Comitem literæ; ac porrò vltima de his quæ ſincerè ſtatui, bonaq. fide tractari queant, ſententia; Furio tradantur. Sententia quidem vltima, nempè de fide & ſecuritate, de Religione & de externo milite. Nec petantur quoad fieri poterit, inania, ſuperflua aut impertinentia. Furium per veredarios equos in Hiſpaniam quàm celerrimè profecturum, ipſum intra trimeſtre,

quæ

qua eſt opinione in aula apud gratioſos, ſe effe- ctur um polliceri: vt omnia ad arbitrium ſententiam & votum vtriuſq; partis; Deo dante componantur & ſuis expenſis procuraturum, facturum.

Hanc Pacis conſtituendæ rationem vbi Auriacus Princeps & ei adiunctas Ioannis Metelli Sequani literas perlegiſſet, & cùm ſuis & ordinum Hollandiæ & Zelandiæ Conſiliarijs communicaſſet, quòd aliquot antè diebus conuentus ad pacem per Cæſarianos legatos conficiendam diſſolutus eſſet, ea de re ſupraſcripto Metello per Bruningium Secretarium litteris ſexta Maij menſis præteriti datis, in hanc ſententiam reſpondit. Quæ nimirùm in pacis formula proponantur: maximè deſeruandis promiſſis cautiones: in qua re negotij cardo vertitur: ea non ita poſſe prudenti viro videri tuta, quin Pontifex Romanus, ſi non ſeruentur, vltrò diſpenſare ſoleat, & violatores abſoluere. Hæretico enim, inquit, non eſſe ſeruandam fidem. Qua ex diffidentia, tùm quòd tarde nimis miſſa hæc formula fuiſſet; euenit. vt proiecta vndiq; meliori ſpe, ipſe certum licet anceps, bellum incertæ paci præferendum duxerit: Seque totum ad eius adminiſtrandi 17. Sept.

gerendiq; conſilia conuerterit, eoq; magis id arſerit vtrinq; quemadmodum ex ijs quæ infrà ſuis quæq; locis narrabuntur, facilè videri poteſt.

16. Sep. Alenconius per occaſionẽ offenſionis & ſimultatis cùm rege excedit aula Lutetiæ, Druydum ſuæ ditionis oppidum magna celeritate venit, & à ſuis recipitur. Poſtridiè ſcriptum edit, quo diſceſſus ſui cauſas & omne conſilium ſuum luculenter exponit. Eodem die Rex ſumma celeritate omnes prouinciarum præfectos de illo fratris diſceſſu fecit certiores, factum eſſe (inquiens) profligatorum quorundam hominum nefario conſilio, vt à ſe diſceſſerit, comprehenderent eum ſi fieri poſſet.

Chriſtophorus Mondragonius exercitus Regij ductor, per S. Annæ ac Philippi Inſulas in Duuelandiam, ſingulari omnium cum admiratione, traducto per vada exercitu, Bommenæam arcem fortiſſimo aſſultu aggrediens expugnat.

Articuli Pacificatorij Maximiliani Imperatoris nomine Belgio propoſiti per Comitem Schuuartzenburgium. primùm hæc, in Pacificationis negotio, proponuntur, nempè: Quæ hactenus inter Sereniſſimum Regem Hiſpaniarum, & Principem Auriacum, aliquot ex nobili-

nobilitate, hisq; coniunctas ciuitates Belgicas, natæ ſunt ſimultates atq; offenſiones, Imperatori Romanorum Maximiliano, maiorem moleſtiam & dolorem attulerunt, quòd, quæ ſecutæ ſunt perturbationes & calamitates, non ſolum Belgis: ſed etiam Germanis & Romano Imperio ſubiectis ordinibus, exitium minari videntur, maioreſq; occaſiones, malorum, niſi incendium hoc maturè reſtinguatur, extimeſcendæ ſunt.

Quare Cæſarea Maieſtas, in hunc finem omnes cogitationes & cõſilia dirigere ſtatuit, quomodo optatũ ociũ, toti Prouinciæ Belgicæ, et his maritimis locis, recuperari poſſit. Eamq; ob cauſam nuper, quendã præcipuæ authoritatis virũ (intellige VVolfgangum Rumpſium) Regis Hungariæ filii Cæſaris ſupremum Cubiculariũ, in Hiſpaniã ablegauit, qui procul dubio, nunc Legatione ſua, apud Philippũ Regem perfunctus egregiam operam hoc in negotio nauauit. Quamobrem etiam Cæſarea Maieſtas Illuſtri & Generoſo Comiti Gunthero, ex ordine quatuor comitũ, Romani Imperij, comiti in Schuuartzenburg, etc. Conſiliario ſuo iniunxit, vt is, quib. conditionibus pax iterum coaleſcere poſſit, prouideat.

Cũ igitur Comes, in his vt in aliis, Cæſareæ

Maieſtati ſeſe deuinctum, & obſequentē profiteatur; moremque ei gerere paratus ſit. Et præterea Illuſtriſsimo Principi Auriaco, aliiſq; nobilibus, & coniunctis ordinibus optimè velit, tum ob affinitatem & amicitiam, quæ ipſi cum Principe Guilielmo, & quibusdam ex nobilitate intercedit, tum, quòd Prouincæ Belgicæ beneuolentiam ergà ſe, multis abhinc annis, non ſemel expertus eſt, hanc profectionem eò libentius ſuſcepit, nec aſperrimæ hyemis, longiq; itineris moleſtias, huic tàm neceſſario propoſito, vllum impedimentum adferre paſſus eſt.

Ideoque Principem Auriacum, Nobiles, & reliquos Ordines, vehementer orat, vt Cæſaris præclaram voluntatem diligenter expendant, ad pacē et concordiam reſpiciant, ſeque in rebus honeſtis & licitis morigeros & obedientes præbeant. Quod ſi inter ipſos de Conditionibus tractandæ pacis conuenerit; Inſtat prædictus Comes, vt duò vel plures, ex omni numero deligantur, qui acceptis ſufficientibus mandatis, ſecùm ad Cæſarem contendant, & condiciones pacis tolerabiles, & æquitati conſentaneas proponant. Hisque delectis, Comes Guntherus Saluumductum & reductum

ctum ex Imperiali reſcripto ſpondet ac pollicetur. Neq; enim vllum laborem ſtudiumq; ad hanc cauſam fœliciter perficiendam, eſt intermiſſurus.

Anno 1576. Requeſennius per S. Annæ ac Philippi Inſulas, in Duuelandiã exercitu per vada noctu traducto, Bomæneam arcem 28. Septembris expugnat, Zirizeam obſidet.

Auriacus Princeps 21. Februarij, propugnaculum quoddam Crimponiam, in ſuam rurſus poteſtatem recepit.

Durante adhuc Zirizeana obſidione, Requeſennius Belgiæ Gubernator, ardentiſſima febri, 5. Martij Bruxellæ moritur.

Tum Belgicæ Reipub. ſumma ad delectos Cõcilij Status Proceres, in forma prouiſionis, à Regia Maieſtate defertur, donec Ioã. Auſtriacus mitteretur. Interim per Edictum in Belgio omnibus, qui legitimè nati non fuiſſent, vbiq; officia adimuntur.

Quod dum fit, & Zirizea in Iberorum poteſtatem deuenit, ſtatim vniuerſa Brabantia, importuna Hiſpanorum militum ſeditione, nouis inuoluitur turbis, qui deſertis in Zelandia ſtationibus, non ſolutorum ſtipendiorum prætextu, Regiæ Bruxellanæ vrbi imminere

cœperunt animaduerſo verò reſiſtendi, vimq́ repellendi propoſito, in Aloſtanos ſub finem Iulii deflectentes oppidum violenter inuadunt, diripiunt, & dira quæq; hoſtiliter facinoribus hiſce iungentes, rem eò perducunt, vt decreto Regii Concilii Status rebelles, hoſtesq́; publici, declarari meruerint.

Illico varia & multa quæſita ſunt à prudentibus viris remedia, quibus funeſti Hiſpanorum ſedarentur tumultus, ſed fruſtra ſunt omnes ſuſcepti labores. Interea verò Rex ex Hiſpania denuntiat, Ioannem Auſtriacum, naturalem ſuum fratrẽ, Belgicis Prouinciis Gubernatorem ſe præfecturum.

Cæterùm, extrema & intolerabili Hiſpanorum inſolentia Brabantinorum animi grauiter offenſi & exacerbati, dum pro tutela & defenſione ſui, ad horum propulſandas iniurias, arma ſumendi, Duce domino de Hees poteſtatem haberent, præcipuos Conciliј Status Proceres, horum tumultuum mitigandorum gratia in Concilio congregatos, violenta manu capiunt, & in carceres Bruxellæ deducunt.

Quemadmodum autem Ordines in vniuerſum omnes, Brabantinorũ contra truculentam Hiſpanorum petulantiam, conatus &

arma

arma probarunt, ita Heſii in Conſiliarios Regios, factum, vehementer improbarunt.

Hiſpani interim, Regio decreto nihil repreſſi, quemadmodũ nec Deputatorum, qui Concilii nomine cum ipſis tranſigerẽt, deliberationibus mitigati, Traiectũ ad Moſam 20. Octobris violenter inuadunt, ac ingenti ciuium cæde ibidem perpetrata, in omnium fortunas, effrenata licentia inuolant.

Eodem Octobri menſe Belgicarum Prouinciarum Deputati, Gandauum in Flandria, de pace cũ Hollandis & Zelãdis acturi, cõueniũt.

Interea verò temporis, dum Ordines de reducenda Antuerpia, & milite Hiſpano eiiciendo, aut ſaltem in arcem cogendo deliberant, quemadmodum & factitatum, Duce domino de Champani vrbis Gubernatore, & Eberſteinio Comite, Coronello Præſidiario, Ecce, quarto Nouembris Hiſpani in Antuerpianam vrbẽ ordinum præſidio pridie firmatam, Emporium non ſolùm Germaniæ, ſed totius Europæ celeberrimum, mœniorum ſolatio deſtitutam, ex arce conglobato agmine erumpunt, barbara immanitate in præſidiarios, in ciues, in matronas & virgines debacchantur, & ſæuiunt, præſtantiſſima vrbis ædificia, atq; adeo

 præto-

prætorianam illam domum igni deformant ciuium & extarorum Mercatorum bona, qui bus elapſo decennio nihil cum inteſtinis hiſc diſſidijs vnquã commune fuit, diripiunt, ſpo liant, & tam ingentem ſtragem hominm per petrant, vt certò obſeruatum ſit, cæſa eo die a nouem millia hominum quingentos, quatuo millia, inter quos etiam Eberſteinius Comes ſubmerſa.

Eodem die, quo Antuerpia Hiſpanorum d formatur furoribus, Auſtriacus Lutzenbur gũ, Belgicã gubernationẽ accepturus aduẽtat

Interea Auriaci Scripto Regio pacificatori peremptoriè reſpondent.

Nos Gulielmus Dei Gratia Princeps Auri acus, Comes à Naſſau etc. Nobiles & Equite Comitatus Hollandiæ, Conſules, Senatores Conſiliarij, Tribuni, ordines & Decemuir plebis Ciuitatum, Dordraci, Delphorum, Ley dæ, Goudæ, Roterodam, Gorcham, Schedam Brielij, Schonhouij, VVoordæ, Oude vvater Gertrudisbergæ, Bomelij & Buræ, diu matu req́; omnia perſpeximus, quæ ad hunc vſque diem Bredæ, frequenti colloquio, de ſedandi præſentium bellorum tumultibus, inter Re giæ Maieſtatis, nec non noſtris ordinum Hol-

landiæ

landiæ & Zelandiæ, Ciuitatum Bomelij & Buræ, confœderatorúmque delegatòs tractata, tum præſertim ea, quæ ſcripto vtrinque ad primum, & ad quintum huius menſis exhibita fuerunt.

Quæ quidem eò vel maximè ſpectabant, vt patefacta voluntate tum noſtra, tum ordinum, ac ciuitatum confœderatarum præfatarum, intelligi cognoſciq́; poſſit, an ea, quæ Regio nomine oblata ſunt, hac tam præſenti opportunitate, nō amplectenda potius, quam leuiter ac diſſimulanter reijciēda exiſtimemus; præſertim cùm huiuſmodi ſint, vt non immeritò penitius expendenda videantur. Et quidem ob id, quod tam ad ea quæ initio ab ordinibus propoſita, quam quæ ab ijſdem ad hæc ipſa, quæ nunc offerūtur, reſponſa erant, haud obſcuram mentis Regiæ ſignificationem contineant. Atque vt ad vltimo ſcripta (etſi peculiarius nihil videantur adferre) punctim abſolutiúſque, quam quæ per præcedentia, in quibus fortaſſe vel non animaduerſum, vel non luculenter ſatis explicatum cerni poteſt, reſpondeatur.

Primo quidem referimus nos ad ea, quæ principalis ordinum Supplex libellus complectitur,

ſtitur, tum ad cætera omnia, quæ deinceps ſupra commemorato colloquio ipſorum nomine, in medium adducta ſunt, atq; in alijs omnino perſiſtimus, vtpote, quæ oppido ac ſatis exactè, per eas potiſſimum rationes, quas pro ſua defenſione ſcripto ad 22. Martij præteriti attulerunt, non modo declarent, quid ipſi ex intimo animi conſilio, & putent, & petant, at etiam quanto deſiderij æſtu, tam prouehendis Regiæ Maieſtatis rationibus, quam procurando communis patriæ beneficio moueantur. Quod ita ſit, omnium qui cauſæ huius non affectati iudices futuri ſint, iudicio conſtabit, nuſquam videlicet nos, vel inſolenti vel ingrata oratione, ea quæ Regio nomine proponebãtur excepiſſe, aut eadem vllo modo ſpreuiſſe, contumeliiſue potius quam decenti reuerentia erga eandem Maieſtatem vſos fuiſſe, verùm ad hũc omnino ſcopum referri, vt refutatis aliquot argumentis, quibus oblata illa Regia inuoluta videbantur, non tam eadem reijciendi animo, quam vt nuda verborum ſimplicitate, omnem fallaciam anteuerteremus, mentemq; noſtram, & ordinum aperiremus.

Nam quod ad primũ attinet, præclarus deſi-

derati

derati otij, pacis, neceſsitudiniſq́; aditus ſternitur, ſi mox extraneum militem, tam Hiſpanicæ quam alterius gẽtis Regia Maieſtas, in quo rationibus adducta noſtris, ordinumq́; conuenire videtur, dimiſerit. Etenim neminem ignorare volumus, nos cum finitimis ciuitatibus ac prouincijs, ita à controuerſiis eſſe vacuas, vt hac minimè cauſa, arma mouerimus, aut etiam nũc gerimus, nec vlla in poſterum arripere meditemur. Sed horũ quæ geſsimus gerimuſq́;, extraneorum, & qui ſe his adiunxerunt faſtus, intolerandæq́; dominantiæ cupiditas cauſam præbuerint.

Adeo quidem & horum diſceſsione, abſcntiáque (quod Regio Edicto fieri debet) facilè totius Regionis huius, adiacentiúmque commodo, pax, otium, commercia, cæteraq́; omnia paſsim Regis authoritate & Maieſtate illæſa coaleſcent. Et hinc quidem manifeſtiſsimè colligi poteſt, quamdiu cum extraneis militibus Hiſpani ditionibus Belgicis non exceſſerint, ad primum ſupplicis libelli noſtri caput minimè fieri ſatis, ſiquidẽ ijs præſentib. nunquam ſecuritas inuehi, aut pax vlla procurari poteſt.

Quod ad alterũ caput attinet, in quo de generali

nerali ordinum omnium cœtu conuocando oratio inſtituitur, crebrè iã antea à nobis, quæ ratione ac via ea commodè fieri poßint, declaratum eſt, & per legatos noſtros abundè etiam iſthic renunciatum; nimirum nos nulla alia ratione ab ijs vnquam diuulſos, alienóſue videri, quam Hiſpanorum præſentia, qui cuncta violenter diſcordijs commiſcere non deſinũt. Quamobrem generali ordinum cõuentu (abſentibus Hiſpanis) ad eam quam diximus formam prædicto, facilè conueniet inter eos, quibus rationibus pax firma, priuilegia, conſuetudines, E. A. vita, iura, quaſi poſtliminio reſtitui, exacta deniq; politia inſtitui poterit.

Nam quod ad nos ſpectat, offerimus coram ordinibus, contentionis huius noſtræ cauſam, paulò altius repetere, ac cum ipſis non vt ignaris, ſed omnium ſtatus noſtri gnaris cenſorib. æquis & illis quidem cõditionibus agere, quas Maieſtas ſua nobis proponendas non abnuit, adeò vt omnia in meliorem redigi poſſe ordinem ſperandum ſit non ineptis rationibus, nõ modo Hiſpanicæ inquiſitioni, ſed etiam crudelibus, inhumanis impijſq; edictis, quæ circa Religionem hiſce in regionibus, ante aliquot

annos emanata, ac poſtmodum etiam renouata fuerunt, reſtiterimus. Nequaquam tamen hoc animo, quaſi nunc vel vnquã antea, Maieſtatem Regiam alióſue quoſcunque Romanæ Eccleſiæ deditos, à ſua Religione, vi auertere voluerimus; præſertim cùm fides aliud non ſit, quam donum Dei ſpiritus ſancti virtute, ac diuini verbi preconio, mentibus noſtris inſtillatum.

Hiſce ne diſſimulanter addimus, nobis haud conſentaneum videri (poſtquam nunc reformatum Euangelij, verúmque Catholicæ & Apoſtolicæ Religionis dogma ſuſcepimus, in eoque profecerimus) ſolitas ſedes & patria arua vertere: cùm ne hoc quidem contingere poſſit citra ſummam totius Belgij perniciem. Nam modicam Maieſtatis authoritatis, dominiorúmque Regiorum diminutionem, ac ſeruitutum, quas à ſubditis præſtari par eſt iacturam.

Quod verò ad rationes ſpectat, quibus nobis ad cautelam eorum quæ offeruntur, tam hic vltimò, quam ſuperioribus ſcriptis proponitur. Regem, præterea Maieſtatẽ Cæſaream, alióſque Regiæ proſapiæ Principes, gratam, ratam ordinum conuocationem habituros, innuitur

nuitur quidem, nobis putari hinc fieri ſatis. Et tamen cum nunc iubemur, alias proponere ac petere conditiones, nũc iteratiue nobis proponitur ob firmatum Regis animum, nolle ſe aliã præter Religionem Romanam in ſuis Prouincijs Belgicis ferre. velle autem patrio ſolo excedere eos, qui Religioni alteri ſunt addicti, pugnare hæc inuicem videntur, adeoq; nihil reſponderi.

Tum etiam quod Maieſtatis Cæſareæ, multorumq; aliorum ſuffragia claros illos heroes, Egmondanum, Hornanum, Montignium, ac pleroſq; alios, tantopere ſemper domi foriſq;, non mediocri priuatarum fortunarum iactura, de Maieſtatis ſuæ laudatiſſimis progenitoribus meritos ab enormi cæde nunquam vindicari potuerunt.

Accidit eiuſdem Maieſtatis Cæſareæ contemptus, paruumq; authoritatis ſuæ momentum, quod non pridem ſcripto ad 4. April. exhibito ſatis appareat, nimirũ cuius preces, ne tantum quidem promeruerunt, vt per illas aliquot nobilib. quos hinc ad ſe proficiſci cupiebat, per regias ditiones tranſitum impetrarit. potiſſimum etiam quod Rex ipſe excipiendis ſubditorum querimonijs coram non adſit, ſed

ſi quid

ſi quid huiuſmodi eſt, id omne ex eorum ore hauriat, qui ad Maieſtatis ſuæ honorem exiſtimationemq́, tum regionum harum vtilitatē præſtare haud parum candide apparēt. Quod vel in hac ſedādorum tumultuum actione, luce clarius apparet, vtpote in qua perinde nobiſcum, atq́ cum manifeſtis Maieſtatis ſuæ hoſtibus inſtituta communicatio videtur; imò ac ſi res cum inſtitutoribus ageretur. Cum tamen Regium ſit, ea quæ ex populi ſui vtilitate, commodo, ac ſalute eſſe iudicabit, promptè, liberaliterq́, vltrò conferre, vel ſi quod demum remotius à rationis ſcripto poſitū videbitur, idipſum poſſe denegare.

Quibus per ea, quæ in præcedētibus reſcriptis noſtro nomine deducta ſunt, Maieſtatis Regiæ Cōmiſſariis ſatis de noſtra mente factum eſſe debet. Idcirco latior circa hoc argumentū euagatio fieri non debet, quemadmodū nec ad ea, quæ à Maieſtate ſua oblata ſunt, copioſius reſponderi; niſi quantum ad id attinet, quod ſcire de confœderatis noſtris deſideratur, & quos ſub illis comprehenderimus, adhucq́ cōprehendimus. Ad hæc autē dicimus; hos nobis fuiſſe & eſſe fœdere iunctos, qui, quorúmque parentes, per quæcunque ſuæ Maie-

ſtatis

ſtatis loca, horũ tumultuum cauſa, vel capit plexi, vel exilio damnati fuerunt, quorum quidem nos famæ, bonorumq́ reſtitutionem & præterea eorum omnium, qui nobis hoc bello ſuam operam impartiti ſunt, hac in paci actione comprehenſos volumus.

Noſtrum autem hoc reſponſum, ac animi deliberationem, in meliorem partem accipi deſideramus, & vt hinc cuiquam mortalium non ſubeat cogitare, nos non vt par eſt Regiæ Maieſtati, patriæq́ communis commodo affectos eſſe. Ac proinde ſi quid horum cauſa in nos armis conuerſis geritur, ac ſecus quam ex re eorum ſit, acciderit; Proteſtamur idipſum nobis neutiquam imputari oportere. Sed illis, qui iuſtis legitimiſq́ noſtris petitionib. remoram iniiciunt.

Nona Nouembris die arx Gandauenſis à ciuibus capta, præſidiarij Hiſpani incolumes dimiſſi.

Valenceni Germani & Hiſpani milites ob tacitam conſpirationem pro Belgij libertate aſſerenda, 10. Nouemb. vrbe pelluntur.

Viceſima quinta poſt eiuſdem menſis die Robleſius Groningæ præfectus cum Capitaneis à ſuis militibus capitur, cum Zutphanico quodam,

quodam, qui cuculla monachũ mentitus erat, atque in vincula conijcitur.

Anno 1577. Ianuario menſe, iuxta Iuppiliam pagum, haud procul ab vrbe Leodina, loco accliui, Scoti, Ordinũ milites, Iberos cædunt, & in fugam conuertunt.

Vltraiectini Pacis caſtrum tam arcta obſidione premunt, vt Hiſpanicum præſidium vel inuitũ, idipſum 11. Februarij cogatur deſerere.

Pax, quæ aduentante Auſtriaco, cum Ordinibus Marchæ in Famina coaluerat, 19. Februarij Bruxellæ promulgatur.

Hiſpani, iuxta pacis conditiones 20. Martii, vrbe Antuerpiana, quemadmodum & 27. Aprilis, Traiecto ad Moſam, incredibili præda onuſti, excedunt.

Auſtriacus, Gubernationem Belgicam aſſumpturus, prima Maii Bruxellas ingreſſus, maxima & alacri ciuium congratulatione excipitur.

Inde Mechlineam cum Germanorum militum Tribunis tranſacturus, ſe recipit: Tum Namurcum Duciſſam Vindonenſem excepturus, vniuerſa comitante Curia proficiſcitur, ac tandem 24. Iulii arcem ipſam defenſionis

ſuæ cauſa ingreditur, nam multas ſibi inſidias poſitas eſſe dicebat. Vnde ſumma vtrinq; diffidentia orta maximi belli eſt ſumptum initium. Quod quidē capta belua marina, plerique portendi exiſtimarunt.

Altera namq; Iulij infra pagos Hafften & Safftingen prope Antuerpiā in Scaldi flumine deprehenſus eſt piſcis, propter aquam moli ſuæ non ſatis profundam, in vado hærens, longus pedes 58. altus pedes 16. & digitos tres, ac pòſt Nouembri menſe, in Hollandia plures eiuſdem generis viſæ captæq; ſunt beluæ. Refert Faſciculus temporū paulò ante, quàm crudele Gallorū præſidium ex Sicilia eijceretur, captā eſſe marinam beluam Leoni perſimilem. In Suetia ſimiliter ante diuturnum illud bellum cum Dano & confœderatis Lubecenſibus contra Suecum, viſendæ magnitudinis piſcem à nautis interceptum certò perhibetur.

Terlonius Arcis Antuerpianæ, cum Boerſio, ordinum nomine, præfectus, ob fluxam ſuſpectamq; fidem, & frequentem per literas cum Auſtriaco communicationem à Boerſio captus eiuſq; miles ex arce, prima Auguſti, exturbatus, ad Carolum Fuggerum atq; Fruindſpergiū, vrbis præſidiarios & coronellos, ꝓfugit.

Proxi-

Proxime ſequenti die, Fuggerus & Fruindſpergius, eo ipſo temporis puncto, quando ingens ipſis à Senatu Antuerpiano parabatur pecunia, anili metu perculſi, quippe Auriacarum nauium vmbra perterriti, fœdè turpiterq́; ex vrbe, Bredam alter, alter Bergizomium profugiunt, vtrobiq́; minimè germanam ſuorum militum (à quibus capiuntur atq́; tra duntur) fidem experti.

Boerſius 28. Auguſti, Gallicū ex arce præſidium deducens, , ciuibus Antuerpienſibus eam committit, qui Hiſpanicæ, ex ea perpetratæ tyrānidis, bene memores, qua parte vrbi iam porrò obeſſe poterat, 28. Auguſti demoliuntur.

Auriacus Princeps 18. Septembris Antuerpiæ, Bruxellæ, vero 28. menſis eiuſdem die á ciuibus maxima omnium lætitia hònorificè introducitur.

Gandaui ciues, vt ſuppreſſa priuilegia recuperarent, contra Gubernatorem Arſchotanum ducem à Statibus ad Flandriæ Gubernationem conſtitutum, inſurgunt, magniq́; nominis viros, 28. Octob. capiunt. Hos autem motus, Auſtriaco principi, vt ſedaret, aduētāti, aureū cor apertū, cui ſinceritas inſcriptum erat, à virgine ciuitatis nomine, magno ciuiū

 applau-

applauſu offertur. Qui cùm inde, rebus ſopitis, diſcederet, ipſe quoq; ciuibus, qui eum Antuerpiam vſq; armati deduxerant, cor apertũ ex pomis Auriacis, ſingulari arte confectum, exhibet.

Sereniſsimus Archidux Auſtriæ Matthias à Statibus euocatus Antuerpiam, nouus mox Belgii Gubernator inaugurandus, 11. Nouembris ingreditur.

Hellingius ordinum Tribunus dum Amſterodamum, primariam Hollandiæ vrbem miro ſtratagemate ingreditur, trucidatur, eiusq; miles à ciuibus repellitur.

Anno 1578. Ianuario menſe die 7. Auriacus à Statib. Bruxellæ congregatis in locũ tenentẽ, vt vocãt, Archiducis Matthiæ aſſumitur.

18. Ian. Archidux Auſtriæ Matthias ſolemni iuramento Bruxellæ præſtito, Gubernator totius Belgij à Statibus inauguratur.

Sub finem Februarii menſis militaria ordinum agmina dum caſtra mouerent, turbatis ordinib. ab Auſtriaci equite, prope Namurcũ cæduntur diſsipanturq;.

Statim deinde Louanium, & nonnulla alia in Brabantia oppida, ab Auſtriaco ſunt recuperata.

Menſe

Menſe Maio Promanauit ab ordinibus edictum, poſt reditum Auriaci Antuerpiam vt quicunq; Belgium inhabitant, cuiuſcunq; conditionis ii fuerint, fidelitatem ordinibus patriæq; iurent, & Auſtriacum habeant pro hoſte patriæ, & pacem Gandaui factam, inuiolabiliter obſeruent.

Rogati Ieſuitæ ibidem Antuerpiæ, hoc iuramentum præſtare, recuſarunt; per duos dies integros. Prælati ordinum hoc precabantur, inprimis Abbates, & pluribus rationibus & obteſtationibus diu hoc petierunt. Sed ii excuſarunt atque diſertè reſponderunt, ſe pontifici iuraſſe, qui pro hoſte haberet, non Auſtriacum (vt quem peccunia iuuaret ac milite) ſed Auriacū Principem. Itaq; iuſſu Magiſtratus, ipſo die pentecoſtes, omnes Ieſuitæ, cum ſigno peditum, ne à populo obruerentur, & tympano, deducti ſunt ad nauim, vna cum Franciſcanis, qui idem reſponderunt, quod Ieſuitæ.

Qui quidem Ieſuitæ & Franciſcani naui impoſiti ſunt, recta vehendi Mechliniam & indè, ſub fide publica, Louanium. Toto eo tempore, quo ab iis iuramentum poſcebatur, quod triduum Antuerpia in armis fuit per vrbis

Hh 3 vicos

vicos, & vicorum angulos catenæ protenſæ. Fuere autẽ in magno vitæ periculo Franciſcani, ne videlicet contrucidarentur, ab externis militibus: qui cogere non deſtitère ciues & Magiſtratum ad eis intentandam cædem.

Philippi villa capta poſtridie pentecoſtes traditione Florinæi, qui eius vrbis præfectus, de induſtria commeatum non intulit. propterea captus à milite. dominus de Staue nominatur, eſt Leodenſis ditionis. Eam Auſtriacus obſedit, ſeſe hoc famis prætextu dediderunt. Adhuc habebant carnes equinas, & panem ex auena. Militum quidam præfectus cum tribus ſignis ſeſe dedidit. at reliqua quinq; ſigna vrbe egreſſi ſunt, ſignis erectis & explicatis. tria ex his ſigna demum militant Auſtriaco, præſtito iuramento. Ordines per Roſſellium ſequanum tentarunt inferre commeatum, præceſſit & proximus vrbi fuit, eum ſequebantur equites Belgici & Franci, qui commeatum ducebant, & iam ſeptem milliaria confecerant, duobus tantum aberant vrbe. Sed ſubitò coorto inter ipſos metu, pedem, licet ſuo periculo, retulerunt. Roſſellio fruſtra illos expectante, & interim vrbs ſeſe dedit.

Tertio die pentecoſtes tandem Franciſcano-

rum

rum ſexdecim iurarunt, reliqui tredecim, cũ Guardiano, recuſarunt, vt dictum eſt, propterea vti Ieſuitæ quatuordecim nauigio fuerunt impoſiti. Mandat poſtridie Antuerpienſis Magiſtratus, per Simonem Vander VVerf, nobilem conſulem ibidem, ne quiſquam in plateis incedens, cum alio in angulis colloquatur, ſed rectà, ſua via pergat, ſub pœna correctionis tanquam perturbatoris.

4. Iun. Alenconius facti ſui prolixam ſcripto reddit rationẽ, tam eorum quæ in Gallia per ipſum acta ſunt, cauſa ſopiẽdorũ tumultuum ciuiliũ, quam etiam eorum quæ in Belgio cõtra Hiſpanos moliri aggreſſus eſſet. Licet Gãdenſes, atque Brugenſes (Deus nouit quo iure quaue iniuria) ordines mendicantium proſcripſerint, ceperint, partim etiam occiderint: Antuerpienſes tamen è cõtrario, ſimile quiddam erga mendicantes, attentantibus quibuſdam militibus, non ſolum vt deſiſterent interdixerunt, verùm eam ob cauſam, duos etiam ex ijs militibus capite truncarunt.

Eodem die, Balthazar Robles Billius, Namurcũ redijt ex Hiſpanijs; qui attulit, Regem promittere Auſtriaco, in ſingulos 29. dies, tre-

centa millia coronatorum, ad continuandum bellum; & inſuper ſecum tulit, per Collybi litteras, nouies cẽtena millia coronatorum, perſoluendorum Lutetiæ. Veſontione, Nancæi, & per Maluẽdum Namurci. Refert verò Billius, in eo poſitum eſſe totum, Regem; vt hoc bellum finat. Natus eſt circa hoc tempus Regi filius nomine Philippus, cuius ſuſceptor fuit frater Cæſaris, qui fuit in Hiſpania Venceslaus; quem eundem & parens meus, piæ memoriæ, anno 1561. die vero 10. menſis Martii, è ſacro fonte ſuſtulit vna cum legato Regis Galliæ Rhedoue, & Polixena de laſſo.

Reddit & Caſimirus facti ſui prolixam rationem, publico ſcripto germanicè impreſſo Embdæ, cur ſcilicet, ſeſe rebus belgicis immiſceat, atque inferioribus germanis ſuccurrere cogitet, contra Auſtriacum & Hiſpanos. Verum Auſtriacus nihili facere Caſimirum tum dicebatur, iactans in eum voces militares, ſe nihil aliud cupere, quã eius exercitum videre, & cum eo congredi. interea Limburgum venit in Auſtriaci poteſtatem.

Exhibetur à proteſtantibus 27. Iun. Belgis Primus Supplex libellus Archiduci Matthiæ, & ſtatibus, pro libero religionis ſuæ,

quam

quam dicunt reformatæ exercitio. Vnde indictus eſt Antuerpiæ conuentus, in quo agatur de concedendo eo quod petitur, non reluctantibus multum etiam præcipuis ordinum eccleſiaſticis, ne (adueniente Caſimiri exercitu, qui eſt eius, quæ petebatur libera, Caluiniſticæ religionis) ipſi tanquam auctores, ne concedatur, à popularibus opprimantur: Exquirētur ea de re, omniū prouinciarum iudicia & ſententiæ, vt infra patebit.

Interim dum Caſimirus, in adducēdis militibus in Belgium, occupatur; ab Auſtriaco tentatur Bapalma, ſed fruſtra. Nam milites 8. qui habitu ruſticorum venerant ad arcis pontem, & cum militibus ex more colloquebantur, arreptos præſidiarios confoderunt, & erecto ponte, in arcem ingreſsi ad ſecundam, reliquos præſidiarios trucidarunt, ac demum tria maiora tormenta diſploſerunt; quod ſignum datum erat 300. equitib. de capta arce, vt aduenirent ipſis auxilio. Verùm ad hunc ſonum territi oppidani, vbi viderunt arcem captam ſtatim in eam magno impetu aduolarunt, & receperunt ſubitò. Quare conſternati milites alÿ, qui in vrbe erant ac latebāt habitu ruſtico, fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt. fuit author

 huius

huius ſtratagematis Vallius quidam Hannonius.

Appulit tandem Coloniam nauigio Dux Caſimirus, die ſolis penultima Iunij, qui fuit Petri & Pauli, hora 4. ante meridiem. Vnde Tuitium eſt profectus in domum Comitis Sulmenſis, à quo exceptus fuit hoſpitio. Ibi pranſus eſt. Senatus ei miſit vinum, & donauit ſeptem vini amas, alij dicunt duo plauſtra. Liskirchius, piæ memoriæ, & Sudermannus Conſules, & Steinuichius Syndicus, & Senator Angelmacherus, ei obtulerunt omne beneuolentiæ obſequium, nomine Senatus, gratulantes ei felicem ad vrbem aduentum. Quibus reſpondit ex more. Antea à Senatu tranſitum petierat, & commeatum ſuis militibus, ad tranſitum nauigia, & huiuſmodi; tranſiturum ſe ſine maleficio. conceſſum quod petierat. Cum eo pranſi ſunt illi. Inter prandēdum dixit Conſuli Liskirchio, ſe non proficiſci in Belgium, lucri vel gloriæ vllius quærēdæ cauſa, ſed quò opem afflictis Belgis rogatus adferat, ſicuti hoc antea ſcripto publicauerat, ne quis eius mentem ſiniſtre interpretari queat. retulit ſe à legitima poteſtate vocatum, ſed à qua, non explicauit.

Poſtri-

Poſtridie (30. Iun.) Murſam acceſſit, et manè cum comite Neuenario pranſus eſt, tandem rectà contendens Zutphaniam eò peruenit, vt luſtret ibi exercitum, Comites itineris, ei erant quinq; vel ſex Principes, inter quos erat Dux Bipontinus, & Philippus Landgrauius frater Gulielmi & 10. Comites. Milites equites, ac pedites in vniuerſum 1200. Galli, maior pars, Vaſcones, Duce Bonicortio Burgundo. His vtebatur tanquā præſidiarijs. Proteſtantes Belgæ, Caſimiri aduentum præſtolati, Alterum Archiduci Matthiæ ſupplicem libellum exhibent (7. Iul.) nouæq; religionis vrgēt exercitium. Dein, poſt Ducem Caſimirum (cuius exercitum Auſtriacus Namurco diſcedens, adoriri conabatur) (9. Iul.) venit etiam Dux Alenconius, Galliæ Regis frater, Montes in Hannoniam (12. Iul.) Archidux Matthias prope Lyram quoq; ciuitatem, luſtrat exercitum.

Ordines adminiſtrandi belli prouinciam demandauerunt Auriaco. Cuius auctoritati quotidiè plurimùm acceſſerat, creſcente numero proteſtantiū, ſiue reformatorum, vt vocant, Belgarum. illi Matthiæ Archiduci, & ſenatui binos obtulerunt libellos ſupplices

Ant-

Antuerpiæ, quibus libertatem in Religione petierunt, eam videlicet ſuam, publicè exercendi. Reſpondit Archidux Matthias, Senatuſq; illi adiunctus, deliberationem ea de re pertinere ad ordinum Senatum, & non ad ſe, & eos eò remiſerunt. Res eſt agitata, & diu diſceptata, in ſenatu illo. Tandem reiecta ad conuētum ordinum Generalium, qui breui celebraretur Denremondæ. Sperabant Reformati, ſe obtenturos; Iam tamen, quod petierant, in pleriſq; vrbibus Flandriæ, & Brabantiæ ſibi ſumpſerunt, fiebatq; ad eorum conciones maximus concurſus.

Et quia pleriſq; ſatius eſſe iudicarūt, hæc ita fieri, quam non fieri, multi autem hæc fieri debere, Magiſtratus auctoritate, rati ſunt; ideo Archidux Matthias, datis vndique literis, prouinciarum ordinibus, quibus & ſupplices reformatorum libellos, articulorúmque, pro Pacificando Religionis negotio conceptorum copiam tranſmiſit; de hac re iudicium & ſententiam eorum quamprimum tranſcribi mādans. (14. Iul.)

Ordines, cùm vererentur concedere liberam Religionis publicè exercendæ facultatem, miniſtris populum eò concitantibus: è re duxerunt

xerunt fore, ſi populo ſimilem in Religione libertatem darent, quam Germani inde ab Anno 1555. ex Auguſtanis comitijs obtinēt, vulgo ipſis dictam Religions friedt. *Dummodo pro ea numerent qngenta, alÿ dicūt, qnquaginta tantū florenorum millia. Ex egreſſu mercimoniorū omniū è Belgio pendunt decimā, quæ decima, maximam pecuniæ vim conficit.*

Hannonÿ, videntes haberi conciones reformatæ Religionis, & eam ſenſim inuehi, rogati, vt aſſentirent; Reſponderunt (18. Iul.) ſe nullam aliam quam Catholicam Romanam culturos, ſed eam defenſuros ad extremum vſque vitæ ſpiritum. Artheſienſes idem reſponderunt ſe facturos. Inſulenſes fugarunt vrbe, eos qui reformatam inuehere conabantur.

Gandenſes è contrario, quatuor mendicantes, deinde imagines eiecerunt, & reliquos demum ordines. Brugenſes etiam publicè concionabantur: Antuerpienſes in 4. templis. Bruxellenſes domi, vbi Campanius ſeditionē excitare Religionis Catholicæ prætextu dicebatur. Cùm adhuc eſſem Bruxellæ captus eſt. Libellum ſupplicem per alios exhibuit ordinibus, q vix ei fidebant, habuit ſua ſigna Hauxÿ, ad duo

ad duo circiter milliaria Bruxellam, vbi fuerunt in præſidio. Creatus tamẽ eſt Campanius financiarum præſes, loco Barlemõtij qui obijt, Sed recuſaſſe poſt dicitur, nec voluiſſe ordinum nomine, ire receptum Caſimirum, Vixit priuatus Bruxellæ, nec vnquam egreſſus, contentus Vironij vxoris culina, priuſquam captus Gandauum abduceretur.

Auſtriacus, audito Caſimiri Ducis aduẽtu, veritus, ne ſi tantæ vires coniungerentur, poſtmodo non amplius poſſet libero agro potiri, quod plurimum conferebat ad obſidendas vrbes, & ad copiam commeatus. Iubet Hergium, & quoſdam alios tribunos cum ſuis copiis obuiam, ad impediendum iter procedere. Sed vbi cognitum eſſet, eſſe 8000. equitum, & 4000. peditum Heluetiorum & Sequanorum, præter multos alios pedites, qui Statibus accedebant, viſæ multò maiores copiæ, quam vt præſentibus viribus poſſent impediri, quippe quæ iam Moſam traieciſſent, quare ſe in ſua caſtra receperunt.

Alenconio à Statib. promiſſa ſunt 100000. nummum quotannis, præterea omnibus copiis illius ſtipendia ſolutum iri, atque ad harum rerum obſeruationem tanquam obſides promiſſa

promiſſæ ſunt tres munitiones ſcilicet Landreſium, Queſnoy & Bapalma. Auriacus quia videret tot Principes magnæ nobilitatis, authoritatis & potentiæ, acciri ad Belgij defenſionem, cæpit ſubuereri, ne ſua exiſtimatio paulatim obſoleſceret, ſermonem inter Principes excitat, quod non eſſet pecunia, quæ tot ſtipendiis poſſet ſufficere, vt is etiam ad aures Alenconij perueniret.

Philippus Hiſpaniarum Rex, quia factus eſſet certior per literas Auſtriaci, de conſilio & multis auxilijs Reginæ Angliæ, quæ Statibus vndique ſubmittebantur, videbátque acerrimum & maximè calamitoſum bellum in illius regionibus parari, Legationem mittit in Angliam, quæ rogaret illam Reginam, vt deſiſteret ab inceptis, & ab adiuuandis ſubditis, qui arma contra ſuum Principem ſumpſiſſent, nulla præſertim ipſa accepta iniuria. Eam legationem regina magnificè hilariq; vultu excepit; cuius petitioni reſpondit, ſe neutram in partem magis eſſe propenſam. Scripſit præterea literas ad Regem, & ad Status Belgarum, quibus ſignificabat, ſe magnopere cupere, & hortari, vt res, ſi quo pacto fieri poſſet, componeretur.

Interea

Interea Louanij morabatur Auſtriacus, circa quod ad 10. millia paſſuum copiæ caſtrametatæ fuerant; vbi (19. Iul.) abrogata authoritate Cancellarij Brabantiæ, eiuſque Concilij, quod antea reſidere ſolebat Bruxellis, nouum Præſidentem, Dominum Deſiderium Tſeſtich, nouoſq; Brabantiæ Conſiliarios, doctores & licentiatos, nomine Regis Hiſpaniarum creauit, Martinum Antonium del Rio, Dominum Philippum Veſels, Candreſſ. Gregorium de Ayala, Goſuuynum Catſon, &c.

Cæterum ſtatus neque hac quidem ratione bellicos quoque apparatus ſegnius faciunt, ſed omnia tanquam ad bellum diligenter procurant. Adeo vt per Comitem de Rennenburg Dominum de Ville, Campenam quoque ciuitatem obſidentes, tandem in ſuam poteſtatem redigerēt, eiectis ac dimiſſis Germanis illis, qui ſub præfecto Poluilero, Regi tum militabant in præſidio.

Reſponderunt ſtatus (20. Iul.) nihilominus, Baroni cuidam Seyfrido Preiner Auſtriaco, ſicuti 18. Maii ante, Otthoni Schuuartzēbergio comiti Bauaro, pacificè; quorum vterque ab Imperatore Rudolpho (nihil eorum intermittēte, quæ ad pacem & tranquillitatem

Belgii

Belgij ſpectare viderētur) miſsi ad ſtatus, oratores legationis munere fungebantur.

Menſe Iul. Iohannes Caſimirus Dux, interim hæret Zutphaniæ, expectans aduentum eorum, à quibus recenſendæ erant eius copiæ. Germanos recenſuit primùm. Deinde Gallos. Cuius cum accreuiſſent copiæ, ille ratus tempus non eſſe per deſidiam amittendum, ad oppidum Dieſt, ab Auſtriaco prius occupatum contendit, relicto vicario in obſidione Dauentriæ; cum haberet in caſtris ad ſeptē equitum & 20. peditum millia.

Primum itaq; caſtra ipſa de more foſsis & aggeribus cingit, deinde pluribus octingentis Carris arena onuſtis atq; concatenatis, caſtra ipſa concludit, ac bellica tormenta inter corbes vimineos ſubtractis tabulatis ad recurſum dirigit, ac verberationem; nec multo negotio Dieſt oppidum recuperat.

Alenconij aduentus quoq;, vbi nuntiatus eſſet ſtatibus, ac Principib. Belgarum, magnoperè erecti ſunt omniū animi, ad rerum magnarum expectationem. Itaque miſſus eſt Arſcotij Dux, qui Principum ac ſtatuum nomine, gratularetur pro fœlici aduentu: cui titulum ProtectorisBelgij attribueret. Declaratus

eſt eius vicarius Princeps Auriacus, & protector Holandiæ & Zelandiæ.

Miſit idem Alenconius commiſſarios etiam ſuos, ad ſtatus Antuerpiæ congregatos, quorũ conditiones propoſitas nõ videbatur contemnere, quæ ſunt tales.

Primum, vt Dux Idem Alenconius, ſe intra fines Romanduorum cum ſuis copijs recipiat, atque ſtatus per tres menſes illi diſſoluant ſtipendia, & 12. equitum ac 10. peditum millia. Vt quodcunque acquiretur citra Moſam fluuium, id totum ſtatuum efficiatur, at quod vltrà, ſit Alenconij. Vt elapſo Auguſto menſe, ſtatus ne vlli paci aures præbeant ſine aſſenſu & concilio Angliæ Reginæ & Alenconij. Vt ſi opus ſit dominum mutare, eorum populorum electio ſortiatur, ſemper Alenconius ſit & nominetur primus defenſor habeatque illum titulum. Vt ſi intra menſem Auguſtum pax fiat, inter ſtatus & Auſtriacum, intelligatur cum conditionibus Gandauenſibus. vt lapſo menſe Auguſti, omnes prædictæ cõditiones vanæ intelligantur. Vt ad harum rerum confirmationem, prædicta loca concedantur.

Regina Franciæ mater Alenconij, & Nauarræ

narræ regina altera, conabantur multis verbis Alenconium ab hac expeditione reuocare, quòd parùm honeſta, parùmq; vtilis Gallorum regno videretur, ſi ſubditi ac rebelles populi aduerſus ſuum Principem protegerentur, ſed ſurdo fabulam narrabant: cum idem Alenconius, quod eadem fuiſſent à multis ſæpius repetita, ad diluendas huiuſmodi criminationes, publicum ſcriptum ediderit in quo continebatur:

Quod, cùm à Principibus ſtatuum Belgarum inuitatus ac rogatus fuiſſet, ne illam prouinciam in tantis calamitatibus deſereret, Hiſpanorum libidini & crudelitati: nullis neque matris Reginæ precibus, neque aliorum Principum diſſuaſionibus dimoueri potuit, quo minus proficiſceretur in Belgiũ, neq; potuit ab illo conſilio tam honeſto reuocari, cum honeſtæ rei ſatis etiam honeſtæ conditiones à ſtatibus oblatæ fuiſſent.

Et quoniam dicebatur Rebelles protegere, profitetur ſe profectum in Belgium, vt boni Principis officio fungeretur, quod erat, vt pacem concordiamq; ſtatuum conſeruaret, cum optaret omnia per iniurias infelicium temporũ euerſa in priſtinum ſplendorem perducere,

cum abuſuum reformatione, & obſeruatione, iuſtitiæ vt populi ſubleuentur tot extra ordinarijs oneribus, atq; vt omnino ſeruentur antiqua priuilegia.

His ſubiunxit Alenconius, quòd bellum Belgicum, ſine controuerſia, non poteſt eſſe non honorificum, & vtile Gallorum Regno, ad acquirendam quietem; cùm pateat per hanc viam, bellum quod tam diu fuit in viſceribus, & corde regni Calliæ diuerti in alias regiones. Quibus accedit, quòd Belgica regio, antiquitùs coronæ Gallicæ erat annexa, cui data fuit maior pars priuilegiorũ à Gallorum Regibus, quæ habent, & quorũ cauſa, ſtatus eius regionis in illam controuerſiam venerunt.

Patere dicebat itaque, quod non ſolum naturales obligationes, in quibus verſaretur vt bonus Princeps, ſed etiam vtilitas, & commodum ipſius regni, impellit, vt occurrat, impediatq;, ne quid patiatur iniquè fieri aduerſus eas nationes, ſed Tyrannidem in ea regione plantatam euellat. Idcirco, inquit, cũ oppreſſos populos eſſe pateat, & in eam neceſſitatem adductos, vt propè iugum intollerabile ſuſcepturi videantur, veluti Principes regionum ſignificarunt ſibiq; ante oculos propoſuerunt

æquita-

æquitatem poſtulationis ſuæ quamuis regio euerſa ſit ab Hiſpanis, ſe conſtituiſſe prædictis optimè conſideratis ſuo muneri ſatisfacere.

Atque cũ Princeps ſit è regio ſanguine Gallorum, omnibus rationibus ac viribus quæ ſibi à Deo conceſſæ ſunt, opem ferre oppreſſis, ac defendere ipſos ſtatus. vt tam iuſtam cauſam tueatur, contra omnes, qui vellent opprimere iura illorum ac priuilegia. Se profiteri, inquit ac Deum obteſtari, quòd nihil horum faciat, vel auaritia, vel ambitione impulſus, neque deſiderio conuellendi cuiuſcunq; imperij, cùm omnes, qui ſibi ſuppetias tulerint, ad tam præclarũ facinus, participes futuri ſint eiuſdem honoris & gloriæ, quam ſperat ſe dei munere relaturũ, cum etiam præmia pro meritis ſint ab ipſo accepturi.

Alenconium hunc, quùm citatis equis Monties repentè conuolaſſet, ſecutus eſt Nuenſis regulus vir magnæ auctoritatis, & peritiæ rei militaris, ſummus imperator vniuerſi peditatus. Caſimirus item, dum altera pars copiarum ad Ruremundam caſtrametatur, cum altera parte Dauendriam obſidet, quod eſt opulentum & amplum ditionis Tranſiſelanæ oppidum.

Auſtriacus cum ſuis copijs ex Abbatia Oplintere ſigna conuellit ad profectionem: quòd intelligeret hoſtem non procul abeſſe, vt collatis ſignis, obuius factus dimicaret. Sed vbi ad 15. millia paſſuum proceſſit, illum inuenit aggeribus & foſſis militaribus circumdatum, in ſitu natura munito: cui obtulit non ſemel, ſi velit, totis viribus dimicandi, cum hoſtis non poſſet ad arbitrium Auſtriaci adduci ad pugnam, milites aggeres tranſgrediuntur. pugnatur acriter in caſtris, ceciderunt deniq; ex Auſtriaci militibus ad 20. tantum, & 50. vulnerati, ex hoſtibus plures 300. ceciderunt.

His ita actis Auſtriacus Namurcum redit, cum ſuis copijs, caſtraque de more profundioribus foſſis, altioribuſque aggeribus munit. Atque ita Auſtriacus, exercitum comitis Boſſuuij, Rimenanti in Brabantia, inter Arſcotum & Mechlineam conſtitutum, ab hora octaua ad primam pomeridianam, fruſtrà aleam fortunæ iactans, aggreſſus eſt 1. Aug.

Reliquit autem, Auſtriacus Namurcum ſe recipens, 30. peditum & 12. equitum cohortem Louanij, quem locum iubet diligentiſſimè muniri, cum omnem quē potuit è locis deſertis

ſertis commeatum, illuc comportari curauiſſet. Neque ſtatus quidem parùm diligentes, curant commeatum in regionem varijs è locis comportari, qui cum mari Anglico, & vniuerſo oceano ad occaſum libero potirētur, multa nauigia frumentatum miſerunt, quæ & frumento & varÿ generis apparatu bellico onuſta ad ea littora appulerunt. Mittuntur intereaſtatuum Articuli vnionis ſeu fœderis per commiſſarios ad Ducem Alenconium, vt eoſdem manu propria ſubſcribendo, confirmet ac muniat, quos cùm ad medium ferè Auguſti, maturo ſatis examinaſſet iudicio, tandem corroboratos ſtatibus remiſit. Ipſe montibus hærens in Hannonia apud Lalaniū comitem.

Imperator, Rex Galliæ, & Angliæ Regina, interim pacem conciliare nituntur. Ad eam rem miſit Cæſar legatum in Belgium, comitem Schuuartzenburgium, qui poſtea Louanium hoc nomine ad Auſtriacum eſt profectus, (3. Aug.) Rex Galliæ miſit Bellieurum: Angliæ Regina Colbanum, & Valſinganum primum ſtatus Secretarium.

Petiit Auſtriacus, vt ordines arma deponerent, & Auriacus in Holandiam rediret, Deinde, tractatum iri de pace. Reſponderunt

ordines: non iri conciliatum pacem: niſi prius Auſtriacus ipſe Belgio excedat cum exercitu ſuo, & Archidux Matthias maneat Gubernator. Addit Auſtriacus, nolle ſe promittere redditum iri Auriaci filium comitem de Buren, Nullo etiam modo permiſſurum nouam religionem. Irruentes ſtatuum milites in oppidum Arſcotenſe manè hora 4. expellunt regios Italos cum Mutio Pagano & paulò poſt incendunt.

Exhortatus eſt (4. Aug.) Antuerpiæ Bellieürus ordines ad pacem. Ita illi Articulos propoſuerunt Auſtriaco per legatos illos ei paciſcendæ. duræ fuerint nimis condiciones articulorum, adeo vt ordines vel pacem nolle, vel ei non fidere niſi ſub illis conditionum vinculis videantur, vel multum petere vt habeant aliquid. Quod ſi pax non coiret: ſignificant ſatis, ſe Principem alium potius aſſumpturos, vel Belgium partitum iri inter plures, licet vnitum; quilibet quod poterit occupaturus, vel ipſos de forma Reip: Helueticæ cogitare.

Propoſitæ ſunt autem à Statibus (7. Aug.) huiuſmodi conditiones, quæ cum verbis & voluntate Regis parùm conſentire apparebant, vide-

videlicet. Vt Matthias Archidux omnino ſummus Imperator, vt dictũ eſt, ſit Belgicarũ regionum, neque quicquàm fieri poſſit ſine ſtatuum conſenſu. Vt Auſtriacus rata faciat, omnia illa quæ facta ſunt à ſtatibus ex quo tempore ſe Namurcum recepit. Vt Auſtriacus reſtituat omnes munitiones, caſtella, pagos, & omnia, vt vno verbo dicam, quæ ſtatuum tenentur, cum omnibus bellicis tormentis, & bellicis apparatibus, qui diſcedat ante exactum menſem ſextilem ſiue Auguſtum cum omnibus ſuis copijs, exceptis militibus indigenis.

Item quòd ſtatus volunt ſeruari nouam Religionem in omnibus prouincijs, ita tamen vt non habeantur conciones. Quod procurabunt pro viribus. Vt ſtatus, cuſtodiæ, & omnes ſubditi regionum pareant Regi Hiſpaniarum, qui tamen volunt omninò à rege priuilegia & iura ſibi quæuis ſeruari. Vt omnia quæ tranſacta ſunt, in hoc bello Belgico vtrinque ſempiterna obliuione obruãtur. Vt omnes captiui liberi relaxentur ab vtriſque. Vt in hac pace comprehendatur Galliarum Rex, Regina Angliæ, Duces Caſimirus & Alenconius.

Sebaſtianus Rex Portugaliæ (quam Hiſpa-

 niarum

piarum Rex Philippus iam poſſidet) hoc tempore militem ex claſſe in terrã expoſuit. Mauri prælium ei obtulerunt. Id non recuſauit, licet potentes illi ſupra modum eſſent. In eo prælio Rex, & ſeipſum, & exercitum ſuum, (4. Aug.) perdidit. Sexcenti tamen euaſêre, ex triginta quinque hominum millibus, Luſitani, qui ſe in claſſem receperunt. Hoc prælium geſtum fuit ad ſex milliaria, ab eo loco, vbi militem Rex incontinentem expoſuit. In eo prælio cæſi ſunt Reges tres Mauritani (Luſitani hoſtes) &, quemadmodũ de prælio hoc Africano Luſitanico, ex Hiſpania ad Auſtriacũ ſcribebatur, quinquaginta Maurorũ millia. Adeo; vt, etſi ipſi prælij victores fuerint, & campo, vt appellant, potiti ſint: tamen hoc bellũ & victoria, ipſis certè fructum non admodum magnum attulit.

Viſis paulo ante rationibus Alenconij, quibus motus è Gallia in Belgium aduolauerit; videamus paucis hîc etiam cauſas nunc, quibus Caſimirus è Germania ſuperiore in inferiorem cum copiis tendere impulſus dicebatur. Hic quoniam multorum ſermone carpebatur, quod aſpiraret, vel ipſe ad opprimendos populos Belgarum, vel ad delenda regia iura,

cùm

cùm per ſimulationem auxiliorum, maiora quædam conſilia in animo verſaret, qui non eſſet putandus tam facile ad populorum defenſionem accurriſſe, qui arma ſumpſerunt, nõ modo contra auitam Religionem, ſed etiam contra naturalem Principem.

Aduerſus has tam acres accuſationes, ſcriptum edidit, Germanico Idiomate, in quo continebatur ſe veniſſe tantum ad cõculcandam Tyrannidem miniſtrorum Regiorum, qui auaro crudelíque animo Belgas, vel contra Regiam voluntatem opprimere conantur, cum Regis conſilium verè integerrimum ſit, neque ab vlla æquitate, humanitate, rectiſſimaq́ gubernatione diſſentiat.

Non certè quidem ſi Rex auara, & inhumana, inquit, ſuorum miniſtrorum conſilia poſſet cognoſcere, non quidem in iniurias detrectantes, ſed inferre conãtes, vniuerſam molem indignationis conuerteret, cùm difficillimum ſit Principi, omnium cognoſcere deliria miniſtrorum, qui ſemper exploratores aduenientium habent apud Principem, & defenſores, vel cubicularios, vel à ſecretis largitionibus corruptos apud eundem, qui abſentium cauſam tueantur, multa præconia ipſius Regis,

multáque

multáque laus bonitatis in eodem continebatur ſcripto.

Cæterum Auſtriacus cognitis copijs hoſtium, quæ plurimum vbique excreuiſſent, atq; indies ſuccreſcerēt, nititur omnes ſuas copias coniungere, multaq́; loca debilia, accitis in caſtra præſidijs, deſerit. Archidux Matthias, cùm audiuiſſet Caſimirum appropinquaſſe cũ exercitu, Antuerpia profectus eſt ei obuius ad Lyram oppidum vſque, vbi militari more pro dignitate excipitur (21. Aug.) vt amicus, atque viciſſim Archidux ingenti Bombardarũ roboantium ſtrepitu magnificè ſalutatur.

Auſtriacus autem alio quodam modo Caſimirum excipere conatus eſt. Is namque quia diuiſas Caſimiri vires, poſſe facilè [illegible]ingi putauit, ſi repentè nihilque tale opinantes inuaderentur, decernit memorabile factum aliquod edere. Simulat igitur ſe velle omnes, qui erant in præſidiis Louanij, atque alibi, vt ſtatutum locum inter Louanium & Dieſtũ duas horas ante lucem conuenirent, quod erat Caſtra hoſtium repentè inuaſurus; at Copiæ Caſimiri certiores factæ, de omni cõſilio Auſtriaci, conſiſtunt in acie expectantes, quid conſilij hoſtis caperet, directíſque tormentis, manu e-

quitum

quitum ac peditum hoſtem in acie inſtructum reperit, qui pluribus tormentis repentè diſploſis 700. ferè Hiſpanos, vt dicitur, miſerabiliter laniat, pugnatum eſt per totum diem minutis prælıis, cum non leui vtrorumque clade cum maxime omnium, virtus Anglorum & Scotorum Statibus merentium ſub Norits & Stuart Colonellis, vt vocant, rerum bellicarum peritiſsimis, in ijs certaminibus emicuiſſet, atque ita Caſimirus cum ſtatuum copiis, quas antea quoq; Matthias Archidux perluſtrauit, ſeſe (26. Aug.) coniunxit.

Ad Pacificandos Valencenenſes, à Statibus (27. Aug.) miſſus eſt dominus de Harchies, & quidam Commiſſarii, inter quos fuit Conſiliarius ſtatuum quidam Richardus. Et cum per ſtatus aduocatus eſſet Nuenſus regulus ex Gallia ın Belgium, venit Antuerpiam, vt generalis Campi Mariſchalcus crearetur à Statibus.

Antuerpiæ die Veneris, qui fuit 29. Aug, ordines in publico foro, ſuggeſtu edito, ornatóque aulais, magna cum pompa, ſolemnitatéque, promulgarunt vnionem, ac fœdus ipſorum cum Alenconio initum. Id fuit à prandio P. M. lectique ſunt Articuli eius fœderis.

Expo-

Exponunt etiam ordines Luxemburgum & Burgundiam capiendas ab Alenconio regiones, &, vt antea diximus, tres illas ciuitates, quas Alenconio promiſerunt quidem Status, ſed tradere non potuerunt, cũ præſertim Landreſium & Queſnoy Gallos nullo pacto, vel recipere vel intromittere voluerint: hinc eſt, quòd à Statibus idem Alenconius alia loca petierit, poſtquam illorum nomine Abbas Marolenſis, ad inducendas ad hoc ciuitates illas tres, nihil efficiens in vanum perſuadendo laboraſſet.

Cæſareus legatus Schuuartzenburgius comes, Louanÿ ordinum nomine, dixit Auſtriaco, vt exercitum dimitteret, & ſe in Italiam vel Hiſpaniam reciperet; alioqui ordines amplius regem non habituros pro Principe ſuo ac domino. Reſpondit ſe hoc Regi ſcripturum, & Inducias petÿt, in tres menſes. Atque vbi ſciſſet Alenconium declaratum defenſorem, legatos pacis quos dimiſerat, ex itinere reuocari iuſſit. Itaque vſque ad duodecimum ſeptembris conuenit, vt de pace facienda tractetur.

Credebatur ipſa non fore, Primò, quia Auſtriacus auxilia expectaret, & eorum aduentum

uentum urgeret, atq; ita tempus duceret pacis prætextu, dum venerint: Secundò, quia ſatis intelligeret, ordines pecuniæ inopia laborare, vel breui laboraturos. Quò ergo magis tempus protraheret, eos tanto magis adactum iri neceſsitate, &c. quò eòs diſiungat facilius, præſertim à religionis diuerſitate. Tertiò, quia conditiones ab ordinibus propoſitæ, eſſent duræ nimis, & inciuiles.

Auſtriacus nihilominus tamen, legatis Principum pro pace, reſpondit: ſe valde commoueri ad pacem, propter prouinciæ calamitates, etiamſi duræ ſint conditiones, & regem eam exoptare. Propterea omnem eius procurationem, & confectionem, in vnum Cæſarē, data poteſtate, reieciſſe, datis ad ſe, ea de re literis.

Caſimirus Dux, poſtquam ab Embieſio & Borluyt Gandenſibus, expectatus Bruxellas fuiſſet ingreſſus, eueſtigio Religionis ſuæ conciones, ante ibidem non factas, publicè inſtituit; ſuaq; ipſius (6. Sept.) præſentia tū promouit, atq; honorauit in Carmelitarum monaſterio, cuius Prior tum erat D. Laurentius Cuperius, nunc totius ordinis Prouincialis. Cúmque aliquandiu Bruxellæ perſtitiſſet, atque refor=

reformatæ, quam vocant religionis, aliorúmque negotiorum Gandaui tractandorum fundamenta iecisset, tandem relicta Bruxella in Flandriam properat, vbi à Gandenſibus magnificè excipitur.

Iam quemadmodum Bruxellæ, ſic etiam Gandaui, quum eò 12. Sept. aduenisset Caſimirus, conciones ſuæ religionis promouebat, ſuáque præſentia decorabat adeò, vt ſtatus, in ſtipendia Copiarum eiuſdem Ducis Caſimiri, cum paulo poſt laboraretur inopia pecuniæ, omne ſacrum aurum & argentum, & cruces & Calices, & argētum nobiliorum, in pecuniam cuderent.

Gandaui autem templa & cœnobia, & imagines ſanctorum omnium, per idem ferè tempus ſunt euerſa præter templum D. Ioannis, omnes ſacerdotes ſunt eiecti, quod ipſum & in aliis oppidis Gandauo proximis factum eſt. Interea Caſimirus, relicto Gandauo, ad ſuos milites in campum proficiſcitur (13. Sept.) vt Vallonum aliquot centurias reprimeret, qui in Flandria, Menenum (24. Sept.) pagum, non ſolutorum ſtipendiorum, vt quidam volunt, prætextu, occuparant, munierantque. Alii propterea (quod Gandenſis plebs ad ſeditioſas

factio-

factiones conuerſa eſſet) Vallones omnem ipſis amicitiam renunciaſſe, pagúmque inuaſiſſe, atq; ob id Malecõtentos vulgò baptizatos fuiſſe ſcribunt; variíq; variè alij hunc motum interpretantur.

Initio Octobris eodem die, quo nouorum in Belgio Epiſcoporum incorporationes à Statib. per literas caſſantur, Ioãnes Auſtriacus in caſtris, diem clauſit extremum. Succedit huic Alexander Farneſius Dux Parmenſis.

Conuerſa tum erat omnis vis copiarum Statuum, & Caſimiri imprimis, atq; Alenconij, ad oppida ſubiuganda, quibus poſſent facultatem comeatuum, regiis copiis intercludere, quæ partim vi ferri, partim per deditionẽ ſunt capta.

Appulit Coloniam 11. Octob. legatus quidam ab Imperatoria Maieſtate miſſus ad Archiducem Matthiam, ad Status, & ad Ioann. Auſtriacum (de cuius obitu tum nihil adhuc ſciebatur in aula, cum legatus 3. huius menſis die Praga diſceſſerit) qui relinquens Coloniã, magna diligentia in Belgium properat, fortè propter pacis negotiationem. Scribit & Senatui Colonienſi Imperator literas, quibus eos adhortatur ad Religionis Catholicæ defenſio-

nem, & ad protectionem eorum qui ob Catholicam fidem, relicto Belgio, apud eos diuertiſſent. dimiſſionem vero aliorum, qui religionis eſſent contrariæ.

Peſtis & diſſenteria hoc tempore, admodum ſæuiunt in toto Belgio, Louanij partim ciuium, partim militum, partim ruſticorum & exterorum, mortua 19. millia hominum dicuntur. Machliniæ ad aliquot millia, vt aiũt; Antuerpiæ, pluribuſque locis, & in vtroque exercitu. Item Bruxellæ 12. millia. Alenconij milites Franci, circiter tria millia in Galliam diſceſſerunt, ſpolijs prædaque onuſti, in picardia multi eorum cæſi. Montenſes Alenconium vix amplius intromittere voluerunt, quin & Gallos ciuitate eijcere conantur 22. Octob. reſiduos.

Et quoniam annus iam vergeret ad hyemem, quæ, in Belgio præſertim moleſtiſſima eſt, & inhabilis rebus bellicis, ob frigora profunditatemque cœni, & frequentiam & magnitudinem pluuiarum: Cum etiam ſtatus, qui vitam & facultates ſe velle profundere ad ſuſtentandum bellum pro libertate Belgij vix poſſent p multa impoſita tributa, tot ſumptus, tot copiarum, tam variarum nationum

ſuſt-

ſuſtinere Caſimirus apparebat cupere, ſe ab illo bello iam exautorari.

Eodem tempore Alenconius tria millia Gallorum, dimittit, qui per ſequanorũ regionem reuerſi, multa damna inferunt, quare neceſſe fuit ſequanos, qui regi militabant Hiſpaniæ relictis caſtris contendere ad patriæ defenſionẽ. Sic cæptum eſt potius in Belgio paruis quibuſdam prælijs, quàm vlla vi copiarum decertare.

Poſt hæc Alenconius Dux 1. Nouemb. petit à ſtatibus, vt, quoniam acciretur in Galliam, neq; res magnoperè ſua pſentia indigeret, liceret abſcedere, ꝙ eſſet auxilia miſſurus, & vel ipſe venturus ad illorum defenſionem, quoties ita res poſtularet, atq; accitus fuiſſet. Miſſæ ſunt Legationes, & venia conceſſa, & immortales gratiæ actæ.

Eodem Menſe Hiſpaniæ Rex miſit legatum ad omnes Electores Imperii, Raymirum Guzmanum, qui tandem & Coloniam 14. Nouẽb. appellens, iuit ad Archiepiſcopum Colonienſem. Miſiſſe dicitur ſtatim poſt ſuum aduentum, duos nuntios in Belgium. Miſit Parmenſis Princeps quoque legationem Coloniam Agrippinenſem, qua tranſitum,

& commeatum peteret pro precio, quòd eſſet ad oppidum Cherpanum obſidendum acceſſurus; illa enim ratione ſibi videbatur commodè hybernare poſſe. Illud verò, tametſi intelligebatur à præfectis vrbanis, potius ad copiam commeatus, quàm ad expugnationem oppidi, per id tempus poſtulari: tamen conceſſum fuit.

Et quia Vallones & Malecontenti, in Flandriæ comitatu, copias Gandenſes coniunctis viribus inuadunt, ad 2000. peditum & equites 800. commiſſo prælio trucidant. Propterea vbi Caſimirus quoq;, vt Alenconius, fuiſſet dimiſſus à ſtatibus, eum Gandenſes ſummum Imperatorem, & ſuarum copiarum, & omnium Flandrorum creant. Decernuntq; habere in aperto ad euitandas moleſtias, quæ inferebantur à Malecontentis, & ad vexandum hoſtem, quatuor equitum & decem peditum millia.

Dimiſerant autem Status Ducem Caſimirum, quia iam res ad pacem appareret inclinare, & quia iam recedendũ eſſet in Hyberna, quòd tempus anni non amplius pateretur copias eſſe ſub dio. Soluitur (19. Nouemb.) Caſimiro à Gandenſibus, præter 16000. libras, à

Commiſ-

Commiſſario Euervvin, 17000. libræ per Theſaurarium Meynkens 22894. libræ 13. ſolidi, per Cõmiſſarium Trieſt 25154. libræ 7. ſolidi, per Cortracenſes 60000. libræ. Item 24000. libræ præter 1500. libras Friderico Palatino ſolutas, à Statibus alias ſibi non fuiſſe ſatis factum conqueſtus eſt publico ſcripto; vndè paulò poſt in Angliam Caſimirus, in Galliam vero Alenconius profectus eſt.

Miſſus eſt à Principe Auriaco cum quibuſdam alijs Gandauum, Aldegondus; atque vt id, quod inabſolutum ibi reliquiſſent, Auriacus præſens abſolueret, ipſemet eò (24. Nouẽb) profectus eſt. Certiſſimus enim tum rumor ſpargebatur, præſertim in aula Parmenſis Artheſienſes à ſtatibus velle deficere. Quod cum intellexiſſet Gubernator Parmenſis, munitionem, in qua per integram ferè Æſtatem hæſerat, cũ toto ſuo exercitu, vltra Moſam, (28. Nouemb.) relinquens, ſimulat ſe Buſcumducis oppidum aggreſſurum, cũ reuera de Traiecto cogitaret.

Orator Imperatoris, Comes Schuuarzenburgius, ſciens Ducem de Nouaterra Regis Philippi nomine venturum in Auſtriam, cum ampliſſimo Regis mandato, de pace cum ſub-

*ditis ſuis in præſentia Commiſſarioruꝭ ab Imperatore deputandorum tractandi:eumq́ꝫ breui Coloniam acceſſurum eſſe. Antuerpiæ apud Belgii ordines pacis negotium (*1. *Decemb.) proponit atque Imperatorio nomine promouit nec non ita multò poſt ordinum conſenſu, etiam ad Parmenſem Principem proficiſcens Louanium (7.* Decemb.*) venit.*

Miſit quoque Rudolphus Imperator Coloniam, Baronem Vinneburgicum Aulæ Cæſareæ Conſilii præſidentem, & comitem Naſſouium qui peterent à Senatu, eos omnes eiici Senatu, & ciuitate, qui eſſent Caluiniani ; vel qui proteſtantes haberent conciones & proteſtantium religionem in ea ciuitate exercerent. Ante quam hæc legati proponerent ; conceptum iam fuerat edictum à Senatu, de pellendis iis proteſtantibus, vel Caluiniſtis, imò iam editum, ſed nec dum promulgatum.

Nouum præterea edictum vtriuſq́ꝫ Religionis (16. Decemb.) editur, Concordia Gandenſium dicta, procurante Auriaco Principe. Poſtridie eius diei, Octauius Gonzaga, cum parte exercitus regii, prope Lymburgum, Carpe-

nam

nam verſus proficiſci dicebatur, vt eam, & cætera loca circum iacentia caperet, cum Mondragenio ſibi adiuncto.

Interea dùm Valones & Malecontenti cum ordinibus Gandenſium, ſub certis condicionibus conuenire, & reconciliationem tractare videntur; cum Regiis de ſe tradendo ijs, certis quoque conditionibus, (21. Decemb.) conueniũt. Cõdiciones autẽ cũ Gandenſibus ſunt: Primùm, Catholicis Gandaui ſua Religio reſtituetur. Templumq́; Cathedrale Canonicis. Et tres ordines mendicantium præter Franciſcanos, quibus præ cæteris magis offenſi fuerunt Gandenſes. II. Demittent liberos nobiles, ipſi Gandauenſes, quos detinent. tradentur Pars cuſtodiæ ducis Cliuenſis, pars Archiepiſcopo Colonienſi. III. Stipendia quæ ipſis debentur Vallonibus tota perſoluentur, deductis tamẽ rapinis, quas in Flandria fecerũt. IIII. Reſtituent ordinibus & Flandriæ, omnia quæ occuparunt ijdem Valones, loca. V. Et ſe ordinibus ijdem quoque contrà communem hoſtem coniungent, ſub ijs tamen quos habent non alijs ducibus. V I. Firma manebit Religio catholica, Hannonijs, Artheſiis,

Tornacenſibus, Inſulenſibus, & cæteris Belgis omnibus, qui eam ſequi volent; ſic equidem, vt ſint ab omni nouæ religionis exercitio liberi. Interim moritur dominica ante diem natiuitatem Chriſti, Maximilianus ille comes Boſſuuius, paulò poſt (25. Decemb.) Alenconius in Franciam Condato redijt.

Campenſes, Germanico dimiſſo præſidio, ordinum militem Duce Domino de Ville, 20. Iulij admittunt. Idem eodem duce, Dauentrienſes 19. Nouembris factitarunt.

Ordines, diſſipatum Namurcenſi conflictu exercitum, Buſſuuio comite duce, Rimenanti in Brabantia, inter Arſchotum & Mechlineam, menſe Auguſto, reſtituunt, quem Ioannes Auſtriacus, eodem menſe, ab Octaua ad primam pomeridianam, fruſtra aggreditur.

Plebs Gandauenſis, quia ad ſeditioſas factiones conuerſa hinc VVallonum aliquot copiæ, Malecontenti vulgo appellati, omnem ipſis amicitiam renunciantes, Menenium Flandriæ pagum eodem tempore inuadunt.

Archidux Auſtriæ Gemblacum Niuellamq́;, Dux Alenconius Bincium opp. & pleraq; aliæ loca 8. Decemb. recuperat.

Anno 1579. Sub initium Ianuarij menſis,

Par-

Parmenſis Dux, bonam exercitus partem, ad arcem Kerppenſem, duce Mondragonio, tranſmittit, is, ſeptem muralibus machinis arcem immaniter verberans, decem & trium horarum tempore, eadē potitur, Billius, arcis præfectus, & ſui, ne minimam quidem ſe defendendi cogitationem admittentes, capti, octauo Ianuarij die, ſex vltra triginta, arborum ſunt ramis affixi. Bilius vero eiuſdē Mēſis die, in noua, quā ipſe cōſtruxerat arcis porta, ſtrangulatus, interijt.

Interea dum reuerendiſsimi Archipræſules Principes Electores Colonienſis & Treuirenſis, Herbipolitanus, itidē Suarzenburgius Comes, & conſiliarij Cliuenſes, Deputati Cæſarei, Dux de Terranoua, cæteriq́ Cōmiſſarij Hiſpaniarum Regis, 5. Aprilis, & ſubſequentibus ex ordine diebus ad perturbatā Belgiā pacandā cōſtituendamq́, Coloniæ Aprippinæ cōueniunt. Maio menſe Dux Arſchotanus & ordinum Cōmiſſarij ad pacificationis conuentum ſubſequuntur. Interea inquam temporis, Brabantiæ vrbes, Bruxella, Antuerpia, Mechlinea, Buſcumducum, & in Friſia Groninga nouis motionibus perturbantur, quæ multorum iudicio, futuræ pacificationi non magno vſui erunt.

Funeſta Traiectenſibus Apoſtolorum Petri & Pauli dies 29. Iunij illuxit, quo in Hiſpanorum poteſtatem poſt quinq; menſium obſidionem difficultate nõ magna, victi deueniunt. Parcitũ in ea oppugnatione eſt ciuibus, pueris & mulieribus, cæſi primo impetu præſidiarij.

Poſt hæc ordinum Legati Coloniæ (4. Iul.) ſcriptum aliquod exhibuerunt, quo apertè declararũt: Status in deliberatione ſeu conſultatione verſari, Regi Hiſpaniarum, naturali ſuo domino, vt obedientiæ repudium renuncient, & Regis Galliarum fratri, cum Regina Angliæ ſponſalitia tractanti, ſeſe vt ſubmittant, eumque pro domino ac defenſore arripiant, ſi tractabilia media Coloniæ obtinere nequeant, ſimul &, quas Alenconius 13. Iunii ad ſtatus ſcripſerat, literas exhibent.

Cæſarei Commiſſarii, ex Articulis à Duce de Terranoua ex vna, & à ſtatuum Legatis ex altera parte, exhibitis; medium quoddam genus articulorum Pacificationis 24. collegerunt: eoſque ſtatibus in belgium, vnà cum litteris ad eos ſcriptis, tranſmiſerunt. Eodem die, quo Mechlinienſes à ſtatibus recedendi, atque ad Parmenſem ducem accedendi, regiſque oblatam gratiam acceptan-

ceptãdi cauſas, ad ordines Antuerpiæ congregatos, ſcriberent. Sunt autem Articuli tranſmiſſi tales;

I.

Primum Pacificatio, Anno 1576. die 8. Nouembris Gandaui inita & inſtructa; Vnio quoque Bruxellis 9. Ianuarij 1577. ſubſecuta; Edictũ inſuper perpetuũ Bruxellis 17. Februa. eodem Anno publicatum; vnà cum approbatione Regia, in omnibus ſuis punctis & Articulis ſeruabuntur, & executioni mandabuntur.

II.

Et quia præterea, quæ à tempore primorum motuum acciderunt pòſt viam tractatus Pacificationis Gandauenſis, Vnionis, & Edicti perpetui vltrò citròq; varia facta, dicta & admiſſa fuerunt, tàm in generali quàm in particulari, hac præſenti quoq; Pacificatione, non minus, poſteriorum iſtorum factorum, & dictorum, quàm eorum quæ antè contigerunt, perpetua obliuio conſtituatur, ita vt eorum nulla amplius fiat mentio, exprobratio, aut inquiſitio, quaſi ea nunquam accidiſſent, idque ſub pœna exemplaris correctionis, ſubditis contrauenientibus, tanquam pertur-

perturbatoribus tranquillitatis publicæ, infligenda.

III.

Rex Catholicus Vaſallis, ſubditiſque ſuis ſeruabit, manutenebit, & ſi opus videbitur etiam de nouo confirmabit, omnia & ſingula iura, vſus, conſuetudines, immunitates, exemptiones & priuilegia quarumlibet Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum, communitatũ aliorumque priuatorum omnium, cum in genere, tum in ſpecie, quemadmodum in edicto perpetuo articulo decimo, & cum prouinciis Belgicis inauguratus extitit, promiſit & iurauit.

IIII.

Omnes milites extranei, vtpote Hiſpani, Itali, Germani, Galli, Burgundi, Angli, Scoti, ac cæteri omnes peregrini, qui propter hoſce motus vtrinque accerſiti ſunt, prouinciis Belgicis, ab hac pace promulgata intra terminum communi conſtituendum ſimul excedant, & eodem tempore.

V.

Quod verò attinet ad alios milites non extraneos, etiam ad plenam exonerationem afflictorum ſubditorum, mandabit Rex militem

tem tam terra, quam mari eodem quoq; tempore exauctorari & dimitti, vt nimirum deinceps ſibi priuatim viuant in tranquillitate, ordinariis tantam præſidiis retentis ac ſuffecturis.

VI.

Vt ſubditi quoque ciues & incolæ omnes citra cūctationem redeant ad mercaturas, opificia & negotia pacis, quibus ſe, vxores, liberóſque citra iniuriam proximi honeſtè ſuſtentari valeant, & à publico armorum vſu, antea non conſueto, & pacis tempori non conuenienti deſiſtant & abſtineant.

VII.

Vniuerſæ exactiones, impoſitiones, cæteraque inuſitata vectigalia & onera præſentium turbarum occaſione quomodolibet indicta penitus ceſſent, & tollantur: ita tamen, quod ſi qua certorum onerum continuatio adhuc fore ex vſu publico iudicabitur, ſimulatque per ordines Statuum eiuſcemodi quid demonſtratū fuerit, Rex haud grauatim ſe ordinum conſiliis iuxta ac deſiderio accommodabit.

VIII.

Præterea reſtaurabitur libertas cōmertiorum & tranſitus vbiuis locorum per vrbes, pagos,

pagos, pontes, portus earũdem Prouinciarum non minus terra quam mari, perq́; fluuios & flumina, & prout factitatum ante præſentes hoſce tumultus. Nouis autem vectigalibus, & impoſitionib. abſq; Regis authoritate eatenus per hos motus de facto inſtitutis, incontinenti ceſſaturis.

IX.

Et ne qua ſemina altercationis, aut querelarum relinquantur, omnes tam Eccleſiaſticæ perſonæ, quam ſeculares, tam intraneæ quam extraneæ, recuperabunt pacificè bona ſua mobilia extantia, & omnia immobilia, titulos, debita, & actiones: iiſque ſtatim vti, ac frui poterunt, in eo nimirum ſtatu, ac qualitate, quibus in præſentiarum illa ipſa reperientur: idque dolo omni, ac fraude ſemotis, non obſtante vlla hypothecatione facta in cõtrarium. Et hoc tum in Burgundia, Luxemburgio, Hollãdia, Zelandiaq́;, tum etiam aliis quibuslibet Prouinciis, ac locis non minus ad vtilitatem Eccleſiaſticorum, quam Principis Auriaci, ac aliorum denique omnium.

X.

Similiter quoque Subditorum quilibet hinc inde etiam redintegrabitur in ſuis honoribus,

ribus, dignitatibus, beneficiis, gubernaculis, muneribus, functionibus, & officiis, planè ad inſtar prout ab exordio horum motuum extiterit. Exceptis tantum ijs, quibus cõtra libertatem, iuraq; ac priuilegia Patriæ, de vlla functione prouiſum fuiſſe demonſtrabitur. Prouiſo tamẽ, quod eiuſmodi ſpoliati denuò redintegrandi tenebuntur præſtare iuſiurandum, cuius in proximo Articulo ſit mentio. Prout facturi quoque cæteri ad nouas functiones, & officia in poſterum cooptandi, reuocando, caſſando, & annullando, quicquid hinc inde factum, decretúmue fuerit in contrarium.

XI.

Nulli admittentur ad vlla gubernacula Prouinciarum, Ciuitatum, Caſtrorum, & fortalitiorũ, Capitaneatus, aut Præfecturas militum, nec ad Cõſilia rerum ſtatus, priuatum, ſinanciarum, aliaque officia maioris momenti præter naturales Patriæ; Qui etiam ante receptionem vltra antiqua, & conſueta iuramenta Regi tanquam eorum Principi naturali præſtari ſolita, ſolenniter iurabunt in hos Articulos, eoſque promittent fideliter, ſinceréque ſeruare: ſub pœna periurij & tanquam tales puniendi.

Captiui

XII.

Captiui vtriuſque partis omnes, qui ob dictos tumultus adhuc dum detinentur ſtatim & abſque vllo pretio relaxabuntur. Niſi iam antea de eo aliud inter eos fuerit conuentum, & concordatum.

XIII.

Comes Buranus ſuæ libertati & patriæ quantocius fieri poterit reſtituetur. In difficultatibus quoque Principem Auriacum concernentibus conciliandis, poſt pleniorem earum informationem, omnis diligentia adhibebitur.

XIIII.

Decreta, diſpoſitiones, & ordinationes per D. Archiducem Matthiam, ſuóſque collaterales, & ordines Statuum à tempore vltimarū turbarum, nomine Regis emanata, pro legitimis ac validis habebūtur, ſuoſque debitos ſortientur effectus, quoad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaſpiam res, quæ ſolent eſſe poteſtatis ac diſpoſitionis ordinariæ illorum, qui tenēt locum Gubernatoris dictarum Prouinciarum: non autem in ÿs, quæ propriæ perſonæ Regis reſeruantur, aut ſi quæ factæ ſint contra iura, Priuilegia, & immunitates patrias,

trias, tam in generali quā in particulari, vel aliqui in illius iniuriam ſeu detrimentum redundarint.

XV.

Pariter etiam quarumlibet vrbium, & aliorū locorū Magiſtratus, ſeu Officiati ſuis functionibus deſtituti, alia via, ac ratione, quam iuris ordine legitimè ſeruato, aut aliàs contra Priuilegia dictarum vrbium, aut præter ordinarios, conſuetoſq; modos cùmprimis reſtituentur, & redintegrabuntur in dignitates, officiaq; ſua, nec non ad eorum creationem futuris temporibus procedetur, prout olim, & ſicut ex iuribus, moribus, & priuilegijs cuiuſq; Patriæ, Vrbis & Loci decet, ne cui facta toleretur iniuria.

XVI.

Quæ concernunt Religionem, quæ omnibus Principibus verè Chriſtianis iure debet eſſe commendatiſſima, haud poteſt Rex vllatenus præterire, quin veſtigijs Regum Catholicorum ſuorumq; Maiorum inhærendo, præcipiat, ac mandet in Prouincijs ſuis patrimonialibus retineri, ſeruarique Religionem Catholicam, Apoſtolicam, Romanam, ab omni æuo non ſolum ibidē receptam, verùm etiam ſub

qua earundē Prouinciarum ſubditi olim tantoperè floruêre, & in qua tam dictum Regem, quàm cæteros ſuos prædeceſſores, olim Prouincijs inauguratos, & mediante ſolemni iureiurando in Principes ſupremos ac naturales receptos fuiſſe, notoriè conſtat. Quæ quidem ſupradicta Religio excluſa quauis alia, liberè, pacificè, & abſque vlla impedimento vbiuis locorum, per vniuerſas ditiones Belgicas poſthac tradetur & exercebitur: prout etiam Ordines iam antea ſeipſos in Vnione generali prædicta mutuò, ac ſolemniter obligarunt, & Edicto quoq; perpetuo, ac litteris frequentibus Regi non minus poſt, quam antè turbas præſentes ſe paſſuros, & procuraturos addixerūt, & ſicut etiam iam pridem ſcripsêre ad S. Maieſtatem Imperialem: vſque adeò, quòd abſque graui nota, vt ne dicatur confuſione, vniuerſi ſtatus politici, haud poſſint in re tanti momenti proprijs ſcriptis vlla ex parte contrauenire.

XVII.

Quod verò ad Hollandiam & Zelandiam & oppidum Bommel attinet, diſpoſitioni Pacificationis Gandenſis relinquatur, ita tamen quod interea temporis in ijs ciuitatibus ac locis di-

cis dictarum Prouinciarum Religio Catholica Romana reſtituetur, in quibus tempore dicti tractatus ibidem exercitabatur.

XVIII.

Iis verò, qui oriũdi ſunt ex prouinciis, quæ in præſenti tractatu comprehenduntur, in Religione Catholica Romana viuere noluerint, Regius Mandatarius, reſpiciens ad præſentem Statum Belgii, concedet terminum quatuor annorum computandorum à die publicationis præſentis tractatus. Infra quem terminũ ab omni coërtione & moleſtia, occaſione placitorum Religionis ſibi inferenda, exempti & immunes erunt. Niſi cum conſilio ordinum Belgii legitimè ac debitè in loco tuto, vbi ſuffragia libera eſſe queant, congregandorum, dictus terminus abbreuiatus fuerit. Poterúntque interim de Statu ſuo maturè ſecum deliberare. Quo termino elapſo, niſi ad dictam Catholicam Romanam Religionem redierint, omnino è Belgii prouinciis recedere, & aliò domicilium transferre ac viuere teneantur. Prouiſo tamen, quòd interea temporis eiuſmodi ſubditi, à ſcandalis, ac rerum perturbatione ſtudioſè abſtineant. Quo caſu etiam liberrimè fruentur omnibus ſuis bonis,

tam mobilibus quam immobilibus, iuribus a-ctionibuſque. & poterunt ea ipſa qualiacunq; fuerint etiam aliò transferre, ſeu vendere, aut alienare prout eis videbitur. Imò & hoc amplius (ſi modo bona ſua retinere malint) etiam poterunt abſentes ad eorundem bonorum regimen, adminiſtrationem, & receptionem in prouincijs ſibi eligere Quæſtores Catholicos, qualeſcunq; volent. Ac præterea toties, quoties voluerint, ad prouincias iterato redire, victuri tamen ritibus, ac moribus priſtinis, & vt perſonas Catholicas decet. Eritq; huiuſcemodi reditus ac facultas bona admini ſtrandi per ſe cuilibet bona fide permiſſus, ſtatim atq; Paſtoribus, Officiatis, ac Magiſtratibus locorum, ad quæ redire cupient, talis intentio ac voluntas inſinuata fuerit. Ex qua quidem Regali indulgentia, nulli non perquã manifeſtum redditur, quod rex nihil minus, quam bonorum confiſcationes, ruinam & perniciem ſuorum ſubditorum appetat: multò autem minus quòd rigore ſuperiorũ Placitòrum ipſos perſtringere conſtituerit: cùm vel etiam paratiſſimus ſit, ea ipſa placita cum conſilio Ordinum ſtatus, competenter temperare ac moderari.

Aucto-

XIX.

Auctoritas, & obedientia Regi à ſubditis cũ primis reſtituetur & ſeruabitur, qualis merito iuxta præſcriptum Diuini & humani iuris, nec non priuilegia, vſus, & conſuetudines patrias eſſe debet, qualiſque olim ſeruata eſt, vt rectè nimirum adminiſtretur iuſtitia, ſubditi regantur in omni ratione, æquitate, quiete, & obedientia, idq; ad eam formam, modumque, quo factum eſt ab omni memoria tam defuncti Imperatoris Caroli V. eiuſque prædeceſſorum, quam etiam à Regis tempore, vſq; ad harum turbarum initia, etiam cum obſeruatione ſupra dictorum tractatuum, ſimul & præſentis. Sine cuius auctoritatis inſtauratione, ac ſubditorum obedientia nequaquam poſſibile eſt, populum in vnione, concordia, rectaq; iuſtitia, quiete, ac tranquillitate manuteneri.

XX.

Supereſt de Gubernaculis generalibus dictarum Prouinciarum; quarum occaſione Rex eliget Principem de ſanguine, qui, quæue rerum experientia pollens habeat dotes & qualitates ad eius generis arduum munus cum primis neceſſarias, & de quo ſeu qua ſubditi iu-

ſtam cauſam ſatisfactionis ſint habituri. Gubernabit autem cum omni iuſtitia, & æquitate, præſertim verò ſecundum vſus, iura, conſuetudines, & priuilegia dictarum Prouinciarum, etiam comprehenſo hoc præſentis reconciliationis Edicto, quod tenebitur promittere & iurare.

XXI.

Ad cuius quidem Gubernatoris generalis manus, citra vlteriorem hæſitationem, planè ac integrè tradentur omnes, & ſingulæ ciuitates, vrbes, fortalitia, & alia loca, quæ ab vna alteráue parte, quocunque titulo aut prætextu modo tenentur, vna cum patrimonio ad Regem pertinente, tormentíſque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis, & nauibus: Vt nimirum ea loca, quæ ab omni memoria præſidium habuerunt conſilii Regii ſenatus, ſiue Conſilii ſtatus, naturalibus Belgiis aſtringendis iureiurando, quod vltra antiqua & conſueta iuramenta Regi, tanquam eorum Principi naturali, præſtari ſolita, hos Articulos fideliter ſeruabunt, cuſtodienda committat, aliaſq́; de illis diſponat: ſicuti ſeruitio Regis, ſimul & commodis, ac ſecuritati prouinciarum magis expedire arbitrabitur, & aliàs prout

fieri

fieri decet, factúmque fuit ante motus præſentes.

XXII.

Permittente nihilominus Rege (& quidem merè in huius reconciliationis gratiam) vt quod hactenus ex eius Patrimonio ſeu populi ſubſidiis deſumptum & collectum fuit, id ita collectum, receptumq́ maneat abſq́ vlteriori perſecutione, ſeu vexatione cuipiam mortalium eatenus inferenda. Ita tamen, vt in poſterum ab eiuſmodi detentionibus, occupationibus & collectis deſiſtatur.

XXIII.

Pacificatione Gandauenſi, Vnione generali Statuum ſecuta, & Edicto perpetuo Bruxellenſi, ſuprà ab initio poſitis ſaluis, Ordines Statuum renunciabunt aliis omnibus fœderibus, pactis, mutuiſq́ ſponſionibus contractis, occaſione dictorum tumultuum, tam intra, quam extra Prouincias.

XXIIII.

Comprehendētur hoc tractatu Regina Angliæ, & Dux Andegauenſis. De cæteris concernentib. expeditionē, Confirmationem, publicationem, perpetuamq́, & firmam obſeruationem huius Pacificationis, poſtea agendum

erit, cùm omnia fuerint concordata & concluſa. Datum Coloniæ die 18. Iul. 1579.

Parmenſis interim exteros vndiq; 1. Nou. milites dimittit, & præſertim Louanio Hiſpanos, & Italos, Hannonienſes verò & ſui, ne ipſi promiſsionibus deeſſe viderentur in locum dimiſſorum alios ſubſtituunt, patriæ milites, quorum quidam ante, 13. Nouemb. quidam poſt, 16. Nouemb. noctu ingrediuntur Louanium. Expectabatur interea etiam per Regem ipſum facienda ratificatio, quoad Articulos ab Hannonienſium & Artheſienſium prouinciїs, alїſq; Ciuitatibus acceptatos, quos adſcribere vel ideo neceſſarium putaui, quòd horum nomine Malecontenti, quos vocant, ſiue Regӱ, contra pacem deteſtãtes reliquos ſtatus, ſe bellum non iniuria pro pace reſtituenda, ſibi pollicentur atq; perſuadent. Sunt autem Articulorum conditiones ordine tales.

I.

Primum, Decernimus vti tractatus Pacificationis Gandenſis, Vnio, Edictum perpetuum & Ratificatio ex noſtra parte ſubſecuta maneant in ſua vi & pleno robore, vtq; re ipſa in omnibus ſuis punctis & Articulis effectui mandentur.

Et

II.

Et vt melius reſtituatur confidentia noſtrorum ſubditorum & mutetur in bonam vnionem & concordiam ad honorem dei, conſeruationem Religionis Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ. Obedientiam nobis debitam, ſimul etiam pro vtilitate & tranquillitate noſtrarum ditionum conceſſimus & concedimus obliuionem omnium eorū quæ poſſunt eſſe dicta vel facta quocunque modo, ratione, aut caſu, a tempore primorum motuū, & illorum cauſa: ita vt nulli iudici, aut procuratori fiſci, nec alijs liceat deinceps vlli ea exprobare, aut in aliquem ob ea inquirere. non magis quam ſi nunquam accidiſſent, ordinando vt in hūc finem omnes ſententiæ, Decreta, & Arreſta, pronunciata tam in his ditionibus, quam quibuſcunque alijs, quæ ſub noſtra iuriſdictione ſitæ ſunt cauſa motuum præteritorum aboleantur, & extinguantur radicitus, ex regiſtris, ad exonerationem abſolutionemq́; omnium eorum quæ adhæſerint vni aut alteri parti contrahenti, ad quem finem interdiximus & nihilominus interdicimus & inhibemus omnibus indifferenter cuiuſcunque gradus, qualitatis aut conditionis, ne quid exprobrent ſibi mu-

tuò occaſione præteritorum, in qua obliuione non ſunt comprehenſi, communes inimici nòſtri, & dictarum reconciliatarum prouinciarum banniti, relegati, vel in ius vocati, quod conſpirauerint in aliquam ciuitatem.

Sub aduentum Albani Ducis, non tam Auriacus Princeps, cæterique quamplurimi nobiles ac proceres; quàm etiam alij, cuiuſcunq́ conditionis homines, è Belgio diſceſſerunt, quorum, quia Aquiſgrani ſedem aliqui figentes, nouæ Religionis ibidem fundamenta ſic iecerunt, vt, ad euitandos tumultus, in Belgio accidere ſolitos, Magiſtratus publicis edictis, atque etiam de domo ad alteram factis inſinuationibus, grauiſſima ſub pœna vetuit, ne ſe quis ſuorum Ciuium, nouæ huiuſmodi Religioni, vel eius exercitio immiſceat, eidemque contra mandatum adhærere temerè præſumat. Malecontenti autem, vt Articulos hos ſequentes, ac præcedentes, non verbis, ſed facto, req́ ipſa confirmarent; Statibus inimicis ſuis, Cortracum oppidum 27. Febr. adimunt.

III.

Ratum quoque habemus (inquit Hiſpaniarum Rex) ratumque habuimus, quicquid in dictis

dictis prouincijs reconciliatis prouiſum, collatum & conceſſum eſt, à fratre & nepote noſtro Archiduce Matthia, ordinibus & conciliõ ſtatus, quouſue ſcilicet poteſtas ordinaria noſtrorum Gubernatorum & locumtenentium Generalium in Belgio noſtro ſeſe in hunc diem extendit. Et quantum ad prouiſiones nobis ſpecialiter reſeruatas ad inſtantem requiſitionem, & ſupplicationem dictorum ſtatuum, eas ſimiliter confirmauimus, & confirmanus pro hac vice niſi nobis conſtiterit perſonas eas, quibus prouiſio facta eſt non eſſe Catholicas, & vt decet qualificatas ad obtinendum dictas prouiſiones & munera exercendum, ea tamen lege, niſi repugnet Pacificationi Gandauenſi, Vnioni, edicto perpetuo, iuribus, Priuilegijs, et libertatibus Prouinciarum, tam in genere quam in ſpecie, reſeruatis nihilominus omnibus prouiſionibus quæ factæ fuerunt à 17. Maii vltimo clapſo, quæ habebuntur pro nullis, non comprehenſis etiam prouiſionibus Conciliorum ſtatus, Secreti, & financiarum.

Dum hæc peraguntur moritur Sereniſſima, Maximiliani II. Imperatoris æternæ memoriæ, filia minorẽnis, Leonora, Pragæ in Bohemia.

mia. Proſcribitur paulò poſt Auriacus, à Rege per Gubernatorem ſuum, Alexandrum Farneſium, in oppido Traiecti ſuperioris. Occupatur 30. Mart. admotis ſcalis vrbs Ninoua, ab ordinum Statuum milite, Lanoio Britone Duce, capitur in ea vterque Egmondanus, qui poſtea Bruxellas mittuntur, Lanoius autem ad Archiducem Matthiam, Antuerpiam proficiſcitur, vbi inter cæteros ſermones conuiuij, Hiſpanos à militia ſingulariter laudaſſe audiebatur, rei militaris prudentiſſimus, & experientia bellica peritiſſimus Athleta. Laborant terræmotu, triduo poſt, Anglia, Holandia, Zelandia & Flandria, &c.

IIII.

Neque inquiremus, vel inquiri curabimus, in quemcunq; ob demolitionem arcium, fortalitiorum, eaque arces, & fortalitia, non poterūt in prouinciis reconciliatis denuò ædificari, aut noua erigi, ſine expreſſo cōſenſu Statuum cuiuſcunq; prouinciæ ſpecialiter.

V.

Item concedimus, ſtatuimus, ordinamus, vt omnes & ſinguli noſtri milites, Hiſpani, Itali, Albani, Burgundiones, & alij quicunque extranei, non grati Statibus, hunc præſentem tracta-

tractatum acceptantibus, diſcedant è noſtris inferioribus ditionibus ſiue Belgio, præſertim ex Ducatu Luxemburgio intra ſex hebdomadas proximas ab horum publicatione, aut citius ſi corpus exercitus, de quo infra dicetur, prius confici & erigi poterit, & quæ ante diſceſſum eorum requiruntur, prius parata fuerint, certè vt in omnem euentum diſcedant intra dictas ſex hebdomadas, quandoquidem dicti ſtatus, promiſerint nobis diligentiſſimè cum delegatis noſtris ſine fraude curaturos, vt dictus exercitus paratus ſit in diem diſceſſus exterorum præfinitum, & intra ſex alteras hebdomadas ſequẽtes ex Ducatu Burgundiæ, ita vt reuertendi in dictas prouincias inferiores aut Belgium ipſis poteſtas adimatur, aut vlli alÿ induci poſſint, quamdiu externo bello vacamus, & Generaliter, niſi opus ſit, & vrgeat neceſſitas præfatis Statibus nota & probata, quemadmodum etiam dicti Status curabunt educi omnes Francos, Anglos, Scotos, & alios extraneos, vt in quos imperium & authoritatem habent.

VI.

Dicti quoque milites Hiſpani, Germani, Itali, Burgundiones, & alÿ quicunque exeuntes ex

tes ex arcibus & oppidis, cogentur relinquere omnem commeatum, tormenta bellica, & munitiones, ibidem exiſtentia, & quantum ad tormenta bellica ex arcibus ſumta, reddentur & reſtituentur prima opportunitate in locum vndè deſumpta ſunt, præcluſa omni licentia auehendi ea quamque extra Prouincias, eaſq; arces & oppida cum dicto commeatu, & munitionibus ibidem exiſtentibus, nos committemus, illas quidem quæ ſub Gubernatore Hannoniæ intrà viginti dies à publicatione huius, reliqua vero vbicunq; ſita ſunt, intra alios proximos viginti dies, hominibus indigenis inferiorum Prouinciarum ſiue Belgij qualificatis ſecundum eorum Priuilegia: gratis ſtatibus prouinciarũ reconciliatarum reſpectiuè.

Moritur Carolus Fuggarus, Germanus ex calculi doloribus, in Hannoniæ Montibus; alij Bouinæ oppido eum obijſſe ſcribunt.

Aquiſgrani, Ciues quidam nouæ Religionis, poſt multas ſecretò habitas conciones, tandem in publicum erupturientes, petunt per ſupplices libellos, conſulibus porrectos, ſibi templa concedi ad concionandum, & Religionem ſuo more exercendam: quarum vnam Auguſtana con-

na con-

næ confeſsionis : alteram Eccleſiæ reformatæ intitulant. Et quia ex binis ibidem conſulibus vnus eorum religioni fauebat, res in tumultũ euaſit, ciuitaſq; in ſe 10. Maii diuiſa eſt.

Eodem die quo Parmenſis Princeps Montium oppidum in Hannonia, centum equitibus ſtipatus, ingreſſus eſt: capitur Lanoius ille Brito, partim cæduntur quindecim eius ſigna peditum, in Flandria prope Cortracum, partim in fugam conÿciuntur à Malecontentis, de quorum acceptatis Articulis, ordinem perſequemur, à ſeptimo incipientes.

VII.

Quo tempore diſceſſus & abitus præfatorum extraneorum pendente, nos cum dictis prouinciis reconciliatis, noſtris ſumptibus & expenſis, conficiemus corpus quoddam militum, ex indigenis Prouinciarũ, et aliis gratis nobis, ac iiſdem Prouinciis; ea tamen condicione, quòd præfatæ Prouinciæ nos ſuo ſubſidio iuuabunt, iuxta Articulum viceſimum ſubſequentem, ad manutenendam Religionem Catholicam Romanam : & debitam nobis obedientiam: ex forma Pacificationis Gandenſis, Vnionis, Edicti perpetui, & huius præſentis tractatus in omnibus ſuis Articulis.

Manda-

VIII.

Mandamus quoque Statibus & Gubernatoribus, tam generalibus quam particularib. Conſiliis & Magiſtratibus Luxemburgicis et Burgundicis, manutenere, & non pati diminui aut præiudicari in re vlla, Edicto perpetuo, & huic tractatui, in vllis ſuis punctis & Articulis; item non permittere vllis militib. tranſitum aut ingreſſum, in præiudicium harum Prouinciarum, & de his omnibus præſtare iuſiurandum & inſtrumentum publicum idoneum, & ſufficiens; quemadmodum etiam ſtatus reciprocum ex ſua parte facient ſuum debitum officium; ad eundem finem, vt commertia, & communicationes ſint tuta & libera, inter dictas prouincias ſicuti fuerunt præteritis temporibus, cum omni ſecuritate.

IX.

Vt omnes captiui vtrinque liberentur, ſtatim poſt promulgationem præſentium, quatenus erunt in ipſarum poteſtate, ſine vllo redemptionis pretio.

X.

Quantum ad bona detenta, arreſtata, & contrectata hinc inde à Pacificatione Gandenſium, tam in inferioribus noſtris Prouinciis, quam

quàm in Burgundia & alibi; quilibet redibit ſtatim, in ſua bona immobilia: in mobilia verò quilibet etiã redibit, quatenus non fuerint alienata, authoritate & mandato iudicali, vel per Magiſtratus ad id coactos tumultu populari, in quibus comprehendentur bona captiuorum detentorum à Gandenſibus, & alijs factionibus eorum. Quoad reditus & onera ſuper ijſdem bonis, obſeruabuntur, & quæ diſpoſita ſunt 14. & 16. Articulis Pacificationis Gandauẽſis, habito reſpectu ad diem natiuitatis Sancti Iohannis Anni 1579.

XI.

Manutenuimus etiam & manutenemus, omnes Gubernatores modernos Prouinciarũ, vrbium, locorum, & Caſtellorum reconciliatorum conſtitutos antè diſceſſum quondam noſtri dilectiſsimi & Chariſsimi fratris D. Ioannis in oppidum Namurcenſe; Vti etiam illos, quibus prouiſum eſt de Gubernatoribus per mortem vacantibus. Sed quoniam ad Gubernationes conſtitutas per modum prouiſionis, propter captiuitatẽ & detentionem quorundam dominorum, illi commiſsi ad huiuſmodi Gubernationes continuabuntur, vſque ad reſtitutionem & reditum dictorum domi-

norum captiuorum, ita tamen, vt ſi dicti captiui forte moriantur, tùm prouideatur iuxta Articulum 18.

Promittimusque (inquit Rex Hiſpaniarũ) nullos ex his deſtituere, quatenus ſecuti fuerint partes ordinum durantibus his motibus, & manutenuerint Religionem Catholicam Romanam iuxta formam Pacificationis Gandauenſis, Vnionis poſtea inſecutæ, & Edicti perpetui, nec faciant poſthac quicquam quod præiudicium adferat huic præſenti tractationi & reconciliationi.

XII.

Et ad maiorem ſecuritatem ordinauimus & ordinamus iuxta formam 11. Articuli Edicti perpetui, vt ſtatus Prouinciarum reconciliatarũ omnes conſtituti in dignitatibus Gubernatores, Magiſtratus, Ciues, & incolæ ciuitatum & pagorum vbi erunt in præſidio milites: ſimiliterq́; ĳs milites, ac etiam incolæ ciuitatum & pagorum vbi non eſt præſidium, denique omnes alĳ in functionibus aliquibus munere vel officio militari, vel alio versãtes, præſtent iuſiurandum, ſe conſeruaturos Religionem Catholicam Romanam, & debitam nobis obedientiã, iuxta dictam Pacificationem,

Vnio-

Vnionem poſtea ſubſecutam, Edictum perpetuum, & hunc præſentem tractatum, & quod non recipient, mutabunt, vel admittent reſpectiuè præſidium abſque ſcitu Gubernatoris Generalis & prouincialis, & qualis ſtatus cuiusque Prouinciæ, aut ipſorum delegatorum, ſic quidem vt neceſſitate repentina ac graui vrgẽte, dictus Gubernator Prouincialis prouideat fortalitÿs, vbi ſolet habere præſidiũ militare, ita tamẽ vt milites nobis ſint ſacramento deuincti, nobiſq; militent in qualibet Prouincia.

XIII.

Promittimus quoq; non grauare, nec granari facere Ciuitates aut agros dictarum Prouinciarum reconciliatarum aliquo milite extraneo, niſi ipſimet incolæ id expetant belli aut periculi alicuius cauſa, aut ſolitum ſit ibidem eſſe ab omni tempore, quo caſu erit præſidium ex indigenis Belgÿ, ſtatibus reſpectiuè gratis.

XIIII.

Volumus & ſtatuimus, vt in omnibus ciuitatibus & pagis, vbi Magiſtratus extraordinariè renouati ſunt ab exordio motuum, reſtituãtur in integrũ ſecundũ conſuetudinem

& Priuilegia cuiuſq; loci obſeruata tempore quondam inclytæ & glorioſæ memoriæ Imperatoris Caroli Domini & Patris noſtri. Item vt res ita conſtituantur, vt dictis Magiſtratibus ſua conſtet autoritas illisq; pareatur, vti decet ne recidatur in noua denuò pericula.

XV.

Promittimus etiam (pergit Rex Hiſpaniarum) nos ſemper præfecturos Gubernationi generali Belgij noſtri Principem vel Principiſſam noſtri ſanguinis, qui quæue dotes & qualitates, ad tam arduum munus neceſſarias, & de quo vel de qua ſubditi iuſtam cauſam ſatisfactionis ſint habituri, vel ex omni ratione contentos ſe præbere debeant. Gubernabit cũ omni iuſtitia & æquitate ſecundum iura & conſuetudines dictarum Prouinciarum, iurabitq; ſolemniter, ſe manutenturum Pacificationem Gandauenſem, Vnionem, poſtea ſubſecutam, Edictum perpetuum, & hunc præſentem tractatum, in omnibus ſuis punctis & Articulis, & notanter Religionem Catholicam Romanam; nobiſque debitam obedientiam; præſignificabimuſque dictis ſtatibus, vti ſoliti ſumus, aliquo tempore antè creationem dicti Gubernatoris, quem elegerimus. Volumus

mus autem vt nepos noſter Princeps Parmenſis, pro ſummo voto quod habemus ante omnia procurandi quietem & ſecuritatem ſubditorum noſtrorum, omni officio, & induſtria promoueat, & executioni mandet diſceſſum extraneorum, & reſtitutionem locorum, vtque eodem tempore admittatur & recipiatur in Gubernatorem Generalem Belgij noſtri ad tempus 6. menſium, obſeruatis ſolemnibus conſuetis. Et pro maiori ſatisfactione & confidentia noſtrorum ſtatuum & ſubditorum habeat pro ſuis domeſticis indigenas prouinciarum & quam minimum poterit extraneorum.

Et quo magis illis gratificemur, cupimus vt numerus dictorũ ſeruorum extraneorum non excedat 25. vel 30. quibus etiam extraneis non conferetur aliqua adminiſtratio negotiorum publicorum harum prouinciarum. Habiturus tamen eſt talem corporis cuſtodiam, quam alij Gubernatores, Principes vel Principiſſæ noſtri ſanguinis habere ſoliti ſunt, arcuariorum nempè & Halabardiferorum indigenarum ad id qualificatorum, cum quo nempè Noſtro, dicti ſtatus ex hoc tempore mutuam communicationem habebunt, Ipſiq́;

ſignificabunt omnia quæ agentur & pertinebunt ad executionẽ eiuſdem tractatus, & quæ indè dependent. Fient quoque omnia edicta, mandata, prouiſiones, per nos & noſtro ſolũmodo nomine, finitiſq; præfatis 6. menſibus, caſu quo nõ prouiderimus dictæ Gubernationi in perſonã eiuſdem Principis Parmenſis, aut alterius, qui qualitatibus ſuprà dictis præditus ſit, eadem Gubernatio, ne quis tumultus, aut confuſio oriatur, adminiſtrabitur concilium ſtatuum interea, dum expectabitur noua prouiſio.

XVI.

Quod quidem concilium Status conſtituetur à nobis ex 12. viris noſtro arbitrio eligendis tam proceribus & nobilibus, quam togatis, vt moris fuit, naturalibus harum Prouinciarum, ex quibus duæ tertiæ gratæ ſint ordinibus dictarum Prouinciarum & adhæſerunt ipſorum partibus ab exordio motuum vſq; ad finem, quarum duarum tertiarum quinq; habebunt à nobis commiſſionem more ſolito, & tres reliquæ ſimplicem prouiſionem pro termino trium menſium, quibus elapſis eos poterimus, ſi ita nobis videbitur, cõtinuare aut eligere ac conſtituere alios qualificatos, vt ſuprà,

vt locus

vt locus apertus relinquatur Prouincijs adhuc conciliandis.

XVII.

Ex ſententia verò & concluſione maioris partis dictorum conſiliariorum; qui tenentur præſtare idipſum iuſiurandum, quod iam antè diximus, omnia expedientur, vt tempore dicti honoratiſſimi Domini & patris noſtri Imp. Caroli, & peculari nota ſignabuntur, ab vno aliquo dictorum conſiliariorum; vt obuiam eatur malis ſæpius deprehenſis.

XVIII.

Omnibus Gubernationibus, quas deinceps ad 6. vſque annos proximos continget vacare in dictis prouincijs reconciliatis præcipuè præfecturæ militum admouebimus naturales noſtrarum inferiorum prouinciarum, aut extraneos tam vnos quam alteros ſtatibus dictarum Prouinciarum reſpectiuè gratos, capaces, idoneos, qualificatos ſecundum earum Priuilegia. Quantum verò ad cõſilia noſtra, Secretum financiarum, & alia officia magni momenti attinet ſimiliter promouebimus naturales dictarum prouinciarũ, aut certè alios non naturales dictis ſtatibus gratos & acceptos, q antequã recipiãtur, tenebuntur iurare

ſolemniter in verba huius tractatus & medio iureiurando promittere, caſu quo deprehendant agi quicquam in eius præiudicium, de eo facere certiores ſtatus prouinciarũ, ſub pœna periurÿ, & infamiæ.

XIX.

Ratificauimus quoq; & ratificamus omnes conſtitutiones redditum annuorum, penſiones & alias obligationes, ſecuritates & impoſitiones, quas dicti ſtatus ex conſenſu ſingularum Prouinciarum conſtituerunt, & contraxerunt, conſtituent & contrahent in eorum commodum, qui illis auxilio fuerunt vel pecuniam numerarunt neceſſarÿs, & ſoluẽdo debita contracta cauſa belli & motuum præteritorum, iuxta Articulum 18 edicti perpetui.

XX.

Nec onerabuntur, in futurum vllis gabellis, contributionibus & impoſitionibus, aliter aut alia forma & ratione quàm onerabantur tempore & imperio quondam Domini & patris noſtri Caroli V. & ex conſenſu ſtatuum cuiuſq; Prouinciæ reſpectiuè.

XXI.

Omnia & ſingula Priuilegia, Vſus, Conſuetudines, tam in genere quam in ſpecie manutenebuntur,

nebuntur, & ſi qua violata ſunt, reparabũtur & reſtituentur.

Mittuntur 22. Iul. Legati à ſtatibus Belgij, ad Ducem Alenconium, quibus ſe, patriamq; ſuam Belgicam, certis conditionibus, abiurato Rege Hiſpaniarum, ipſi offerunt. Quare Illuſtriſsimus Princeps, Matthias Archidux Auſtriæ, vocatis ad ſe Antuerpiæ deputatis ſtatuum, hæc illis, his verbis ſignificauit. Quod (inquiens) ipſemet ad congregationem DD. ſtatuum Generalium non acceſſerim: ſed vos eorum Deputatos huc vocauerim plurimæ, & quidem ad præſentem rerum ſtatum ſpectantes nõ leues ſunt cauſæ quas lubens prætereo. Quamobrem apud eos cupio eſſe excuſatus. Referre illis autem velitis, me non dubitare, Dominis ſtatibus optimè notũ eſſe quemadmodum à quibuſdam Principibus vocatus, & poſtea ab omnibus generaliter conſentientibus votis acceptus, huc venerim, & in omnibus articulis promiſsis meis ſatisfecerim, afflictiſque & perturbatis rebus Reip. (priuatis omnibus poſtpoſitis) etiam cum vitæ diſcrimine me accommodauerim.

Id tantum dolens me iniuria temporis non ijs viribus ſuffultum hactenus fuiſſe quibus

pulcherrimas has Regiones ad priſtinam concordiam & quietẽ reducere potuerim, in quo tamen neq; voluntas mea nec ſtudium vnquã defuit. Cum verò DD. Status nunc hîc conuenerint vt vltimam manum proſpiciendo cõmuni ſaluti harum afflictarum Prouinciarũ adhibeant, meũ non eſt vel ordinem illis præſcribere, vel vtilitati eorum me opponere: Sed tantum admonitos rogatoſq; volo, ne antiquitatis Rom. Imp. fœderibus, alijſq; ſummis obligationibus, ſe in exterorum ſubiectionem & periculoſam mutationem temerè conijciant, ſed præclaræ domus meæ Auſtriacæ fauorem erga eos & amicitiam conſiderent, cuius cum ſim membrum, Peto à DD. Statibus, vt quid in animo habeant erga meam perſonam & domum, apertè declarent, quò deinde res meas & conſilia dirigere poßim (& cum Status generales promiſſi ab ijs non præſtiti admonens rogaſſet, tandem his verbis ita concludit) Cæterum meam propẽſam beneuolentiam & ſtudium illis offeretis. Exhibitum eſt hoc Archiducis Matthiæ ſcriptũ à D. Principe De Eſpinoy nomine ſuæ Serenitatis Ordinibus Belgij Antuerpiæ congregatis die 22. Iul. 1580. præſente Statuũ Secretario Houfflin qui ſignauit.

Deferun-

Deferuntur ad Parmenſem Principem 31. Iul. interceptæ quædam literæ per Auriacum ſcriptæ ad Ducem Alenconium Regis Galliæ Fratrem, quibus oblato illi Belgio, multis rationibus & argumentis eum inducere conatur, ad illud acceptandum inq; proprietatem ſibi aſſumendum: non obſtante Archiducis Matthiæ tanquam Gubernatoris præſentia, vtpote cui facile ita ſatisfieri poſſet, vt contentus Belgij adminiſtrationē relinquere, in Auſtriam ſe iterum recipiat. Et quamuis Parmēſis literarum huiuſmodi viſionem omnib. qui vellent etiam edicto publico conceſſerit, literæq; typis excuſæ, & cōmentarijs neſcio à quo in margine literarum gallicè illuſtratæ fuerint: negat tamen Auriacus in certis quibuſdam Apologiæ ſuæ annexis literis, has à ſe ſcriptas eſſe.

Iam ad Status quod attinet Antuerpiæ cōgregatos, Illi inter 27. articulos & conditiones, quibus Alenconium, ſuum in dominum aſſumunt, vltimo loco ſic inferunt.

Porro cùm Illuſtriſsimus Dominus, inquiunt, Archidux Auſtriæ, ad Gubernacula huius patriæ vocatus aduenerit, proque ſuo munere atque officio ſideliter præſtito, omnibus

promiſ-

promiſſionibus ſuis abundè ſatisfecerit; Non immeritò, à Prouinciis ſimul & ab ipſo Domino Alenconio ſeu Andegauenſi Duce prouidebitur, de melioribus quibuſdam mediјs, quib. pro omni viciſſim rationabili compenſatione, Idem Dominus Archidux contentetur, quod factum 12. Auguſti.

25. Aug. acceſſere naues quædam Batauinæ ſiue Hollandicæ cum milite ad Coloniam vſq; Rhenum infeſtantes. Hinc eſt, quod Electores illi quatuor, quorum ad Rhenum præcipua iuriſdictio eſt, militibus pariter & quatuordecim nauibus 28. Aug. imperarent, Rheni fluminis nauigationem ab omni infeſtatione huiuſmodi reddi ſecuram.

XXII.

Dictæ Prouinciæ reconciliatæ tenebuntur renunciare omnibus obligationibus & fœderibus factis à Principio mutationum & motuum præteritorum.

XXIII.

Et quia Status ſentiunt ſe obligatos chariſſimæ ſorori noſtræ Sereniſſimæ Reginæ Angliæ, & Illuſtriſſimo Andegauenſium Duci Regis Chriſtianiſſimi fratri, ob ſuppetias ab јſdem acceptas, nos mittemus intra duos mēſes proximos

ximos ex eo tempore, quo nepos noſter Princeps Parmenſis & Placentiæ ingreſſus fuerit Gubernationem, perſonam quandam idoneam ad eas, ad præſtanda omnia humanitatis officia, continuabitúrque confœderatio, & priſtina amicitia cum dicta ſorore noſtra reciprocè.

XXIIII.

Et ad augendum affectum & beneuolentiam quam Principes debent ſubditis, & contra vt ſubditi magis inclinent ad venerationem & debitam obedientiam Principi ſuo naturali; Dicti Status humillimè à nobis petierunt & ſupplicarunt, vti prima occaſione & primo quoque tempore mittamus in Belgium vnum ex liberis noſtris, quem veriſimile ſit nobis ſucceſſurum in noſtris Prouincijs, vt ibi educetur & inſtituatur iuxta morem ipſorum, in omni pietate & virtute conueniente, qua in re habebimus eum, quem oportet reſpectum.

XXV.

Conſentimus etiam vt omnes Prouinciæ, Caſtallaniæ, Ciuitates, & perſonæ particulares noſtri Belgij, qui volent reconciliari nobiſcum iuxta formam & coniectionem huius præſen-

præſentis tractatus, à nobis ad id admittētur & gaudebunt eodem beneficio, quo dictæ prouinciæ reconciliatæ, modo voluntate eò deſcendant, intra tres menſes poſt realem diſceſſum Hiſpanorum ex toto Belgio.

XXVI.

Conceſſimus quoque & concedimus dictis Statibus, vt poſſint ſupplicare ſuæ Sanctitati, noſtro chariſſimo & dilectiſſimo fratri, nepoti, & cognato noſtro, Imperatori, Archiepiſcopis Colonienſi & Treuirēſi, ac Duci Cliuenſi, tanquam Zelatoribus tranquillitatis Reip. Chriſtianæ, vt placeat eis operā dare, vt tractatus iſte & pactum conuentum in omnibus ſuis punctis ad effectum perducatur, impleatur, & ſine vlla violatione obſeruetur.

XXVII.

Si verò in executione & conſummatione huius Pacificationis, & quod ab eo pendet, oriatur aliqua difficultas & controuerſia definienda poſt publicationem eius. Nos & Status dictarum Prouinciarum reconciliatarum deputabimus reſpectiuè Commiſſarios, qui omnia intelligant, componant, & executioni mandent, interea hoc obſeruandum eſt, quod per verba, grati Statibus, poſita in multis Ar-

ticulis

ticulis huius tractatus, non excludentur naturales Belgij, qui adhæſerunt vni aut alteri parti contrahentium.

Atq; ſub his quidem conditionib. Artheſienſes, Hannonienſes, Inſulenſes, Duacenſes, Orcheſienſes Regi ſuo naturali reconciliantur: Aliis verò conditionibus, quas Alenconius 19. Sept. acceptauit, Brabantini, Holandi, Zelandi, Flandri, Mechlinenſes, Friſii, &c. à Rege ſuo naturali deficiunt.

Videbatur Alenconio nequaquam conuenire, vt ad occupandas vicinorum ditiones conuolaret, cum propria domus arderet, decernit itaq; res prius componi in Gallia oportere, quã ad obtinendum Belgium animum conuerteret, ad quam cum Rex propenſus eſſe appareret, dicta ſunt paulatim collecta fuiſſe 8000. peditum Gallorum, & 600. equites ad fines Belgarum nõ procul à Samarobriga. Malecõtenti, qui iam obſidione ceperant denuò, poſt felices ſucceſſus, eam vrbem premere, inito leui prælio cum Gallicis copiis, inſigni clade coguntur ſeſe in Artheſiam fineſq; Atrebatum recipere.

Compoſitæ ſunt autem 26. Decemb. in Gallis res in has cõditiones. I. Vt poſt publicatio-

nem

nem Pacificationis ambæ factiones ſtatim arma deponant, dimittantq́; omnes copias militares. II. Vt Hugonotti intra octauum diem à publicatione dimittant omnia præſidia vrbium quas tenent. III. Vt intra alium octauum diem caſtella & vrbes ſpectantes ad Regem Cantabrorum, & quæ capta ſunt per bellum reſtituantur in priſtinum ſtatum, præter munitionem portus Santonici, quæ reſtituatur per conditionem. IIII. Vt Cantaber Gubernatorem habeat Regis obſeruantem. V. Vt Hugonotti reſtituant omnes vrbes intra duos menſes pro pactionibus Anno 1577. VI. Vt Alẽconius Princeps has pactiones exequatur. VII. Vt omnes Magiſtratus ſeuerè & acriter animaduertant in repugnantes edicto pacis, vel impedientes eam conantes exequi. VIII. Vt omnia Caſtella & vrbes ſpectantes ad Catholicos & priuatos vtriuſq; factionis ſiue Religionis, reſtituantur ſuis dominis, cum ea libertate, qua prius & ante has moleſtias fruebantur. IX. Ne Religio Hugonottica palam habeat conciones in locis Regi ſubditis. Quibus rebus ita compoſitis viſa eſt res Gallica aliquantulum à grauibus diuturniſque moleſtijs reſpirare.

Prin-

Princeps Parmenſis Internuntios miſit 1581.
Hollandis(ſicut antea 8. Septembris Bruxellenſibus) qui ab iis petant, vt pacem Gandenſem recipiant potius, quam bellum cum ſuo Rege, quem clementiſsimum ſint experturi, gerant, Itaq; declarent ea in re animum ſuum Regi.

26. Ian. Publicatur in Galliis pax. vt Alenconio expeditior ad Belgium occupandum via præſtruatur. Et licet Montibus Tuba ſignificatum, vt ſi quis autographum Epiſtolæ, quæ nomine Auriaci ad Alenconiũ prodiit, videre velit, vt dictum eſt, illi liberũ ſit: offert tamen Auriaeus ſaluum conductum, in eum finem vt illi mittatur Epiſtola, & ſi compertum fuerit hanc vel à ſe vel ab alio ſe iubente, conceptam vel ſcriptam eſſe: contentus eſt eueſtigiò Belgium relinquere ſeq; alio conferre, ſed hoc non cupiuerant ſtatus Belgici coram quibus hæc per litteras obtulit.

31. Mart. Leodii Clerus, Nobilitas, oppida, & ferè omnia Ciuitatis collegia ſiue opificia, quæ ſunt numero XXXII. (vulgo les trentedeux Meſtiers) conuenit & decernit: Vt in ſubuentionem; rebus hoc rerum ſtatu ne-

Nn *ceſſariis*

ceſſarijs tuendæ ditioni: iam, in ſingulas Ceruiſiæ amas, quas vocant, duo ſtufferi Brabantici; in ſingulas vero vini externi, XXVIII. ſtufferi, ſoluendi imponerentur.

Dum hoc Decretum de more ferretur & publicaretur: Ceruiſiarij coctores, ſupplicibus libellis, & conteſtationibus, prouocationibusq́; intercedebant, ne fieret, ſeq; opponebant. Vbi viderunt hoc ſibi non prodeſſe, imò verò Decretum executioni demandandum eſſe illi opem opificij fabrorum implorant, quo numeroſiſſima plebe conſtet: Statim hoc opificium: neſcio quorum artibus incitatur. Duûmq; Viri adiguntur, vt illorum hoc priuatum decretum, quo contributionis collatio denegatur, ex Ciuica pergula ſiue ex vmbone clangentibus tubis pòpulo prælegeretur. Hæc cōtributio conceſſa erat, recepto in Epiſcopum Erneſto Bauaro.

20. April. Scribit Alenconius Aldegondo ex Cortras, & promittit intra diem 20. futuri menſis, ſe militem ſuum miſſurum, ad liberandam Cameracum, ab omni inimicorum oppreſſiòne, quemadmodum id eſſet intellecturus latiùs, per Dominum Bruneaux, quem breui venturum dixerat. Rex Franciæ interim,

interim,

terim, videtur publicis Interdictis, vndiq; per Regnum ſuum publicatis, fratris propoſitum velle impedire, ne miles pro eodem conſcriberetur, ſed conſcriptus è veſtigiò diſſiparetur, executio autem nulla eſt ſubſecuta.

Poſt hæc Alenconius, ex Alenconio dat literas, ad Status Belgij, ijs abunde omnia promittit, ſeq; breui venturum, atq; eos in priſtinam libertatem vindicaturum, omniaq; præſtiturum quæ promiſiſſet. Prolixè ſcribit etiam ad ſummum Franciæ Parlamentum, ſiue Concilium quod vocant Pariſienſe, ſuumq; conatum in Belgium ab vtilitate atque honeſtate, cæteriſq; medijs ad hoc excogitatis, commendat, Regemq; ad propoſitum hoc ſuum comprobandum induci ab illis expetit.

28. Iun. Inuadunt Regij, Duce Domino de Altapenna, filio Barlemontij, Bredanũ Principis Auriaci oppidum, quadraginta præſidiariorum militum, qui arcem tenebant, conſenſu; quos Inſii Cameracenſis arcis præfecti frater, ſtatuum eo loci captiuus, promiſſis ac pecunijs corruperat: quorum inſtitutum, cum ex arce diſploſis tormentis, ciuibus innoteſceret: conſtanti ſeſe animo opponentes, ſtrenuè ab hora quarta matutina vſque

 adocta-

ad octauam dimicarunt quidem, ſed viribus impares, deſideratis ex ſuis plus minus trecentis, victi tandem, hoſtibus cedunt, qui magnam à captis Ciuibus nacti prædam, ingẽtes Bredæ pecunias, pro redemptione à Bredanis extorquent. Diſceſſit diebus aliquot antè, indè Mauricius Auriaci filius. Parmenſis, ne à ſtatibus oppidum recuperari poſſet, mittit alijs militibus in ſubſidium, octingentos pedites; & Epiſcopum Ruremundanum, qui collapſam ibidem Religionem Catholicam, cum Ieſuitis reſtauraret.

Obijt 3. Iun. Archiepiſcopus Treuirenſis, qui octiduum tantum decubuiſſe ſcribitur. Georgius Lalanius Gubernator Friſiæ Parmenſi ſcripſit literas, de felici ſucceſſu in Friſia ad Schaphalſtenſiel, à VVaretſiel, VVetſum & VVinſum loca ibidem obtenta.

Facta eſt poſtea 18. Iun. Triumphalis illa inauguratio, Reuerendiſſimi Illuſtriſſimiq́ Principis ac Domini, D. Erneſti Bauari, Epiſcopi Leodienſis. Cui interfuerunt. Ferdinandus frater Epiſcopi, Dux Bauariæ, Gulielmus Dux Cliuiæ, Dux Areſcotij, Marchio Badenus, Georgius Luchtenburgius, Prinz de Chimai. Dux Niuernæ, Comes Chriſtophorus Ten

gius,

gius, VVineburgius, cum multis alijs Comitibus ac Baronibus, quos breuitatis cauſa prætereo. Carmen duntaxat ſubiiciens, inaugurationis annum ac diem continens.

En VbI MarCeLLI ſoLennIs CirCVLVs Inſtat,
Paſtor oVesLætans tentat adIre ſVas.

Fuit menſe Iulio, Antuerpiæ, Gallica prius, poſtea Teutonica lingua, conceptũ Edictum ordinum Generalium Prouinciarum Belgii, quas vocant, vnitarum; nomine, promulgatum. Cuius argumentum ac ſumma ſic habet. Declaratur propter rationes amplè atq́; diffusè in eo contentas, Rex Hiſpaniæ cecidiſſe Dominio & principatu dictarũ Prouinciarum. Et inſuper prohibetur; vſus, inpoſterum, eius, in iiſdem prouincijs, inſignium, & Sigilli, & vſurpatio nominis eiuſdem.

Matthias Archidux Auſtriæ Imperatoris frater, videns ſe omni adhibita diligentia, apud Status Belgicos, nihil efficere potuiſſe, quò minus 29. Iulij in Haga Comitis, ac poſtea etiã Antuerpiæ publicè, Regem ſuum, naturalemq́; Principem, abiurarẽt, alienumq́; in dominũ aſſumerent, amplius adhærere illis noluit, ſed Antuerpia diſcedens bona cũ ordinum

gratia, per Cliuiam rectà appulit Coloniam.

Circa finem menſis Octobris, ſumptum eſt in Hiſpania ſupplicium de quodam Ioanne dicto de Caſtilia, qui in quatuor partes equis diſtractus eſt, poſtquam lingua priuaretur: cauſa fuit, quia cõperiebatur miſiſſe Auriaco (à quo annuè 300. coronatos recipiebat) omnes notas & ciffras, quibus ſecretiora literis committebantur, & reliqua ſecreta eidem Auriaco, quæ in Cancellaria Sayæ Secretarii, ſcire nanciſcique potuit. Sayæ autem rerum Belgicarum expeditio commiſſa eſt, iam per totos ſexdecim annos. Ioãnes ille, præcipuus erat eius ſcriba, & cui Sayas maxima, immò omnia confidebat. Hic Ioannes, erat natus Brugis, patre mercatore Hiſpano, qui foro ceſſerat. Patrem effecerat præfectum ſolutionis impenſarum, quæ tormentorum cauſa fiunt (vulgo Hiſpanicè Pagodor dell Artilleria) in Belgio. Notas illas ab anno ſeptuageſimo primo, ad huncvſq; annum octuageſimum primum, ipſe Auriaco omnes miſerat. ſolent verò ſingulis ſemeſtribus, vel etiam trimeſtribus renouari. Integro ergò decennio notas illas Regias prodidit, pecunia nimirum coëmptus. In iis tradendis

dendis Auriaco vſus erat opera cuiuſdam militis Luſitani, qui vna cum Hiſpanis præſidiarius fuit Arcis Antuerpienſis. Vterq; igitur nunc poſtremo captus eſt in Hiſpania.

Ineunte menſe Nouembri, Dux Alenconius ex Francia profectus eſt in Angliam, & ibi manſit, vſque ad initium Februarii anni ſequentis. Interim Imperator Aquenſibus ſerio litteris mandat obſeruationem Religionis Catholicæ & eiectionem Caluiniſtarum, è ſede regia Romana. Matthias Archidux Auſtriæ, poſtquam in itinere à Cliuiæ Duce, pro dignitate magnificè fuiſſet exceptus, & tractatus, deinde Coloniam appulit, ibiq; manſit vſque ad 28. diem Ianuarii inſequentis anni 1582.

Princeps Parmenſis obſidere cœpit Tornacum 17. Octobris. Poſt aggeres factos, cuniculos autem actos, adſultus tentauit, à quibus fuit repulſus. Tandem nouum aſſultum mouit, poſtquam deieciſſet aliquot turres: & pro pugnaculum cepiſſet, & duas turres, & nouos etiam excitaſſet cuniculos. Cuniculorum vnus erupit, æquati ad foſſam muri fuere & diruti. Miles igitur adſiliens, cum in foſſam veniſſet & murum conſcenderet: eapars ad

foſſam inferior muri, tecta à foſſa manſerat & à tormentis illæſa. Quamobrem, miles murum conſcendere prohibitus, pedem retraxit. A tergo autem petitus, cladem accepit. Adeò vt ad quindecim cæſi, & vulnerati circiter quingenti. Alij, de ſexcentis ſcribunt, alij de ſeptingentis

Mortuos quinq; præcipui nominis proceres dixerunt. Inter ceteros. Vallius (le Comte de Buſquot) lapide læſus in capite, obiit. Læſi verò, Billius in capite, Montinius in Naſo, Burſius in Tibia, Marchio Verambonus Burgundus in crure leuiter. Tandem obſeſſi de deditione egerunt. Ad muros, ſupra conſiſtebāt, Supplices in genua procumbentes, pileos & Galeros, & pallia deiicientes; vt oſtenderent animum veniæ cupidum. Scripſerunt itaq; litteras Raſſengenio, vrbem deditione offerentes.

Dictæ fuerūt hæ cōdiciones. Miles præſidiarius, vrbe cum armis diſcederet, vna cum bonis, quæ haberet, ferrèq; poſſet, Vrbs præſidium reciperet, quod Rex vellet imponere. Ciui cuilibet vrbe diſcedere liceret, Vna cum mobilibus bonis, vel manere. Iurent, qui manſerint fidelitatem Regi; & Catholicæ Religioni.

Princeps

Princeps Eſpinoya, vxor nimirum Principis Eſpinoy, vrbe vna cum omnibus quæ ad ornatum corporis ſunt, veluti, Iocalibus & ſimilibus bonis diſcedat. Vrbs pendat Regi, centum coronatorum aureorum, qui poſtoleti dicuntur millia in ſolutionem ſtipendiorum militi. Nemo verò vrbe egredi poteſt, quin prius quotam ſibi impoſitam, ratione ſoluendorum illorum centum millium aureorum, penderit. Atq; hæ quidem ſunt conditiones.

Poſthæc nihil, quod ſtylo dignum iudicetur, accidit, niſi quòd 18. Mart. ſingulari triumpho illuſtriſ. Dux Alenconius Antuerpiæ exceptus ſit: qui triumphus, ſatis abundè à typographo regio, Plantino ſcilicet, idiomate Gallico, & figuris artificioſis depictus eſt: quẽ conſulas. 1582.

Aduenit menſe Iulio anni præteriti ex Hiſpania in Belgium Adoleſcens quidam, nomine Ioannes Iauregnius Bilbano Cantabriæ Metropoli oriundus; & in Gaſparis Anaſtri Cantabri, Mercatoris, cui ſanguine iunctus erat; viri admodum diuitis; probe Brugis (vbi aliquandiu Hiſpanicæ nationis conſul vixit) cogniti familiam, fuit Antuerpiæ pro eius Cubiculario receptus. In ea enim vrbe, modo idem

dem Gaſpar degebat, Calendiſque Martij fore ceſſit, alieno ducentorum ſexdecim millium florenorum ære grauatus, ſuane, an aliena culpa; iniquáue fortuna, an de induſtria fallendis creditoribus; non dicebatur: ſed cum fide apud mercatores auctoritatéque valeret: multas ab ijs merces accepiſſe, quas dein, alijs innumerata pecunia diſtraxerit. Diſceſſit verò, ſaluti ſuæ, propter futuram cædem conſulturus, paucis ante diebus Antuerpia; quam ſe Adoleſcens ad eam patrandam accingeret. Paſſus erat, tempeſtate cladem in duabus nauibus, ad Dunkercham, ex quibus merces ad littus expoſitæ. Damnum erat decem millium florenorum. Credebatur hic, qui animo ſit elato, quiq; etiam publicè, propter Religionem malè de Auriaco loqueretur, adoleſcentem eo cohortatus. Cuius ad eũ literæ fuerũt repertæ: quibus monebat, tectis verbis, vt ſclopeto globos duos imponeret, & impeteret Auriacum à tergo. Vterque ſupra modum Catholicæ Romanæ Religioni fuit deditus, & eius exercitiis. Hic enim, etiam oſſa & capita vndecim millium virginum, Coloniæ hîc impetrari; & in Hiſpaniam mitti procurauit. Adoleſcens, Roſarij, quod appellant, cœtui & fraternitati

nomen

Del principio vengo

nomen dare cupiebat. Sacerdoti Dominicano ab Anaſtri diſceſſu crimina confeſſus eſt adoleſcens, biduo ante facinus, ſacrámque ſynaxin ſumpſit. Quo fit, vt nullo præmio incitatus fuiſſe putetur, qui ſe maximè ſtatim cædendum non ignoraret, ſaltem, ſe ſtipatorum corporis Auriaci manus non euaſurum.

Sola ergo Catholicæ Religionis affectione, cœlum rectè ſe petiturus perſuaſus, ſi faceret, eum impulit, vel animi quædam excelſitas, vel boni publici, ſeu terrenæ fortè gloriæ opinio. Ipſum enim, vt ex ædibus ad facinus exequendum deceſſit, capſulari, ſodali ſuo domeſtico fertur dixiſſe, Eo inquit, eo: vt terrarum orbem, ſæuo maximoq; Tyranno liberem. Ac licet ſecus fortaſſe Belgæ nunc ſentiunt; poſtea tamen inquit, probabunt, id quod ſe facturum antea ſæpè iactarat. Tyrannum nominabat Auriacum, quod ei ſuæ Religionis libertatem tolleret. Cur verò Mercator ille hoc facinus promouerit: an Religionis ſuæ tuendæ cauſa, quod magis videtur: an alterius iuſſu, an vt præmio XXV. millium coronatorum, ꝙ edicto Regio Auriaci percuſſori conſtitutum eſt, an priuato aliquo odio: an ſecus: coniectura tantum;

tum; quæ plerunq; fallax eſſe ſolet: aſſequendum eſt. Adoleſcēs itaq;, diem ſolis, (20. Mar. ſcil.) qui Alenconio Duci eſt natalis, Anni Chriſti milleſimi quingenteſimi quinquageſimi quinti; ad patrandum facinus delegit, celebrem nimirum futuram diem, militaribus certaminibus, quæ poſt meridiem Alenconius exhibenda populo, tanquam ludos; indixerat: & magnifica cœna, ad quam primus omnium Auriacus; vna cum primarijs nobilibus, ſenatoribus, ac ciuibus: erat inuitatus. Hac igitur die, ſclopetum, quod dixi, capit; palmi longitudine non maius & pugionem accinxit lateri, rectaq; in Auriaci regiam, hauſta prius generoſi vini patera contendit. Eum in conclauis, vbi prandebat ianua, videlicet, ad aliud egreſſurum, à prandio; deambulans, expectat. Aduenièti, porrigit libellum Supplicem, Subſtitit Auriacus. erat hora ſecunda ſemis, à meridie. Tum ille ſclopetum incutit, in collum ſub mēto ad guttur, idq; diſploſit. Crepat ſclopetum, ex nimio puluere & adoleſcenti pollicem auulſit, pugioni nihilominus admouet ad perficiendam cædem. Sed eum Holachius comes medium corripuit. Ignis; vultum Auriaco ac barbam combuſſit, globus autem intrans ſub

ſub dextra aure exijt, vtramq; maxillam ictu tantùm perforatam; vno vel altero dente, ferũt, excuſſo; lingua & cæteris illæſis, quod mirum eſt. Tum dixiſſe Auriacum Caluiniani narrabant. Amice, quid in te admiſi (ſed hoc de Collinij Gallici maris præfecti cæde, videntur mutuati) Collabentem Comes Holachius amplexu fouit, & excepit, conſolatus eſt. Adoleſcens, eueſtigiò, ab Auriaci præſidiariorum vno, bipenni confoſſus & à reliquis ſeptem, vt aiunt, ac viginti vulneribus; caditur, vbi pugionem arripuiſſet. Primum Mauricius Auriaci filius intulit, nulla autem interiecta mora, accerſiti Medici & Chirurgi, qui Auriaci vulnus curarent, Globum infectum veneno nõ fuiſſe, omnes aſſerebant, proinde ictum non fuiſſe lætiferum. Et licet non loqueretur: ſcribere ipſum tamen, & per literas expedire negotia poſſit. Cadauer occiſi Adoleſcẽtis, quò populus aſpectu intentati ab eo facinoris auctores magis commoueretur, ſanguine quo fœdatus erat abluitur, & ex theatro agnoſcendus exhibetur: Poſtridie in quatuor partes ante domum ciuicam, diſſectum eſt. ſingulæ verò, ſupra totidem portas vrbis, ſuſpenſæ, terrendis alijs ſi qui forent, & vt ob

oculos omnibus, facti memoria & atrocitas poneretur. Aedes Anaſtri Mercatoris, populus ſtatim poſt facinus inuaſit, acque diripuit. Captus in ijs, ad vincula, ac tormẽta, eius Capſularius & cum rationum libris, ac literis qui ijs præerat rationarius, vterq; Hiſpanici generis. ex quibus libris ac literis huius facinoris, ceſſioníſque fori, ſed perobſcurè, quædam detecta, rumor fuit. Captus item Monachus ſacerdos dominicanus nomine Antonius ſummi templi paſtor, cui Adoleſcens ille, peccata fuerat confeſſus: Captus etiam, qui ſclopetum Adoleſcenti vendidit: num quid reſcire poſſint, & ancilla. Contigit ex hoc facinore maximus vrbe tota terror, tantúſque ſubitò motus, ac tot, tantæq; ſuſpiciones obortæ, vt Caluiniani exiſtimarent, factam fuiſſe per Catholicos in ipſorũ caput, Alenconio Duce, coniurationem, vel Alenconium Auriaco cædem intentare: quo liberius in Belgio rerum potiretur.

Non mediocris itaq; omnium vbique conſternatio. Vrbis enim portæ clauſæ, omnéſque in armis. Populus paſsim clamores ac voces edidit ſibi ſtrui, ac parari, Pariſienſem cædem. Quæſitus ille, & eius Franci, ad cædem. Arma porrò

porrò ſtatim ipſis tanquam ſuſpectis facinoris adempta. Hæc cum videret Alenconius, in lachrymas, nimio metu facilis, erupit. Deinde Auriacum, quam celerrimè, periculi ſui monet. Opem igitur ferret neque tardaret. Auriacus loqui poterat. Et quanquam decumberet: illius habere potius, quam ſui, rationem duxit. ne ſi ſe mori contingeret è vulnere, deeſſet, qui quam ipſe telam orditus eſſet, abſolueret Dux, qui gerendarum contra Regem rerum, & adminiſtrandi belli, ſupereſſet. Ergo, cum multa loqui, propter obligatum vulnus, prohiberetur: epiſtolam, ciuium militarium præfectis, quos illi Columnellos appellant, ſcripſit, qua Alenconio, cùm primis parci petijt, diſertiſsimis verbis conteſtatus, Alenconium, Francóſque, facinoris admiſſi non eſſe conſcios, nec vllius malæ rei, omni planè culpa vacare. Seruate, inquit, optimum Principem. Principem inquam, veſtrum. Optimè vobis, optimè, libertati veſtræ, cupit, voſque liberare ſeruitute ſatagit. Quod ſi hinc migrabo: ne alium vobis Ducem, vel defenſorem, quærite. Tanta fuit auctoritas huius teſtimonij, vt populus, furorem remiſerit, & Alenconius, Auriacum inuiſerit cottidie, ſuique Franci, ſeſe Colum-

Columnellis & populo liberè permiſerint. Sæpius tamen, quam decuit innocentiam ingeminantes ſuam. Portæ vrbis aliquot diebus clauſæ, nec egreſſi vlli, niſi, qui cum literis, ab Auriaco ſubſignatis: ad alias vrbes & prouincias fœderatorum, ne quis motus, vel defectio fieret, quo omnes in fide ordinum & Alenconij manerent, dimiſſi fuère.

21. Mar. *Eccleſiæ Caluinianæ, ſubſequentem Mercurij diem, conceptis pro ſalute Auriaci votis, precibus & ieiunio, dicarunt, &, ne quis, eo die, opus faceret, vel officinas exponeret edixerunt. Contra facienti, indicta octodecim florenorum pœna ſcribebatur.*

Obiit 22. Mart. paulo poſt Auriacum, ab Adoleſcente vt dictum eſt percuſſum, Daniel Archiepiſcopus Moguntinus, Elector Imperii longè prudentiſſimus. Parmenſis Princeps, vbi primùm accepit illatũ Auriaco fuiſſe vulnus: id quod non ſolùm ab Anaſtro, qui Tornacum profugerat, verùm etiam ab aliis per ſuos audiuit: fœciales & nuntios, cum literis ad Gandenſes, Brugenſes, Bruxellenſes, & cæteros omnes dimiſit. Expoſuerunt Auriacum de medio ſublatum, illum certè Belgiũ, in eas, quas omnes cernerent calamitates protruſiſſe.

Regem

Regem omnibus ſubditis optimè cupere: Iam igitur ad eum redirent, ſe ipſis gratiam atque clementiam impetraturum & ipſos ei reconciliaturum, habere ſe ampliſsimam à Rege poteſtatem, ne prætermitterent, oblatam ex re occaſionẽ. ſed dicebantur Gandenſes eos nuntios in vincula conieciſſe, vt plecterentur capite.

Ordines Belgici poſt inflictũ Auriaco vulnus prohibuere: ne Principibus tranſeuntibus turmatim populus occurrat, ſed eos è longinquo ſpectent. Item Iuramentum Catholicis imperatum, ſi ſua frui Religione velint, vt Regem Hiſpaniarum abiurent, & Alenconio iurent: ſuſpenditur ab iiſdem, donec ex communibus ordinum ſuffragiis ea de re deliberetur & conſtituatur. Item remiſſa ſingulis pœna centum coronatorum iis impoſita, qui miſſæ ſacrum audiuiſſent. Antea eam Antonius Spinola perſoluerat.

Liberati Aquenſes obſidione facta per Ducẽ Cliuenſem & Regios, ſtatim irruperunt in quendam Nobilem ex familia Merodea, qui domum ab iis in feudum obtinebat, in qua circiter triginta milites habebat, combuſſerunt quadam, quibus magnus fumus excita-

retur, & flãte aduerſo domui illi vẽto, fumus, in domũ perlatus eſt, qui excæcabat præſidiarios, Interim ſcalis muros cõſcenderũt Aquenſes. interrogati præſidiarij, cuius nomine tenerent arcem; Regis, inquiunt. Omnes itaque trucidarunt, & dominum domus feudatarium ceperunt.

Franci ceperunt proditione Lens oppidũ, dominica lætare, ſed eò ſtatim Parmenſis viginti ſigna militum miſit, & equites, qui idem oppidum cingerent vndique, ne diripiendi facultas illis daretur. Fuerunt Francorũ illorum Duces Crucius, & Quinquiballius, qui tandem ſeſe ijs conditionibus dediderunt, vt relictis in id obſidibus prõmitterẽt: ſe eos omnes quos cepiſſent; & Cameracu, alioue miſiſſent, coràm exhibituros viuos ac liberos, oppidum verò, Parmenſi cederent. 1. April.

Namurcum; ſub Auroram, abſente Barlemontio vrbis Præfecto: in qua vrbe Margaretha Dux Pramenſis, Belgij Gubernatrix degit: tribus Francorũ peditum millibus, & ſexcentis militibus, capere, ſcalis Arci, & vrbis
1. May. *mœnibus admotis nixus eſt Alenconius; Erãt verò ſcalæ illæ plicatiles; quo equis imponi, vehiq; dorſo poſſent, & denigratæ, vt obſcuriores*

res

res minuſq; conſpicuæ forent. At vbi ſeſe primùm detectos cognouerunt: relictis ſcalis illis omnib. aliquotq; curribus & impedimẽtis; ſeſe coniecerũt in pedes. Quos à tergo Regij ſunt proſecuti, nonnulloſq; ceperunt.

Comitia indicta Auguſtæ ad 22. Aprilem ſed deinde ad Iunium vſque prorogata. Paulo antè, vt Auriacum ex vulnere, vitam cùm morte nequaquam commutaſſe, contra frequentem rumorem de eius morte, & præſertim in Aula Parmenſis Principis ſparſum, aſſererent Alenconiani, ipſum Auriacum ab vndecima menſis Aprilis, in tertiam decimam; propter aſsiduum ſanguinis fluxum decubuiſſe populo perſuadent. Cum verò ſiſti (inquiunt) nullis remedijs quiret, Medicos, ſuper venæ ruptæ foramen impoſito pollice, ſanguinem cohibuiſſe, hominibus quinqe datum id negotij, vt per vices hoc ſinguli continuarent, & ita Auriacum, melius habere cœpiſſe, non tamen eſſe ſcilicet extra periculum.

Princeps Parmenſis, cum ſtatuiſſet obſidere Audenardum Flandriæ ciuitatem munitiſsimam, vt eum vrbi metum eximeret, ne ſe magis firmarent; Menenas oppidum propinquum ſe aggredi velle finxit, eoq; profectus

eſt. Vbi verò ex ſex præſidiariorum ſignis; quæ in vrbe erant, tria ad expeditionem egreſſa, vidit; eos occaſionem obſeruans, partim cecidit, partim cepit, atq; eueſtigiò, vrbem eo præſidio nudatam, exercitu cinxit 8 Aprilis die. Eò vecta, quatiendis muris tormenta; XXV. alij de XXX. narrarunt. Et ne auxilia vrbi liberè mitti poſſent: vi Gaueram medio itinere ſitam, cepit, atq; ita vrbs obſidetur. Quam ſi Alenconius tueri voluiſſet; prælio decertandum illi fuiſſet. Eadem enim ex occaſione, Parmenſis Tornacum obſedit. Et Rex Hiſpaniæ Anno 1557. oppidum Sancti Quintini: Proximis ſuperioribus diebus Caſtelletum arcem, aſtu Regiorum interceptam ferebant. Ex ſuis enim, Frãcico more veſtiuiſſe quindecim; quos tanquam hoſtes fuerint perſecuti. Arcis portam, vt reciperentur, à Francis apertam ipſos portam occupaſſe, & Regios ingreſſos.

Interim Alenconiani collectis vndique finitimis è locis, militum præſidijs; Famaa & Templio vrbis Mechliniæ & Bruxellæ præfectis Ducibus, Aloſtum oppidum, à quo non exigua pleriſq; ad ducendum bellum in Flandria & Brabantia, quibus eſt coniunctum, præbetur facultas, admotis ad mœnia ſcalis; ſub auroram

rorum quamq; celerrimè, ſed cum magna ſuorum cæde, proditione quidem aliquot præſidiariorum Vallonum, & reliquorum negligentia, cum equitatus vrbe, ad expeditionē aliquam, procul abeſſet; ceperunt. Pars enim eorum, qui muros conſcenderant; ipſi dum ſocij intra vrbem pugnarent, ad vrbis portam eueſtigiò contenderunt, eamq; vi perfringētes, ex pectantibus ingreſſum equitibus, patefecerūt.

Qui equites dubio marte dimicantibus, ſuis peditibus auxilio fuère, alioqui caſuri omnes erant. A Regijs huic oppido quindecim dieb. antequàm caperetur, vt antea dictū eſt, copia annonæ fuerat inuecta, Alēconiani multam porrò intulerunt. in id: ſuperioribus proximis menſibus, vndiq; ex Flandria, ordinis Eccleſiaſtici viri, ad quadringentorum numerum, vt aiunt, profugerant, qui fortiter ſeſe tutati ſunt, veruntamen plerię; cæſi dicebantur, vrbsq; direpta, & Antuerpiam aduecta venditioni, præda.

Regij autem, ne ſubirent amiſſæ negligenter vrbis infamiam: Gasbecka arce Bruxellis propinqua, inſigni ſtratagemate, ſtatim potiti ſunt. Mentientes enim, ſe Aloſtanos eſſe: milites, qui captæ vrbis ſpolia quædam, aſſer-

nanda in arce, conueherent; arcem vbi ingreſſi eſſent, in ſuam poteſtatem redegerunt.

Nuntius Antuerpia recens huc attulit, Magiſtratus in ea vrbe omnes, ſingulos ciueſque: Alenconio fidem iuraſſe. Verum tamen, ſine abiurationis Hiſpaniæ Regis, clauſula, quæ nihilominus ad viuum exigebatur.

2. Maij. Senatus Antuerp. ex ordinũ auctoritate certum diẽ feſtum indixit, ſub ſex florenorum mulcta prohibrns; ne quis opus eo die faceret, vel officinas aperiret. Itaq; dies ille, ſacer foret, agendis immortali Deo gratijs: quod Auriacum ipſis ſeruaſſet, & Alenconium rebus ijs inſtruxiſſet, quibus ſe tueri contra hoſtem poſſent, tum quod hoſti Aloſtum eripuiſſent.

Atque vt Auriacus ſuperſtes probaretur, præterea dicebatur matrimonium tractare cum Vidua Friderici Comitis Palatini Electoris, quæ prius vidua fuit Brederodij quam valde obſeruare & amare Dux Caſimirus fertur. Poſtquam eius, ſcilicet Auriaci Vxor Ludouica Borbonia, Ducis Monpenſerij filia, propter mariti mortem, in morbũ incidiſſe, ab eo demùm cũ morte vitam commutaſſe, poſtridiè quàm maritus in febrem incidiſſet, eamq; ſepultam eſſe in ſummo templo.

Alenco-

4. Maij. Alenconius duo promulgauit edi-ctа. Primũ, ne quis fœderatorũ, negotiationũ cum Malecontentis, vllũ omninò genus exerceat, neue ad eos vllã annonã mittat vẽdátue, ſub graui pœna: Alterũ Edictũ habet, ne quis miles aliusue, redimatur captus: ſi non eſt inſcriptus militari matriculæ, ſub aliquo ductore, & Duce, quem ſequatur.

14. Maij. Viſus eſt in Caſtris Audenardenſib. Cometes cauda biſurcata, cũ cruce Burgũdica Viſus eſt idem in Germania, & in Italia Romæ luxit aliquot diebus. Quid vero portendat, & quæ cauſa ſit illius, alii ſcribant & iudicent.

Circa hoc tempus, 15. Maij. verberari cœpit à Parmenſi Audenarda. In turribus foſſarum munitiones, & propugnaculorum latera, quæ defenſiones appellant vigintitribus tormentis quati iuſſit ac deiici. Cætera ſub alium diem comparabat, vt aliis XXV. tormentis æneis, mœnia deturbaret, ac demùm oppletis foſſis faſcibus, vrbi quæ muro nudaretur aſſultum faceret, & quia pontes qui ſupra foſſam ſternendi eſſent, non ſatis longi fuerũt, eos igitur protendi oportuit. Factos autẽ, Valones & Germani foſſis muriſq; proiicere põtes poſt-

quam noluiſſent, tandem XVIII. Hiſpani hoc præſtiterunt, & ex ijs propugnaculum impetierunt ac ceperunt, ex quo vrbs tormentis mirificè concutiebatur. Adeò vt obſeſſi dein: petierint de conuentione colloqui, dicentes eas ſe accepturos conditiones quib. ſeſe Tornacenſes dediderunt.

Gandenſes ante dies aliquot, vrbi ſuccurrere nixi ſunt: at ita profligati ab equitib. Epeirotis, vt nihil ipſi prius habuerint, quam ſibi ſalutiq; ſuæ fuga conſulere.

3. Iun. *Accidit Antuerpiæ, vt ſorores duæ, filiæ, vt aiunt, Petri Franci ad Aquilam nigram, generi cuiuſdam Luſitani, ad nuptias vocatæ, cum parata illarum vna iam eſſet, altera ſe comeret adhuc & tardaret, & quæ parata erat imparatam obiurgaret: eique diceret componenti induſii collarum: puto inquit dæmonem collari illi tuo ineſſe, puellam in conclaui retroceſſiſſe, illi apparuiſſe dæmonem adoleſcentis pulchri forma; qui ſe illi adiuturam illam ad ſe comendum obtulit. Eum à ſe repuliſſe. Tum in eam inuolaſſe, & tempora detraxiſſe, eamq; obtorto collo iugulaſſe. vbi in pheretro eſſet ad ſepulchrum vehenda, octo veſpillones, id ferre nō potuiſſe rumor fuit. Id ꝑpterea*

pterea aperuiſſe, nec corpus reperiſſe, ſed eius loco nigrum canem. Sit penes eos fides, qui credere velint.

Circiter hoc tempus Regii ſcalis Dieſtum tentarunt, iamq́ mœnia conſcenderunt, forum etiam occuparunt, cùm præſidiarius vrbis, portas adiit ac tenuit, ne eques Regius qui foris aſtabat vrbem ingreſſurus, ijs potiretur. Qua ex re contigit, vt qui in foro pugnarent equitibus, in quibus ſpem ponebant deſtituti, vrbe pellerentur, plurimis illorum cæſis, & captis, quorum numerũ propè ducentorum fuiſſe dicebatur.

Alenconius, à ſingulis patribus familias, iuramentum fidei & obedientiæ vna cum abiurationis Hiſpaniæ Regis clauſula: per Columnellos exegit, & obtinuit. Vix id centiſſimus quiſq́, præſtare recuſauit, metu videlicet, exilii, atque direptionis, aut verò confiſcationis omnium bonorum. Erat autem iuramenti & abiurationis formula antea 12. Aprilis conceptain hæc verba.

Iuro, me nihili Regem Hiſpaniæ facturum, neque illi me obſecuturum, nec me eum vti dominum ſupremúmque Principem agniturũ, me quidem ab omni fide, obligationéque,

qua ei quocunque modo, tanquam ſupremo Belgij Principi, obſtrictus fui, liberum putans atque iudicans. Econtrariò verò promitto Illuſtriſſimo Principi Frãciſco Dei Gratia, Franciæ hæredi, fratri vnico Regis, Duci Lotherij, Brabantiæ, Limburgi, Geldriæ, Andegaui, &c. Comiti Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Zutphaniæ, &c. Marchioni ſacri Imperij, vti Domino ac Principi meo legitimo, proque tali habito, legitimóque electo, me inquam illum pro virili adiuturum, Contra Hiſpaniæ Regem, & adhærentes videlicet, Celſitudinis illius & Belgij, inimicos, planè excepto. Porrò me id omne, in quod omnes & ſinguli fideles ſubditi, Brabantiæ Prouinciæ originarii, ſupremo ſuo legitimoq́; Principi tenẽtur obligantúrue, præſtaturum. Hæc tamen omnia, ſecundum ingreſſus iucundi literas, et Priuilegia.

Iuro prœterea, polliceorq́;: me huic Antuerpienſi vrbi, fidum fidelemq́; fore, meq́; ipſam, ſub noſtri huius Clementiſſimi Principis obedientia defenſurum. Ita me Deus omnipotens adiuuet.

Quamobrem nullos à quoquam legatos, Alenconius, alióſue, audit, aut ab vllo literas accipit,

cipit, qui ipſum, alio quam Brabantiæ Ducis, nomine, titulóue appellent.

Antuerpienſis vrbis ciues proteſtantes numero ſexcenti, tam ſuo, quam aliorum ipſis adhærentium, nomine, à ſe ſcriptum libellum ſupplicem Senatui porrigunt, per quem petũt: ſibi templa in vrbe concedi, ad ſuæ Religionis habendas cõciones, & ſua exercenda quæcunq; ſacra. 12. Iun.

Tribus millibus hominum, recens auctæ copiæ Principis Parmenſis, nimirum, mille quingentis Burgundis, & totidem Germanis, mutatuſq; locus tormentis, ad portam videlicet Beuream vrbis Audenardæ à Regiis obſeſſæ.

Tandem muri triginta duobus tormentis, vna diſploſis, magno cum impetu cœpti ſunt dirui, horis totis duodecim: attamen, aquis emiſſis magna agri pars fluminis ſpeciem præbet, eoq; ſcaphis Gandẽſes ſubinde commeant, vt addant obſeſſis animos. Nam quadringentos tantum præſidiarios illos habere rumor erat. Propugnaculo potiti erant Regii, ſed & id hoſtis recepit. Nihilominus Regiis ſpes affulgebat, vrbem captum iri.

Parmenſis Princeps: ne, qui iuſiurandum fidei, & obedientiæ, Alenconio præſtiterunt: abiu-

abiurato Hiſpaniæ Rege; plane, propter id deſperent; ſe Regi poſſe vnquam reconciliari: ac ſic cogantur Alenconianas partes ſequi: quò Alenconius id vrgens ſpectauit: recens edicto publico ſanxit; Regis nomine, ac titulo: Regem tales eo metu liberare, ipſiſq́; clemẽter, hoc iuramentum tanquam coactum & vi ac metu extortum relaxare; ſeque illos pro probis, ac fidelibus ſubditis agnoſcere, agniturúmue, non minus, quam ſi id minimè præſtitiſſent. Proinde ſe viros oſtendant. Regem & ſe pro virili, in tam iuſta cauſa, iuuent.

Altipennius Barlemontij filius, cum circiter ſexcentis equitibus Antuerpiam tentat, cauſam præbuit, vt Alenconius metu portas vrbis per integrũ biduum claudi iuſſerit, nec quemq́; ſe opponere, imo verò ne vnum quidẽ, vrbem pedem efferre voluerit. Prædam pecoris fecit. Deinde Lyram progreſſus, leue prælium cũ Alphonſo Hiſpano vrbis præſidij præpoſito, commiſit, ac cepit, & globo miſſo vulnerauit: Veruntamen, eo propè momento, receptus à ſuis ille fuit.

Parmenſis oppugnauit propugnaculum Audenardæ vrbis. Id ceperunt eius milites., ſed hoſtis impetu ex vrbe facto eueſtigio recepit,

amiſſis

amiſsis centum ex ſuis, quatuor Regiorum cæſis, & aliquot vulneratis. Gandenſes ſuſpicati de hoc aſſultu, auxilia denuo miſerant obſeſsis, quæ Marchio Riſſeburgius repulit, ad Gandẽſium vſque portas, occiſis illorum equitibus octoginta.

Alenconius Arſcotum vrbem, quatuor peditum millibus, & octingentis equitibus, de improuiſo, adortus eſt, introgreſſos in mediam vſque vrbem, Epeirota quidam præſidij præfectus, animosè repulit, eorum triginta cæſis.

29. Iul. Auxilia Hiſpanica & Italica Principi Parmenſi ad Vitroum vicum Luxemburgicum appulerunt, inde Carolomontium arcem ad Moſam. Alenconius, Vatteum vicum Grauelingæ præfecto, à Motta verò munitum, eiq; propinquum cepit, demum verò deſeruiſſe narrabatur. Parmenſem enim aggreſſum fuiſſe aiebant eius copias, ad Dunkerkam, & multos Francos fudiſſe, ipſos autem tormenta, ne venirent in illius poteſtatem in flumen deturbaſſe. Hypras pergens cum exercitu, hoſtem quærit antequam fiat potẽtior. Etſi enim arcem ad iactum teli Gandauo propinquam Parmenſis cepit & Gaueram; ex quibus multum

tum damni vrbi infert: attamen non prodibat Alenconius, vt eas reciperet, vel quicquā moueret.

Ex Noritii Angli, & Stuarti Scoti, qui in Friſia militarunt, duabus ordinum legionibus duodecim ſigna, ſeptingentorum veteranorum militum, quòd illis ſtipendia non ſoluerentur, & annona deeſſet, nec iis prouideretur, profugerunt ad Parmenſem, qui rerum hoſtilis exercitus periti, ipſi ſtrenuam operam nauant.

Præſidiarii quoq; Bruxellenſes, Regiam vrbis, domumq; ciuicam, occupātes, petunt exolui ſibi, quæ multi æris debebantur ſtipendia. Edicto tamen promulgato, ſe defenſuros vrbem, nec quicquam ſe in ciues eſſe tentaturos. Boſcoducenſes Parmenſi offerunt ei obſidendæ centum florenorum millia.

Scotus quidam nomine Lichfeldius, cognomento, Simplex, Præfectus rei militaris Lyræ oppido Belgii totius longè munitiſsimo tribus Antuerpiæ miliaribus ſito præſidiarius: Cum ſtipendiorum ſolutionem ab ordinibus ſæpius fruſtra petiiſſet, nec oppidi Gubernator Hietfeldius ciuis Antuerpianus, cuius intererat, ipſum, vt eam conſequeretur, iuuaret: odio in ordines

ordines concepto, cum vicinis Regiis egit præſidiariis, ſpe quoq; præmii, de illis tradēda vrbe. Itaque Calendis Auguſti, Gubernatori expoſuit poſſe certo loco ſe magnam prædam facere, & captos ex ſuis ab hoſte milites liberare, ſi concederet, vt aliquot ex præſidiariis ſecum duceret. Hietfeldius perſuaſus permiſit. A prandio egreſſus: Boues, Equos, & Captiuos ab hoſtibus, cum quibus rem communicarat, ſecum Lyram abduxit. quò ſub horam ſecundam appulit. Prædam pecoris ſictè vinctorum hominum oſtendit, ſibiq; oppidi portam aperiri poſtulauit. Iuſſit Gubernator, ipſi portæ maioris portulā patere. Intromiſſus vrſit maiorem eam portam aperiri, vt abactum pecus, & quatuor vt aiunt onuſtos alia præda currus, introduceret, ſed facere renuebāt præſidiarii, expectaret auroram. Ille verò hoſtem ſubſequi cōtendebat, & illum vniuerſam prædam, ſi differretur recepturum, &, qui cum ea erāt milites cæſurum. Ne hoc accideret, cauendum eſſe ratus Gubernator; maiorem illam portam, aperire mandauit. Eueſtigiò, 2. Aug. capta ab eo porta fuit, & cæſi qui reſtiterunt. Eques vna Regius ex vicinis præſidiis, maximè Altipennii Barlemontii, collectus, qui

qui prope ad inſidias occultabatur, intromiſſus fuit. Cæſi ſunt omnes, qui cum armis, factiue in viis obuij fuêre, & occupatum ab hoſte ſtatim forum. Dicuntur, equites ſexaginta fuiſſe. Oppidum partim diripuerunt; partim cepêre ciues, à quibus pecuniæ vim, vitæ ſeruandæ cauſa, non exiguam extorſerunt. Hetfeldius Gubernator induſio ſuo indutus, nauigiolo profugit, qui equites vrbem obtinent. Vbi primùm perlatus fuit hic nuntius Antuerpiam, mira animorum conſternatio: Portam, ne quid diſſimularent, per quam Alenconius fuerat primùm ingreſſus in vrbem, & in qua ſunt fixa eius inſignia, quia Lyram ducit, muro obduci curarunt præ metu, ciues. Eo ſanè loci Lyra ſita eſt, vt Mechliniæ, Bruxellæ, Villæuordæ, Dieſto & circùm vndique, Regij excurſiones facturi; omnem annonæ inuectionem prohibeant, rerumq́; ijs locis facilè patiantur penuriam. Perſcripſerunt nonnulli: Regios vnà etiã intercepiſſe Monaſterium S. Bernhardi, Antuerpia nõ procul ad Scaldim, vnde nauigationẽ ad illa oppida, & alia loca impediant, & multos vndiq; ruſticas domos captas eſſe, omniaq́; variè vaſtata. Appulerunt 4. Aug. veterani Hiſpani, qui ex Italia Carolomontium,

montium ad Moſam,quod Gruetum dicitur. Reliquæ cohortes Hiſpanicæ, vna cum Italis, Luxemburgi expectantur, quò iam aduenit cum Germanica legione Ioannes Manricques. Boëmici foſſores circiter bis mille Bouinis oppido Namurci, eunt ad Hiſpanos Carolomontium.

Lochem Tranſiſulanum oppidum Verdugus Hiſpanus obſidet adhuc, eò ordines mille Octingentos equites ac pedites miſerunt ſubſidio, vna cum commeatu, appulſos magna ex parte ille cecidit, ac fugauit, & commeatum, præter eum, quem dum Verdugus confligeret, ex quinq; curribus in oppidum furtim abduxerunt, intercepit. Ceciderunt etiam ordines ad Steenuuichum.

Regij equites quidam in proxima vrbi ſylua, ad inſidias latebant, & ex ſuis circiter triginta euaſerunt, abacturi pecudes, vt hoſtem ex vrbe elicerent. Oppidum exiguo hoc contempto numero, prædam volentes recipere, eos multo milite ſunt inſecuti, vbi penitus in ſyluam penetraſſent, vndiq; ab hoſte circumuenti fuere ac cæſi.

Arnhemi Geldriæ, ab hinc aliquot diebus, Ordinum Prouinciæ conuentus fuit habitus,

Pp Deab-

De abiurando Rege, & inaugurando in Ducem Geldriæ Alenconio. Re infecta diſceſſum eſt. Aliqui tamen priuata coniuratione iurarunt; quod iuramentum ipſi expeditis litteris appenſo Nouiomagenſi ſigillo confirmarunt.

Hoc vbi pars aduerſa Conſul Arnhemus vir auctoritate grauis cognouit: illos falſitatis arguit, perfidiaq; notauit. Præter verò contràq; patriæ morem etiam feciſſe: quos, Arnemenſi ſigillo, quo, quod fecerant ipſis licuiſſet, vti oportuiſſet. Itaq; illos acriter obiurgans, cuidam ex præcipuis colaphum, tamē ætate grandis, valdeq; ſenex, impegit. Interea motus Præſidiarij militis Bruxellenſis; facta ſtipendiorum ſolutione, compoſiti.

Senatus Colonienſis Edicto promulgato 6. Aug. iuſſit omnes alterius Religionis, quàm Catholicæ, qui abhinc annos ſexdecim ad hūc diem ad ſe cōceſſiſſent, vrbe intrà menſem diſcedere, conuenticulis omnibus etiam interdictis.

Parmenſis vt Alenconium, qui inter Dunkercham & VVinoxbergam hærebat, ad pugnam eliceret, eo iuit cum exercitu, ſemper ei propiùs appropinquauit, quo factum eſt vt ſæpè velitarētur. Præter alia aliquot leuia prælia; vnum

lia;vnum commiſit,in quo vtrinq; multi ceci derunt, numerus, vt aiunt,quingenti, Equitum turmæ ductor Marchionis Varamboni frater, Burgundus. Alterum itē prælium,quo Balanconius, amiſsis octo vel nouem è ſuis captus eſt à Francis,cuius ſubpræfectus, dum cupidus Francum fugientem, ad aggeres vſq; perſequitur,fuit caſus.

Antuerpienſes amiſſa Lyra deliberarunt de incendēda Campinia, viciniſq; ſibi locis, quē admodū factum ab ijs etiā, qui Lochemo à Regiis obſeſſo opē laturi venerant, ſed à Verdugo in fugam fuēre pulſi. Monaſteriū S. Bernhardi, à Regijs derelictum: quod ad Scaldim ſitum ſit, Antuerpienſes muniunt. Trecentos equites ſibi conſcribunt, quibus itinera tuta reddāt, & p̄dentur. Mechliniēſe porrò præſidium equitū turma, & duob. peditū ſignis auxerūt. Alenconius autem præter incendia, quibus ſeſe iuuare nixus eſt, ſperat ſibi breui adſuturos è Frācia bis mille equites, & Heluetios. Mari ad eum appuliſſe aiunt peditum Anglorum & Francorum duo millia: Præterea Bellieūrius à Rege fratre ad eum miſſus venit, pecuniam attuliſſe ſcribitur, & ferre auxilia, conſilijs diu meditatis à fratre.

Parmenſis etiam vires collegit, & ad ſe Hiſpanos equites Carlomontio euocauit, & Bohemornm foſſorum ſigna. Reliqua pars auxiliorum Italicorum, & cæteri Hiſpani appro-
16. Augu- *perant. Luxenburgum iã putantur aduenisſe.*
ſt. *Scotus qui Lyram prodidit, Parmenſem inuiſit & eius matrẽ Namurci. Profectus Vliſſingæ ſuſpicione delatus, ita ſe purgauit; vt locum tueatur ſuum atq; retineat.*

Ex ijs, qui Auriacum & Alenconiũ veneno petere voluerunt, Italus in carcere, poſt tormenta, ſeſe cultro, duobus inflictis vulneribus ad cor et vmbilicum, turpiter interemit. Lamoralius Egmondanus comitis captiui frater adſeruatur.

Regina mater aduentare Cameracum dicitur. Ipſeq; publicè iactauiſſe verbis, ea ſe, quam Francicos reges decet, auxilia Alenconio filio ſuppeditaturã. Ferunt tentaturam: vt Regij Belgæ (Malecõtenti vulgo nominati) cum filio reconcilientur.

Malecontenti Saricinum Sancti Vedaſti apud Attrebatos Abbatem in Hiſpaniam ſub proxima hyemis ſuperioris anni finẽ Regi miſerunt: qui nuntium ferret de ipſorum & proba voluntate & firma in illum fide: ipſisq; per-
placere

placere ſignificaret & exponeret, vt in Belgium Rex Hiſpanos, Italos, Sequanosq; tum externos alios quoſcunq; pro libito mitteret, Gratum hoc Regi fuit. Abbatem itaq; expeditis negotÿs redeuntem proſecutus eſt munere duûm millium coronatorum, & alteris duobus millibus viatici cauſſa, Illius verò frater equitis Aurati titulo donatus & coronatis quingentis.

Rex porrò Salentinum (qui pridem Archiepiſcopus Colonienſis, Eccleſiæ renunciauit) Geldriæ adminiſtrationi præfecit, qui, accepta ſtipendiorum tremeſtri ſolutione militem colligit. Billius deniq;, cui Friſia commiſſa fuit; expectat mandata indies à Rege. Groningenſes quoq; legati; à Parmenſi eò domum rebus ex animi ſententia confectis; remittuntur.

De Alenconio interim hæc adferuntur. Ipſum Brugis; inſignia Caroli Quinti Imperatoris Inuictiſſimi & Philippi Hiſpaniæ Regis, quibuſcunq; locis haberentur, deieciſſe, ſuaq; ſubſtituiſſe. Et caſtra inter Dunckercam & VVinocibergam Flandriæ quas vrbes obtinet fixiſſe, & eſſe vtrinq; fluminibus cincta. Quo fit: vt Parmenſis Princeps, qui cũ ad pugnam prouocat non potuerit penetrare.

Parmenſis attamen pontes extruxit: quibus exercitum traducat, vt hoſtem Alenconium antequàm auxiliis firmetur impeteret. Cæterùm cum videret Alenconius priorem Hiſpanorum aciem 41. ſignorum peditum, & aliquot vexillorum equitum Parmenſi appuliſſe (17. Aug.) in quibus tanquam veteranis potiſſimum robur conſtitueret; ac Manriqueſii Germanicam legionem & Bohemicos foſſores, ad caſtra Parmenſis perueniſſe: Relictis ſuis Caſtris Alenconius 18. Aug. Gandauum properat, ſub prætextu, vt inibi Flandriæ ſcilicet comes inauguraretur, vtpote cui abſenti alias fidem iurare noluerint.

Conſulere, paulò pòſt Deputati quorundam Principum Auguſtanæ cõfeſſionis, ſcripto multis ſigillis obfirmato, conãtur Coloniẽſibus; vt quemadmodum in Germaniæ quibuſdam Imperii ciuitatibus, ita etiam Coloniæ Templa ciuibus ea petentibus ad exercendam proteſtantium ſuam Religionem concedatur. Contrarium autem ſuaſit libellus quidam, authoritate ſacrarũ literarum rationibuſq; variis ſuffultus, Magiſtratui dicatus Colonienſi, quẽ tantæ ſemper in auita Religione Catholica conſtantiæ, tantaque in Rep. ſua Colonienſi

Guber-

Gabernanda prudẽtiæ cognoſcunt omnes, vt neq; vnius partis conſilio, neq; alterius ſuaſione, opus fuiſſe exiſtimandum ſit.

Locum in Tranſiſelana Prouincia Verdugus 4. Sept. ad extrema redegit, auxilia ei oppido miſſa profligauit, quæ denuò reparata ab Holachio duce, ante paucos dies iterum à Verdugo diſſipantur, ita vt interceptis 20. curribus annonæ, multi cæſi, ex ordinum militibus.

Supplicem, quidam Colonienſes, ter iam porrigi libellum curarunt, petentes eos, quos Senatus, propter priorem libellum, cum Caluinianæ cõciones hac in vicinia primùm ſunt habitæ, carcerem ingredi iuſſit, liberari, Religioni enim ſuæ, perturbatis Alenconiani, locum conſiliis ſuis datum iri confidunt.

Menſe Nouemb. Parmenſis Likerkam tormentis quaſſauit ac cepit, & Gasbekum, quod regiis ordines antea eripuerant, militibus albo cum bacillo armorum loco diſcedere permiſſum, præfecti, arbitrio relicti principis Parmenſis; Qui Bruxellenſes vndiq; cingere conatur, quo terrorẽ vrbi incuteret, eamq; ſui officii poſt litteras antea ſcriptas admoneret. Aquæ fluminis repagula peſſum daturus,

vnde flumen inutile redderetur nauigationi, nec amplius Antuerpiam prodire liceret. Vrbs verò Bruxellenſis, metu perculſa inq́; ſuo propoſito fixa permanens, præter totidem quæ habebat, triginta quinq́; ſigna militum, præſidio accepit.

Eodem tempore Alenconio Francorum peditum duo millia, & octingentos equites, heluetiorum verò haſtatorum peditum tria millia, principe Delphino (vt dictum eſt , diceturq́; infra latius) Duce, cuius eſt vicarius Bironius Francus, Dunkerkã Flandriæ portũ appulerunt. Parmenſis autem exercitũ habet ad Hiſquanum pagum, altero ab vrbe Bruxellenſi miliari: Germanus, Italusq́; miles, quòd aeri nõ aſſueuit, & inopia commeatus prematur , paſſim dilabitur , vel moribus planè perit, adhuc enim regijs clauſa eſt , ad annonam Frãcia. Ob quæ etiam eadem incõmoda, Alenconiani milites, qui è Friſia redeũt, vndequaq; moriuntur, donec reliquos conflictus auferat.

Alenconius 15. Decẽb. nouũ pontificis Calendarium (frementibus licet ordinibus) recepit. Perſecutus, natalẽ domini Antuerpiæ celebrauit, 16. die Decembris , in cuius templum, ad Catholica ſacra, fuit vtriuſque ſexus concur-

concurſus, vt vix tertiam eorum partem caperet.

Verdugus capto Stenuuÿcko, alia quinque loca præterea occupaſſe fertur, & Carolus Mansfeldius, in Campinia fuit cũ ſuis ſignis, circiter menſem, quòd Dieſtum obſeſſurus crederetur, & Sichem, nunc inde recens diſceſſit, auxilia laturus Megæ, ab Alenconianis obſeſſæ, ſed fruſtra Mansfeldius.

Ex Hollandia in Hiſpaniam ſoluiſſe, ab hinc aliquot hebdomadibus ducentæ naues mercimoniorum, earum quinquaginta, inſcio Auriaco rediuiuo, onuſtæ tritico ſubuenturæ Beticæ, fama eſt, Regem Hiſpaniarum, ex maritimis ciuitatibus, ea frumenta colligi curaſſe, & ei cum Daniæ & Suediæ regibus, ex pacto, bene conuenire: putatur tandem, etiam inde regiis alimenta ſuppeditare, Si Franciæ Rex, illis ea, è ſuo regno deneget vlterius.

Dicunt præterea Regem Hiſpaniæ, quo diuturnis bellis, finis tandem aliquis imponatur, per Germaniæ Principes, pacem in Belgio tentaturum: & Belgis tumultuantibus, ex pontificis permiſſu, Religionem ea conditione conceſſurum: Si Alenzonium remiſerint in Franciam, eiq; renunciauerint. Quo vero magis ea

pax firmetur; eò Regem ſpectare aiunt: vt Alenconiũ, natu minori filiæ matrimonio iũgi, minimè recuſet: Reginamq́ matrem, ad Alenconium, cum Hiſpaniæ, Franciæq́ Regum legatis, venturam eò eſſe, Antuerpiam.

Ad Archiepiſcopum Coloniẽſem quidam miſſi dicuntur Moguntini, & Treuirenſis Electorum Sacri Romani Imperij, nomine, Capitulum etiam tres è ſuis eò ablegauit, quos obſcuro ambiguoq́ reſponſo dimiſſos fuiſſe aiunt. Dimiſſus eſt etiam ab Archiepiſcopo, Dux ille Bipontinus, qui Coloniam 27. Septem. venit, equis quinquaginta, Archiepiſcopi, & Principum eorum nomine, qui Senatui Colonienſi, ex poſtremis Comitijs Auguſtanis, elapſo Auguſto ſcripſere, vt Ciuibus ad nouas Conciones templa permitterent, & quos tenerent captiuos, eò quod eas petijſſent per libellum, ipſi liberarent, legatus.

Paulo poſt, 28. Septem. hoc eſt, die veneris, proxima poſt natiuitatis Chriſti diem Boniuetus quidam Francus Endouium oppidulum, Boſcoduco Bredæq́ propinquum, adſultu cepiſſe fertur, & ſcalis, cæſo Italorum, quod inerat præſidio, alij proditum affirmant, miſſo ſingulatim in id milite, in oppido tamen eſſe monaſterium,

ſterium, à præſidiario munitum, quod adhuc reſiſtat, & auxilia petere.

Antuerpiæ, conuentus vnitarum quas vocant Prouinciarum, fuit habitus, De Moneta diu diſputarunt, neq; quicquam de eo cõſtituerunt, nec de alijs, quæ propoſita fuerunt, multis Alenconio tamen, annuos florenorum quatuor milliones, ad bellum decreuêre, partémq; à ſe debitam, ſingulæ quæq; prouinciæ, ſingulis menſibus perſoluent.

Conuocantur & à Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis proceres, ſiue ſtatus vel ordines Diœceſis Archiepiſcopatus, vt ad diem Sabbathi proximam poſt natalem domini compareant. Hinc eſt, quod Archiepiſcopus hunc diem præueniens eoſdem proceres ſub iuramento illi præſtito, ſcriptis adhortetur ac moneat literis. Ne comparentes, in præiudicium eius, vel eorum etiam, quorum nomine comparerẽt, quicquam conſentiant, vel concludant, cum minori parte capituli, ſed audiant duntaxat proponenda, eaque ad ſe referant, Neque enim ſedem adhuc vacare, ſed ſua intereſſe ait, vt rem Archiepiſcopatus ita dirigat, quemadmodum exiſtimet, & illis omnibus paternè gratificari, & Deo ſperet, in

extre-

extremo eius iudicio, interrogatus reſpondere.

Princeps Parmenſis, qui Bruxellam, diligenter diſpoſitis circùm ad hiberna militibus, propè cinxerat, inde receſsit, pluuiæ enim inundarunt agros, vnde nec loco tormenta moueri poterant, fluuius deerat per quem importaretur commeatus. Acceſsit, quòd auxilium Alenconii ex Francia aduenire in Flandriam diceretur, cui obuiam properans, hoc effecit Parmenſis, vt non liceret illis terra ingredi in Belgium, etiam propter limites præſidiis firmatos. Itaq; Caleto ſoluerunt, mari, Dunckercam inde Brugas; ac VVaſeam Flandriæ ditionem, intactam hactenus à milite, inter Gandauum, Brugas & Antuerpiam, inuadunt.

29. De cemb. *Principem igitur eò cum exercitu, cui ſtipendiȷ menſes numerauit, profectum nunciatur, & caſtra fixiſſe, inter Gandauum, Audenardam & Tornacum, Gauera non procul, iam dicitur alter, alteri exercitus breui appropinquaturus.*

Habet Francus delectum militem, & præfectos veteranos, Regii illos equitatu ſuperãt, Sed nunc omnia paludibus ſunt obſita. Quidam tamen Francos copias diuiſuros ſcribunt, & partem attributuros Flandriæ, partem

Campi-

Campiniæ. Ex illo exercitu Francico, multi Franciæ proceres ac nobiles circiter ſexcenti, narrantur adueniſſe Alenconio, Antuerpiam, Inprimis Mompenſerius Dux Imperator illius exercitus, Bironius vir militaris eius vicarius, Lauallius, Andelotii filius, & Amiralii vulgo dicti nomine Colignii filius.

Hi fortiter aſſerunt, ſe à Franciæ Rege miſſos, vt Alenconio Belgium contra Hiſpaniæ Regem tueantur. Proinde: cum eorum Rex tantas expenſas ſubiturus ſit, petunt, vt Franciæ coronæ Belgæ ſeſe dedant. quod tamen in pactis cum Alenconio initis, expreſſè fuit exceptum. Itaque res eò deducta eſt, vt hoc etiam ſint obtenturi, ni quid aliud accidat. Iamque nonnullis in vrbibus per ſeditiones, fortè ſtudioſe concitatas, ciuibus adimunt arma, & Francicum militem imponũt præſidio, internum verò eijciunt, vt eas vrbes in ſuam poteſtatem plenè redigant. veluti proximis dieb. ab illis Dunckerchæ factum eſt, & Denremondæ, potior Flandriæ portus ille eſt, hæc verò omnium munitiſſima.

Fertur etiam ex nunciis C. P. adlatis, Rex Franciæ vna cum fratre, Turcam ſollicitare, vt claſſem cõtra Hiſpaniæ Regem, in Italiam,

primò

primo vere immittat: videtur etiam illi viã aperturus in Belgium, Antuerpiam enim inde aduenêre Turcæ quatuor, qui de eo loci erigendo mercium ſuarum emporio tractant, perpetuò illic 18. Turcas forè pollicentur, merces Franci permiſſu aduehent Maſſiliam, inde terra Burdegala, per Oceanum nauigabunt Antuerpiam, expectant quinquaginta horum quatuor ſocij, vt dicitur, Maſſiliæ, & non deſunt, qui in his mercibus anguem latère putent.

Parmenſis inopia commeatus quaſi eneruatus, propter aduentum Francorum & magnos belli, hoſtiles apparatus, omnes præfectos militum Tornacum accerſiuit: cum ijs, de alea belli gerendi, ſtatim deliberaturus. Miſſa ei ſunt à rege, Namurcum tercentum coronatorum millia: & Heſdinenſes pecuniam interceperunt; qua Francus Cameracenſi præſidio ſtipendia perſoluturus erat.

Duo Alenconius conuentui vnitarum prouinciarum, Antuerpiæ conuiuia exhibuit, vnum in domo ciuica, alterum domi. In eo conuentu, Franciæ Regis legatus apertè petijt, idem quod Francici proceres extorquere velle ſuprà retuli, nimirum, vt Belgæ prouinciæ, ſi

Alenco-

Alenconium contingat mori ſine legitimis liberis, vnà omnes, ad Franciæ coronam deuoluantur in perpetuum. Si hæc fecerint, Rex ille ijs pollicetur auxilia, quibuſcunq́, & quantiſcunq́ viribus poterit. Cui petitioni, Brabantia & Flandria penitus adſenſerunt, Gandenſes tamen, ea in re, reſponſum ſuſpendunt, aliquid aliud fortaßis meditantes, cæteræ omnes prouinciæ magnopere dicuntur reluctari.

Menſe Ian. in. An. 1583. Alenconius quatuor Heluetiorum millia, ſeptem Francorum è media Gallia, & Germanos eqtes mille quingētos, præter Scotos & Anglos, præclara auxilij ſpecie, ad Antuerpiæ ſuburbia euocauit, ſexcentos porrò Nobiles ſuæ Religionis præcipuaq́ notæ, ex omnib. ijs, qui cadē Lutetiæ, die Bartholomæi patrarāt, & Hugenotos aliquot, eò ad ſe in vrbem ex Gallia adſciuerat, qui cum eo erant perpetui. Quo exercitu fingebat ſe velle Parmenſem aggredi, & huius luſtrationem ſe facturum ſimulauit, vrbe egredi noctu tentat, & portarum claues in id petit. Vocantur itaque die 6. Ianuar. hora duodecima ſemis, cùm omnes pranderent, ad Iacobi portam, præmittit trecentos equites Francos ſub veſtibus armatos. Hi in portæ ponte vtrinq́ 1583.

vtrinq; ad latera ordine militari diſpoſiti cõſiſtunt. Adueniens Alenconius ille, pontem per medios ſuos 300. equites tranſiit. Deinde Galero ſuo ſurſum ſupra caput iactato, ſignum illis & exercitui, qui vicinus & in procinctu erat, dedit, de vrbe inuadenda. Equites portæ præſidiarios eueſtigio cedunt, portamq; occupant, & duo vtrinque propugnacula, cũ mœnibus, & tormentis in vrbem conuertunt. Quo verò captam eſſe exercitui ſignificarent, domum incendunt, maiuſq; tormentũ diſplodunt. Deinde in alias duas vrbis portas, hinc vtrinque proximas Rubram & Sancti Georgianam excurrunt, vt ÿs potirentur. Verùm tamen quia duplicatum iis antea ex ſuſpicione præſidium fuerat, pulſi ſunt Franci ab exercitu, ad Iacobi captam portam concurrunt, ingreſſi, tres vicos adoriuntur, & per Meram (vulgò Meerbrouck) in Burſam vſq; contendunt. Claſſicũ campanæ pulſu à ciuib. canitur, vici ferreis catenis tranſuerſis clauduntur, quibus eques, ne tranſeat vel inſultet, prohibetur. Ad claſſicum vndique turmatim ciuis armatus accurrit, in equites qui portam ceperunt, globis etiam maioribus è tormentis in milites foras ciues iaciũt, multiq; ex iis Franci

cadunt,

cadunt; à mœnibus armorum vi, & crebris ſclopetis, per feneſtras proximarum ædium emiſſis propelluntur. A catenis intra vrbem, immanes æditæ quoq; ſtrages, & ad Iacobi portam, & alias illas duas, dum miles per eas ingredi vitentat. Ciues itaque fortiter pugnarunt. Inter eos piſtor, nudus ad clamores egreſſus, multos ad catenas occidiſſe ſua manu, ſcribitur, equitem deturbauit, & equo potitus, eques factus eſt.

Sed ecce quæſo lætum illum, quem tibi in præcedentibus Lector ob oculos poſuimus, Alenconij introitum, ingens miſeria excepit.

Narratur quidam Sereniſſimi Principis Matthiæ Archiducis Auſtriæ domeſticus Nobilis, ſolus Burſam contra Francos, illæſus tamen, quod propè miraculi loco ducitur, defendiſſe. Cæſi intra vrbem Francorum peditum 1200. equites 250. primariæ nobilitatis. Ex mœnibus fuga ſibi conſulere cupientes, ſeſe in foſſas præcipitarunt, atque ſubmerſerunt, foris non pauci maioribus tormentis occiſi, partimq; vulnerati.

Senatus Colonienſis interim, ne omninò Principium Imperii Auguſtanæ confeſſionis poſtulata contemnere crederetur, liberauit ad 15. Iun.

Qq *eorum*

eorum interceſsionem, & Bipontini inſtantiam captiuos, eos maximè, qui Supplicem libellum, de quo ſuprà, ſubſcribentes, exhibuerũt. Quales ſunt Johannes Burgkmã/ Johannes Suchtelen/ et Caſparus de Widdige. Dimiſsi ſunt autem ea condicione, ne illi in poſterum interdictis concionibus, & conuenticulis intereſsent, ſed in omnibus, quæ à Senatu decernerentur parerent, neq; carcerem in quenquam vindicarent.

Fridericus Saxoniæ Dux Canonicus Colonięſis naues Electoris, quæ Octingentos auenæ modios pannoſque multi precij, & commeatum Bonnam vehebant militi 15. Ian. cepit.

Dedit 26. Ian. Alenconius ad ordines literas, quibus ſe, & geſta paucis excuſat, & emollit, eisq; prolixè omnia ſua defert, & eos ad amicam reconciliationem, mellitis admodùm verbis, inuitat, ac non ſemel excitat.

Paulò pòſt, vigeſimo ſeptimo Ianuarij, Illuſtriſsimus Dux Bipontinus COLONIAM denuo appulit, CAPITVLVM, nomine Archiepiſcopi, repetita Legatione acceſſurus.

Die dominica Septuageſimæ, Bonnæ Conciones

ciones nouæ Religionis admiſit Archiepiſcopus Colonienſis, quarum primæ per Superintendentem Comitis Palatini habitæ, interfuit: antea vt dictum eſt in Cancellaria, ſed nec dum publicè ſunt admiſſæ dictæ conciones.

Ordines Colonienſis Diœceſis De tribus potiſſimùm Archiepiſcopi poſtulatis habuerũt Comitia; nimirum, de vxore ab eo ducẽda; & retinenda adminiſtratione, recipiendaq́ protestantium Religione. 28. Ian.

Super quibus, cæterisq́ per Articulos octo propoſitis, ordinum mentem ſibi Capitulum declarari, conſilium quoq; atq́ auxiliũ ab illis petit.

Diœceſis Colonienſis, Vrbes, atq; Nobilitas, poſtulata Archiepiſcopi, ſimul & propoſita Capituli, matura deliberatione examinantes, in vnionis verba 29. Ian. Capitulo iurauerunt, quæ habet inter cætera; Epiſcopo, nec alij licere aliquid in Religione mutare, ſine expreſſo eorum conſenſu. Quæ vnio cœpta eſt anno 1550. demùm confirmata 1564. & nunc repetita. Atq; ita VVeſtphalia, & XVII. Diœceſis vrbes. ſe Capitulo contrà Archiepiſcopum hærere declararunt 1. Febr. Altera die Bipontinus diſceſſit.

Fridericus Idem Saxoniæ Dux, Capituli nomine, Cæſaris VVerdenam 3. Febr. vrbem cepit. Poſtridiè Archiepiſcopus cum 200. equis, deductus eſt à Ioanne Bipontino Dillemburgam, ad Ioannem Naſſouium comitem, Reliqui Bonnæ vrbis præſidio Carolum fratrem, cum quadringentis peditibus, Sulmenſem, & VVinneburgicum Canonicos Comites.

Parmenſis interim Princeps, Tubicinem cum literis ad vrbis Antuerpienſis Senatum, ac tribuum, quod dicitur, magnum Conſilium, Ordines, & Columnellos miſit, ſed illum obuolutis oculis, velo panno, in forum ex vrbis porta frementibus aduerſarijs, pacem & reconciliationem cum rege expetentibus, deduxerunt. Sæpiùs clara voce, VIVAT REX alij acclamant. Vetitum eſt autem Edicto, Ne quis ex prouincijs vnitis, verba de pace cum Hiſpaniæ Rege faceret.

Et ne vlla amplius à principe Parmenſi litteræ, quas ad vrbes, imprimis Gandauum & Brugas, & Lyra Antuerpiam perſcribat, & per feciales ad pacem eos adhortans mittat acciperentur. Cōuenerant enim iam Flādri Cortraci, ac dein Tornaci; & Hallæ Brabanti, &

Marollum

Marollum & S. Gertrudis Abbatem vnaq́; tres nobiles Gandauum Parmenſis 7. Februa. hoc nomine miſit.

Eodem tempore Regina Angliæ miſit ad Belgas legationem, vt cum Alenconio breui conueniant. Nam niſi denuò animis & fœderibus ea reconciliatione coniungantur Hiſpaniæ Regem, qui iam propemodum ad extrema per inopiam annonæ redactus ſit, ſuperiorem fore, quod quanti eorum referat, ipſos ſatis intelligere.

Rex Franciæ fratris Alenconij ſtudioſus, literas per legatum ad ordines quoq́; fœderatos & Magiſtratum Antuerpienſem, Columnellos ac ciues 13. Febr. dedit, quibus Alenconii factum diligenter excuſat, idq́; ætati minori, ſeditioſoq́; militi, & malis conſiliariis adſcribit, remq́; molliens ſeditionem militarem adpellat, proinde cum Alenconio in gratiam redeant, ſe illis omnem beneuolentiam & auxilia quæcunq́; deferre.

Sed iam Belgas miſſos facimus, ſtylum in Gallos dirigendo.

SEQVITVR CHRONOLOGIA, REGVM FRANCOrum omnium, à Pharamundo ad Henricum vſq; III. etiamnum in humanis agentem, vitas & geſta ſuccinctè conſtringens.

PHARAMVNDVS, FRANCOrum Rex I. regnauit annos 9.

PHaramundus, filius Marcomiri, Franciæ orientalis, ſeu Franconiæ Dux, multis, contra Vandalos, & alios ſuos hoſtes, rebus geſtis clarus, ætatis ſuæ anno quinquageſimo, in vrbe VVirceburgo, Francorum rex eligitur, deq; cõſenſu omnium Francorum Principum, nec non Pontificis Iouis, Salgaſti, reliquorúmq; Druidum, ſacrificulorúmq; Dianæ, coronatus anno à mundo condito, 4380. anno Verbi incarnati, 419. Tulit hanc electionem acerbè Rom. Imperat. Honorius, (quòd videretur derogare Rom. per Gallias imperio) nihilominus, bello Vandalorum Gothorúmq; diſtractus, tolerare cogitur. Pharamundus in hoc ſuo nouo regno, ab omni externo hoſte ſecurus, nihil antiquius habuit,

quàm

quàm bonarum legum, conſtitutionúmq́ ciuilium curam ſuſcipere, Inſtitutis ante omnia, qui ciuiles lites, forenſiaq́ diſsidia componerent, quatuor, ex prima nobilitate, Dictatoribus. Salica quoq́ lex tum lata fuit, præſcripta quoq́ ſunt diligenter ea, quæ publicæ quietis conſeruationem concernerent, non neglectis ijs, quæ ad cicurandum populum, etiam tum agreſtiorem, priſtinæq́ feritatis nō planè oblitum, ſpectare videbantur. Vixit hoc tempore D. Hieronymus, Damaſi Papæ 40. ſcriba, trāſferendis ſacris libris, ex græco in latinum ſermonem, clarus, qui annos natus 91. moritur in Bethlehem, Anno regni Pharamundi tertio. Circa hæc tempora, Alani, & Vandali, occupant Hiſpaniam, celebrata quoq́ Synodus Epheſina, contra Neſtorianos, & Pelagianos, ſedente Papa Celeſtino primo. Pharamundus, cùm imperaſſet Francis, annis ſeptem, aut, vt alij malunt, nouem, moritur, anno ſalutis humanæ 427. Vbi humatus fuerit, hactenus incertum, licet Germanorum aliqui ſcriptores, memoriæ proditum reliquerint, corpus eius, barbara pompa, in montem Franckenberg ſublatum, inibiq́ in patrio ſepulchro conditum fuiſſe.

CLAVDIVS, REX FRANCORUM II. regnauit annis 17.

CLaudius, dictus Comatus, Filius Pharamundi, ſucceßit in patrio regno, anno ſalutis 429. quàm diu eius fuit regnū, Frāci crines, barbamq́; alere coacti, contra Cæſaris edictum, quo iubebantur ſuccindere crines, in ſignum ſeruitutis. Alij autē aſſerunt, ideo eum iuſsiſſe eos alere comam, quo facilius dignoſcerentur à Gallis, quos ipſe, armis ſubactos, tonderi mandârat. Notißimum vero eſt, moris apud Frācos fuiſſe, alere barbam, ad tempora vſq; Ludouici Iunioris, Francorum Regis 41. ex quo eo tempore, nec Rex, nec ſubditi barbā aluerunt, idq́; conſilio Petri cuiuſdā Lombardi, factum eſſe aiunt, quæ conſuetudo ad tempora vſq; Franciſci primi, permanſit, qui rurſum cœpit alere barbam. Claudius animaduertens, Romanorum Impp: vires, aßiduis Gothorum bellis extenuatas, ideoq́; ſui regni dilatandi, idoneum eſſe tempus, noluit ſibi deeſſe, ſed conſcripto ſatis numeroſo exercitu, ea vſus eſt dexteritate, ſcientiaq́; militari, vt paucos intra dies, Thulingos, fœderis inter Germanos, Galloſq;, fractores, armis ſubegerit, ideoq́; facti ſunt vectigales eorum, quorum eſſe ſocij renu-

renuerant. Cepit etiam Vrbem Samarobrinam, occiſis præſidiariys Romanis. Aggreſſus deinde reliquos, qui ad Rhenum caſtra habebant, traiectoq; Rheno, perq; Syluam Carbonariam, fines Neruiorum ingreſſus, vrbem eo rum primariam Tornacum, nequicquàm eruptione ſeſe defendentibus præſidiariis, expugnat, eosq; omnes internecione delet. Hinc proſpero fortunæ flatu vtens, in Burgundiam delatus, eam aduentu ſuo occupat. Tholoſam etiam, & Angouleſme, totámq; fere Aquitaniam. Septimo regni illius anno moritur D. Auguſtinus, Epiſcopus Hypponenſis, epiſcopatus ſui anno 40. ætatis ſuæ 83. Hoc tempore vixêre etiam SS. Germanus, Epiſcopus Altiſsiodori, Ioannes Damaſcenus, & Paulus Oroſius hiſtoricus, exq; eo tempore, Romanorũ per Gallias Imperium, valde diminutum fuit. Claudius cũ regnaſſet annis 17. moritur, anno ſalutis humanæ 440. vbi humatus fuerit, hacte nus neſcitur.

MEROVEVS, REX FRANCOrum III. regnauit Annis 10.

MEroueus, præmortui Regis agnatus proximus, coronatur Francorum Rex, anno 449. Sunt, qui dicant, filium Claudii Comati

fuiſſe, verum tale nihil de eo inuenitur, in hiſtoriis Gallicis: nihilominus cōmuniter, ab eo ducunt genus eorũ regum, qui recta linea ſucceſſerunt, ad Caroli vſq; Martelli filium, Pipinum. Rex Meroueus vulgo Audax appellatus, eo quòd multis, periculo plenis prælijs interfuerit, maximè autem contra Hunnos, qui Duce Attila, fratre regis Bledæ, coacto exercitu quingẽtorum millium hominũ, Germania peruagata, Colonia, Treueríſq; vrbibus, alijſq; multis ad Rhenum ſitis Caſtellis, oppidíſq; deletis, facti audaciores, in Galliã peruaſerant, cinxerantq; vrbem Aureliam obſidione, quo metu perculſus Meroueus, Theodorici Viſigothorum regis, Romanorúmq; Ducis Aetij opem implorat, quorũ auxiliis confirmatus, cõflixit cũ Attila, in campis Cathalaunicis, tanta vtrinq; animorũ pertinacia, vt centũ nonaginta hominũ millia, vtrobiq; cecidiſſe, memoriæ proditum ſit. Theodoricus Viſigothorum rex, eo prælio occiditur, Attila, potiore exercitus ſui parte amiſſa, cúmq; in fugam verſum exercitum colligere nõ poſſet, ira doloréq; compunctus, in Hungariã, vnde exierat, regreditur. Claruêre hoc tempore, Epiſcopus obſeſſæ vrbis Aureliæ, S. Enniamus, S. Lupus vrbis Troiæ Epiſco-

Epiſcopus, S. Nicaſius vrbis Rhemenſis Epiſcopus. Meroueus hoc proſpero bellorum ſucceſſu factus animoſior, inuaſit magnæ Galliæ partẽ, nemine illi reſiſtere auſo, occupauit etiam Pariſios, & Senones, vrbes Galliæ primarias, exq; eo tẽpore Gallia, mutato nomine, Francia vocari cœpit. Merouei filius vnus, qui regẽ Cornouiæ, Frãcis vectigalẽ occiderat, iuſſu patris concrematur. Meroueus cũ extendiſſet Limites Imperii ſui, regnaſſétq; annis 10. moritur anno 458. Hac ætate, rex Angliæ Artus, vt ſedaret contẽtionem inter ſui regni Nobiles, de præeminentia, ortam, iuſsit eos omnes aſsidere diſco orbiculari, vnde poſtea, communi nomine, Menſæ rotundæ equites, nominati fuère.

CHILDERICVS REX FRANCORUM IIII. regnauit annis 26.

Childericus, Merouei regis filius, ſuccedit Patri in regno Francorum, Anno 459. Vir forma, morúmque elegantia præſtans, quibus naturæ dotibus, neglecta regii faſtigii fama, dum ad improbitatem abutitur, exilium illi conciliarunt vituperoſum: Nobiles enim, Primariíque Franciæ, indignè ferentes, vãgam regis libidinem, à qua, ne nobiliſſimæ quidem matronæ, tutæ eſſe poterant,

tanto

tanto in eum odio exarſerunt, vt Rex peiora ſibi metuens, in Thulingiam, hodie Lorraine vocatã, profugerit, conſilium amici ſui, Viridomarci ſecutus, qui rupto in duas partes annulo, quarum vna Regi relicta, ſecum abſtulit alteram, quam promiſit, ſe teſſera vico, Regi miſſurum, cum primum, emolliti procerum animi, tutum illi reditum, in regnum ſuũ dederint. Exulante Rege, eligitur regni adminiſtrator Aegidius Romanus Dominus Sueſſionum, qui iniuſtis exactionibus, Francos adeo exacerbauit, vc de reuocando Childerico conſilia inierint, fidelem operam Regi nauante, amico illo Viridomarco. Reuocatur ergo Childericus cùm octo annis exulaſſet, regnumq; recuperat, pulſo Aegidio, quem profugientem Coioniam inſecutus eſt, expugnata vrbe, denuo tamen fuga euadit in ſuam Vrbem Sueſſionũ, in qua non multò poſt mortuus eſt. Hoc extincto, Childericus omnia pacata ſperans, inopinato bello implicatur, Dux enim Saxonũ Andrachus, obſeſſum venit, vrbem Aureliam, cui ſuppetias ferens, Andrachum fudit, confugereq; ad Comitem Iuliomagi, Paulum Romanũ, cogit, quò eum Childericus inſecutus, captam vrbem exurit, occiſo Comite Paulo.

Fuit

Fuit nihilominus Childericus, cum Andracho paciſci coactus, defectione Germanorum, & Anglorum irruptione, qui nouas quærentes ſedes, in continentem traiecerant, Incoláſque regionum Poteuinorum, Manceorum, Angeuinorum, & Angomiorum, domo pellere tentabant. Childericus, cùm regnaſſet annis 26. aut vt Paulo Aemilio placet, 30. vitam cum morte commutauit, anno ſalutis 484. relictis poſt ſe filio vnico, regni ſucceſſore, duabuſq; filiabus. Manſit etiam poſt eum ſuperſtes, Thulingiæ Regina, quæ relicto marito, Childericũ in Galliam ſecuta, illiq; nupta fuit.

CLODOVEVS REX FRANCORVM V. regnauit Annis 30.

CLodoueus, filius Childerici, ſucceſſit in Regno Francorum, anno 485. qui non multò poſt, ducit vxorem Clotildim Burgundicam, fidem Chriſti profeſſam, quæ natũ ex ſe filium, cùm baptizari curaſſet, infanſq; paulò poſt moreretur, Rex, criminans baptiſmum, mortis cauſam, vxori iraſcitur. Enimuerò licet multi Francorum Reges, varijs prælijs Romanos fuderint, multaq; illis eripuerint, ſupererat tum etiamnum Aegidij filius, Siagrus, Dominus

nus Sueſsionum, cui magna etiam pars, Galliæ Belgicæ parebat: Hunc igitur aggreſſus Clodoueus, omni ditione exutum, confugere ad Viſigothorum Regem Alaricum, coëgit, à quo miſerè proditus, Regiq; Clodoueo tranſmiſſus, capite truncatur, exq; eo tempore, Romani in Frãcia imperare deſierunt. Clotildis cùm nullis precibus, quantumuis aſsiduis, Regi, Chriſtianam fidem perſuadere poſſet, (dictitabat enim prædeceſſores ſuos Reges, rectè regnum, etiam illa fide incognita, adminiſtraſſe) Accidit, poſt debellatum Regem Lotharingiæ Beſinum, vt illi neceſſe fuerit, inſtructo exercitu, obuiam procedere Germanis, (quorum magna multitudo, Francos pellendi animo, Rhenum traiecerat,) cum quibus, cùm conflixiſſet, premeretúrq; ab ijs, adeo, vt aduerſum prælij exitũ metueret, Suis Dijs diffidens votũ fecerit, ſi viciſſet, ſe Clotildis Dei ſacra ſuſcepturũ. Debellatis itaq; Germanis, illaq; Germaniæ parte vectigali facta, auctóq; regni pomœrio, reuerſus in vrbẽ Remẽſem, vbi eũ Clotildis læta expectabat, a S. Remigio baptizatur, ſumpſitque ea, quibus in hodiernum vſque diem, Francorum reges vtuntur, inſignia trium Liliorum. Eodémque tempore ſoror ſua Lantieldis,

tieldis. reliquit Arrianorum ſectam, Bella deinde gerit, cum Burgundorum Duce Gondebaldo, hinc aggreſſus Alaricum, eripuit illi Aquitaniam, ita vt Galliæ, Germaniæque ex parte, factus Monarcha, apud exteros Principes celebris euaſerit, Vnde Imperator quoq; Anaſtaſius, eum dignatus eſt honore Conſulis, Patritijq;, tranſmiſſa ad eum corona aurea. Cum regnaſſet annis 30. deceſſit anno 514. relictis ex Clotilde tribus filijs legitimis, nothoque Theodorico, ſepultus in templo D. Petri & Pauli Pariſijs hodie S. Geneuefue vocata.

CHILDEBERTVS, REX FRANcorum VI. regnauit annis 45.

CHildebertus, filius Clodouei, natu maior, facta diuiſione cum fratribus, ditionum à Patre relictarum, obtinuit vrbẽ Pariſiorum, rexque Francorum vocatus fuit, anno 515. Clodomiro obtigit Aurelienſium ditio, Clotario Sueſſionũ, Theodoricus nothus poſſedit Mediomatrices, ſingulique ſumpſerunt nomen Regis. Clotildis mater, filios ſuos, armis gerendis idoneos, conſpicata, hortatur eos, vindicare mortẽ aui materni, Burgundicũq; Regnum

Regnum auitum recuperare. Itaque fratres perſuaſi, Sigiſmundo Burgund. Regi bellum inferunt, qui vnà cum vxore, à Clodomiro, Rege Aurelianenſe opprimitur, qui tamẽ ipſe, victoria inflatus, dum incautius progreditur, pertractus à Gondomaro, fugam ſimulante, in inſidias, occiditur. Clotildis mœrens, trium ex filio relictorum nepotum, tutelam ſuſcipit, quorum duos, non multò poſt, Clotarius eorũ Patruus, regnandi cupiditate accenſus, mactat, tertius in monaſterium euaſit. Hoc parricidio Clotildis indignata, ſeceſſit in vrbem Turonenſium, vbi dolore ſe crucians, reliquũ vitæ tempus tranſegit. Hinc reliqui duo fratres, inuicem, de ſe mutuò, malè opinantes, vtrinq; conſcribunt exercitus, cũmq; res ad manum deuentura videretur: non procul ab vrbe Aurelia, tanta, tamq; inopinata aduerſa tempeſtas oborta eſt, vt, tactis religione eorũ animis, pacem inierint, iunctiſq; exercitibus, in Hiſpaniam Almaricum Regem (qui ſororem eorum in vxorem duxerat,) oppugnatũ profecti ſint, occupata vrbe Toleto, Regéque ipſo, poſt varios belli euentus, occiſo, reducta ſorore, quæ male habita fuerat, eò quod cum Arrianis ſentire noluiſſet. Regnante hoc Rege,

congre-

congregari cœpit Concilium Conſtantinopolitanum quintum, ſedente Papa Agapeto. Childebertus, cum regnaſſet annis 45. moritur abſq; legitimo ſucceſſore, anno 559. Sepelitur extra muros Pariſiorum, in Abbatia S. Vincentij ab ipſo erecta, hodie S. Germain deſprez vocata, eodẽ tempore moritur in Vrbe Turonenſiũ Clotildis, cuius corpus, Pariſios relatũ, ſepelitur in ſepultura mariti ſui Regis Clotarij, in templo D. Petri & Pauli, hodiè S. Geneuéfuè du mont, dicta.

CLOTARIVS, REX FRANCORUM VII. regnauit cum fratre annis 45. ſolus 5.

Clotarius, poſt mortem fratris ſui Childeberti, ſucceſſit in regno Francorum, anno 560. cum antè in ſuis Sueſſionibus & Galliæ belgicæ ditionibus, regnaſſet annis 45. non Rege modo, ſed homine indigna, ſcelera committens, maximè autem cum parricidio ſe inquinans, regnandi cupiditate excæcatus, impuberes ex fratre nepotes, immaniſſimè trucidauit, occidit etiam in Eccleſia, Gualterum Diuetot equitem, falsò apud eum delatum, pòſt tamen, re penſitata, hæredes Diuetoti, immerito

vitò occiſi, ſolatus eſt, augendo illis hæreditatē & dignitatē. Factus iā monarcha Galliæ, Clotarius, petiuit tertiā redituū Eccleſiaſticorū partem, cui reſtitit animosè, Archiepiſcopus Turonenſium, liberè dictans, Eccleſiarum poſſeſſiones, pauperum eſſe patrimoniū, quo accepto reſponſo, rex ſeſe continuit. Accepto deinde nuncio, initi fœderis, inter Saxones, & Tulingos, confeſtim duxit exercitum, in Thulingiam, hodie Lorraine dictam, cuius inſperato aduentu, conſternati Thulingi, illicò ſeſe, ſuaq́; omnia permiſerunt poteſtati Clotarij, vitam non amplius, deprecantes, quos rex aſpernatus, rectà pergit, animo cum illis confligendi, eosq́; delendi. Quare intellecta Thulingi, non deficiunt animo, ſed deſperatione facti audaces, arma expediūt, quàm poſſunt celerrimè, confliguntq́; cum rege magna animorum conſtantia, adeo, vt rex ipſe de vita periclitatus, victoriam ipſis reliquerit. Intemperantiæ etiam fuit Rex notatus, quamuis ſex vxores legitimas habuerit, ex quibus ipſi multi filij nati ſint, qui poſt eum regnarunt, nempe, Chilpericus, Aribertus, Gontramus & Segebertus, etiam Nothus vnus, nomine Cranus, quem deinde, cum vxore, &

re, & liberis exuri iuſſit, quia defecerat ad Ducem Aquitaniæ, cum quo, nomine patris ſui regis, bella geſſerat. Cùm regnaſſet Clotarius annis 50. vita exceſſit, Compendii, anno ſalutis humanæ 598. Sepultus apud D. Medardum, cui ipſe Templũ dedicauerat, apud Sueſſiones. Circa hæc tempora, cœpit innoteſcere Regnum Longobardorũ, quorum primus rex Alboinus dictus fuit. Durauit iſtud regnum, ad regem vſq; Deſiderium, quem Carolus Magnus, captiuum abduxit Lugdunum.

ARIBERTVS, REX FRANCOrum VIII. regnauit annis 9.

ARibertus, aliàs Cherebertus, ſuccedit anno 565. fuit autem ſtatim, poſt mortem Clotarij regis, magna inter fratres diſſenſio, cum omnes, pari regnandi cupiditate arderent, maximę autẽ, quòd Chilpericus fratrum vnus, (aſtu dolóq;) Patris theſauros ad ſe conuerterat, quibus adiutus, largitionibus tentabat, ſibi ad regnum viam ſternere. His animaduerſis, Principes Francorũ, ne ex fratrum diſſidio, ciuile Bellum aliquando naſceretur,

de communi conſenſu, diuiſerunt Monarchiam Patris, in quatuor partes, ſinguliq́ue vocati Reges, Aribertus Pariſiis, totaq́ue Neuſtria Francorum Rex dictus fuit, quamuis Gaguinus, Catalogo Regũ eum eximat, credo, quòd pacis, tranquillitatisq́ue inimicus, nihil Rege dignum geſſerit, indignis Rege corporis voluptatibus deditus, hîc locũ ſuum retinebit. Childerico obtigerũt Sueſsiones, omnisq́ue Picardia. Gontrandus habuit Aurelianenſem ditionem, totamq́ue Aquitaniam. Mediomatrices cũ Auſtraſia, Sigilberto data. Aribertus nullos habuit liberos: repudiata enim vxore Nigoberga, impuro, duarum ancillarum, amore implicatus fuit, quarum conſuetudinem, monitus à D. Germano, cum relinquere nollet, maiorisq́ue eſſet res momenti, quam vt in Eccleſia tolerari debuerit, Ancillæ adulteræ, etiam Rex ipſe, communione priuantur. Mortuis, hinc intra annum, meretricibus ambabus, Rex reſipiſcit. Cumq́ue regnaſſet annis nouem, vitam cum morte commutauit, in Vrbe Dolaya in Gaſconia, ſepultus ibidem, in Templo S. Romani, anno à verbo incarnato 573. Regnante hoc Rege, Alboinus, Longobardorũ Rex primus ab vxore ſua Roſimonda, Gepidarũ Regis filia, occiditur,

ciditur. eò quòd Rex ipſi potum dederat in Patris ſui (ab Alboino deuicti) caluaria, ebiberéq; coëgerat.

CHILPERICVS, REX FRANCorum IX. regnauit Annis 23.

CHilpericus, eius nominis Primus, cum regnaſſet in Sueſsionibus ſuo regno, annis 9. poſt mortem fratris, fit Francorum rex, anno 574. Cuius regni toto tempore, propter eius crudelitatem, infamemq; intemperantiam, Francia, miſerum in modum fuit exagitata bellis. Imperator Orientis, reſtituit Francis Prouinciam, à Longobardis, (dum fratres de illius poſſeſsione litigant) ereptam. Chilpericus tres vxores habuit, quarum primam, Andoueram, ſuſceptis ex ea tribus liberis, repudiauit. Secundam, Galſondam dictam, perſuaſus à Fredegonda, ancillarum vna, ſtrangulari iuſsit, ipſamq; pellicem, quam inſano amore deperibat, in vxorē duxit, habuitq; ex ea multos liberos, ſed immatura mors eos omnes rapuit, præter vnū Clotariū, qui ipſi in regno ſucceſsit. Tanta in eo regnandi libido fuit, vt fratrē ſuum Sigebertū, Lotharingiæ Regem, à Germanis hoſtibus oppugnatum, omnis

iuſtitiæ oblititus, non ſit veritus magna Aquitaniæ parte, vrbeq; Remenſe exuere. Qua iniuria, frater Sigebertus exacerbatus, inito, cum altero ſuo fratre Aurelianenſi rege, fœdere, non ſolùm amiſſa recuperauit, verum vlterius progreſſus, victoriæ beneficio vſus, eripuit illi Vrbem Sueſſionum, conflixítq; cum eo prope Angoleſmium, victorq; euaſit, occiſo etiam Theodeberto, Chilperici filio, ipſumq; fugientem in Vrbem Tornacũ, obſedit. Verum Sigeberto à ſubmiſſis à Fredegonda ſicarijs, in ſuo tabernaculo necato, Chilpericus liberatur. Brunechildis, quæ poſſeſſionem Pariſiorum, iam dudum cœperat, intellecta regis mariti ſui morte, quam poteſt celerrimè, regreditur in ſuum regnũ Lotharingicũ. Non multò poſt Fredegonda, facta certior, regi cõiugi ſuo, inoleuiſſe conſuetudinem, quam ipſa cum Maiore Palatij habebat, metuens ſuis factis condignã pœnam, ſtatuit anteuertere, collocat ideò in inſidiis, facinoroſos aliquot ſicarios, q regẽ, de nocte redeũtem à venatione, in pago Chelles, non procul ab vrbe Pariſiorum, incautum iugularunt, cum regnaſſet annis 23. Corpus eius humatum fuit apud S. Germanum deſprez Pariſiis, Anno 587. vbi viſitur eius effigies, admota

admota iugulo manu, indicans, quo mortis genere occubuerit.

CLOTARIVS II. REX FRANCORUM X. regnauit annis 44.

CLotarius, eius nominis ſecundus, infans quatuor mẽſium, ſucceſſit Patri Childerico, in regno Franciæ, ſub tutela matris, & patrui ſui Gontrandi, anno 587. Childebertus verò, vrbis Mediomatricum rex, id ægrè ferẽs, vi armisq́; Impuberis regis Tutelam, ad ſe transferre tentauit. Mater autem regis, coacto exercitu, animoſe illi obuiam progreditur, primos ordines exercitus præcedens, puerum regem (quem vlnis geſtabat,) militibus oſtendens, quæ res Francorum animos adeo accendit, vt inde manaſſe victoria, quam conſecuti ſunt, credatur. Ita Childebertus reiectus, domumq́; reuerſus non longo pòſt tempore, ipſe, & vxor eius, moriuntur. Fama fuit, à Fredegonda, veneno ſublatos fuiſſe, cuius iuſſu, paulò antè Archiepiſcopus Rhotomagenſis, ab exilio reuocatus, in templo, ipſo die Paſchatis, occiſus fuerat. Anno 14. regni Clotarii, moritur Fredegonda, multorum in Francia cauſa bellorum, ea extincta, filii Chil-

deberti regis Lotharingiæ, conſanguinei Clotarij, mouerunt illi quæſtionem ſtatus, negantes eum eſſe legitimum; req; ad arma deducta, conflixerunt cum rege, potitiq́; victoria ſunt, admodum ſanguinolenta, adeò, vt triginta hominum millia interierint, quo damno accepto, Clotarius, iniquis conditionibus, pacē facere cogitur. Brunechildis, huius belli vnica inſtigatrix, & alumna, quæ etiā plures regii ſanguinis pueros veneno, aliiſq; nefariis modis, necaſſet, merito omnibus facta inuiſa, iuſſu Clotarii, in cuius poteſtatem deuenerat, aliorum multorum etiam criminum conuicta, à quatuor in diuerſum actis equis, diſcerpta fuit. Sublata ea, Clotarius Galliæ, Germaniæq́; ex parte, monarcha remanſit. Saxones etiam adeò debilitauerat, vt nō facile ab iis, quicquā inimicum, ſibi metuendū eſſet. Duas vxores habuit, ex prima natus eſt illi filius Dagobertus, cui Auſtraſiæ partem conceſſit, ſub tutela Pipini, & S. Arnoldi, ex ſecunda, naſcitur Heribertus, qui Aquitaniæ rex poſteà factus fuit.

Regnauit Clotarius annis 44. mortuus, anno 631. Iacet apud S. Germanum deſpreZ, Pariſijs.

DAGO-

DAGOBERTVS, REX FRANCOrum XI. regnauit annis 14.

DAgobertus, eius nominis primus, mortuo patre ſuo Clotario, ſuſcipit regni Francorum habenas, anno 631. Ariberto, ſuo fratri, conceſſit Aquitaniam, quo mortuo, factus eſt Galliæ monarcha. Viuo etiamnum Patre ſuo, iuſſit Pædagogum ſuum, abraſa prius barba, virgis cædi, quo facto, tantam patris indignationē incurrit, vt crediderit, ſe ſingulari Dei beneficio manus eius violentas euaſiſſe, qua animi religione tactus, iam Rex factus, dedicauit Templum S. Dionyſii, tantíſq; opibus ditauit, vt Regum Francorū, ante eum, nemo, tot, taleſq; reditus, extructionib. templorum impenderit. Primam ſuam vxorem (quòd eſſet ſterilis) repudiauit. Deinde duxit Nantildā, ex qua illi naſcitur Clodoueus, qui poſt eum regnauit, habuit etiam filium Nothum, nomine Sigebertum, quem conſtituit Regem Auſtraſiæ, vt eſſet propugnaculū, aduerſus Sclauones Idolatras. Rex Dagobertus, ſemper circumducebat, magnum Concubinarum numerū, eaſq; omnes ſplendide, regióq; faſtu veſtiebat. Inſtituit etiā paſſim multa Gynæcea, in quibus, immenſo ſumptu, toto regno conquiſitas,

tas, pulcherrimas quaſque mulieres, alebat. Quòd cum D. Amandus reprehenderet, eycitur in exilium, réxq; in ſolita viuendi conſuetudine perſtitit, Nihilominus rectè ea curãs, quæ ad regni ſui adminiſtrationem pertinebant. Gaſcones etenim, defectionem meditantes, tam acriter ſeueréq; puniit, vt facile reliquis, ſimile quid attentandi, animum adimeret. Sclauones etiam pacis conditiones petere, compulit. Saxonibus impoſuit annuum tributum, 500. boum. Cùm regnaſſet annis 14. moritur in pago de Eſpinay, ſepultúſque apud S. Dionyſium, anno 645. Regnante Dagoberto, prodijt in lucem Mahomet falſus Propheta, natione Arabs, qui (adiutus à Monacho apoſtata Sergio) Mahometanæ ſectæ ſemina, ſparſit per Africam primum, quæ deinde per omnem Aſiam, Europæq; magnam partem pullulârunt.

CLODOVEVS II. REX FRANCOrum XII. *regnauit annis 17.*

CLodoueus, eius nominis ſecundus, filius Dagoberti, regnũ Francorum eſt adeptus, anno 645. Vnicum fratrem Nothum, Sigebertum

tum dictum, habuit, qui ſuperſtite etiamnum Patre, factus fuerat Auſtraſiæ rex, cui vnicus filius fuit, quem moriens commendauit Grimoaldo, Maiori ſui Palatij, qui puerum tonſum, in monaſterium, in Scotiam vſq; tranſmiſit, conſtituítq; filium ſuum Hildebertum, Auſtraſiæ regem, tota hæc res, conſilio Didonis Epiſcopi Pictauienſis, geſta fuit. Biennio pòſt, cum regi Clodoueo, peruerſitas hæc Grimoaldi innotuiſſet, iuſsit eum necari, Hildebertúmq; regno expulit, factúſq; eſt Galliæ monarcha. Ex vxore ſua Baudoura, ſunt illi nati filii tres, Clotarius, Theodoricus, & Childericus, ſinguliq;, vnus poſt alium, reges facti fuère. Fuit eo regnante, tanta annonæ caritas, publicaq; in Francia fames, vt rex, detracta templi S. Dionyſii aurea, argenteáq; donaria, (quæ magno pondere Dagobertus rex dedicauerat) pauperibus diſtribuenda curârit. Non multò pòſt, expeditionem vltramarinam, in qua per Septennium, magna cum laude verſatus fuit, ſuſcepit, erepto etiam hoſtibus, Saluatoris noſtri ſepulchro, vrbe Hieruſalem, Relicta in Francia, quæ regni negotia curaret, vxore ſua Baudoura, cuius literis reuocatus in Franciam fuit, ad ſedandam ſeditionem, per abſentiam

tiam ſuam obortam, quod etiam, reuerſus in Franciam, abundè præſtitit, punitis duobus filijs, defectionis auctoribus. Tandem cum regnaſſet annis 17. viuis excedit, anno verbi incarnati 642. ſepultus, cum patre ſuo apud S. Dionyſium.

CLOTARIVS III. REX FRANcorum XIII. regnauit annis 4.

CLotarius, eius nominis tertius, poſt mortem patris ſui, coronatur Francorum rex, anno 663. qui officij ſui adeo negligens, regiiq; faſtigij oblitus fuit, vt conſtituto Regij ſui Palatij Maiore, regni Adminiſtratore Ebroino, omnia munera publica, negotiaq;, nutui illius permiſerit. Vnde tanta creuit huic Ebroino, reliquiſq; poſt eum præfectis, auctoritas, vt ipſi Reges parêre præfectis, quodammodo viderentur, ſecedentes à frequentia hominum, in remota ab vrbibus caſtella, aut amœnos aliquos hortos, vbi ſe oblectantes, toto anno non prodibant in publicum, niſi Maii menſis die primo, tum vecti curru, triumphantium more, ſplendidè, regióque luxu veſtiti, ſeſe oſtentabant populo, excepti lætis vulgi clamoribus, ſalutationibúſq;, (popellus enim ludicris hiſce mira-

mirabiliter delectabatur, maieſtatémque ſuorum regum admirabundus ſpectabat.) His ſpectaculis finitis, rurſus ſeſe conferebant in ſuas villas, venationibus, & reliquis ſuperuacaneis operis, tempus tranſigentes, quaſi regni negotia, ad eos nihil pertinuiſſent, manſitque hæc conſuetudo Francorum regibus, ad Pipinum vſque, qui ex præfecto, factus eſt Francorum rex, vt pòſt dicetur. Itaque regnantibus iſtis voluptuariis regibus, non parum Francorum regnum diminutum eſt, cum vltra Pariſios, Normandiamque nõ ita longè ſeſe extenderet Francorum regum Imperium. Vicini enim Principes, vſi hac oportunitate, hincinde auellentes, multas, regni Franciæ ditiones, ſibi vſurpârant. Aquitaniam, regnum in Gallia valde opulentum, ſibi vſurparunt Principes Gaſconiæ, Quercy & Perigort, aliíque qui in ea regias præfecturas obtinebant, ſub titulo Comitum, Ducúmque eas inuaſerunt, hæredibúſque ſuis, poßidendas tranſmiſere, qui eas, ſocordia regum, ad Caroli Martelli vſq; tempora, quietè poſſederunt, qui Ducem Eudonem oppreßit, quòd Saracenis, ad inuadendã Franciam, tranſitum per ſuas ditiones, dederat, túncq; poſtliminiò reuerſæ, ad reges Franco-

rum,

rum, illæ Prouinciæ. Clotarius, cum regnaſſet annis 4. nullis poſt ſe relictis filijs ſucceſſorib. anno 667. moritur.

CHILDERICVS II. REX FRANcorum XIIII. *regnauit annis 12.*

CHildericus, eius nominis ſecundus, poſt mortem fratris ſui Clotarij, fit rex Francorum. Verum enimuerò notãdum, fratrẽ ſuũ Theodoricum, natu minorem, paulò plus minus, annum ante hunc regnaſſe: quo, vna cum palatij præfecto ſuo, in monaſterium detruſo, propter immanem ſuam tyrannidem, quam Principes Francorum, tolerare diutius noluerunt. Ne regni ſedes vacaret, receperunt hunc Childericum, in regem ſuum, anno 668. habuitq; præfectum, Volfradum. Sunt autem Franci, fruſtrati ſua ſpe, quam animo conceperant, de nouo rege, qui nihil vnquam rege dignum præſtare potuit, adeo vt propter tyrannidem, euaſerit omnibus ſuis inuiſus, maximè autem, multorum odia incurrit, cùm Bodillum Nobilem Francum, immeritum, palo alligatum virgis cædi iuſſit. Neq; vero rex, diu impunè tulit. Bodillus enim, hac iniuria, ignominiáq; iuſto in regem odio exarſit, adeo vt

ſtatue-

ſtatuerit, regem interficere, perfecitq; nõ multo pòſt, improuiſo regem, è venatione redeuntem, adortus, interemit eum, in villa Chelles vocata, nec ſola regis morte ſatiatus, reginam etiam vtero geſtantem, trucidat. Regnauit Childericus annis 12. fuitq; ſepultus vna cum vxore in templo S. Germani desprez, les Päris, anno 679. nullis poſt ſe relictis liberis ſucceſſoribus. Regnante hoc Childerico, magna eſt orta diſſenſio, de primatu, inter Eccleſias Romanam, & Rauennatenſem. Tandem Rauennatis ceſſit Romanæ, licet antè ſe nominauerit illius caput. Non multo pòſt Rauennates, cùm tentaſſent recuperare ſuam priſtinam libertatem, à Iuſtiniano ſecundo, tanta vi oppugnati fuère, vt eorum vrbs capta, & direpta ſit, Epiſcopus etiam Fœlix nomine, candenti ferro excæcatus, miſſuſq; in Pontum, Inſulam, in exilium, iuſſu, inſtigantéq; Papa Roman. qui eum capitali odio perſequebatur.

THEODORICVS, REX FRANCOrum XV. regnauit annis 26.

THeodoricus, eius nominis primus, mortuo ſuo fratre, reuocatus è monaſterio, in

quod

quod à Francis fuerat protruſus, poſt mortem Clotarii III. reſtituitur priſtinæ ſuæ Regiæ dignitati, anno 680. habuit præfectum Landeſilum. Ebroinus verò, qui ante hunc, eo munere functus fuerat, protruſúſque cum rege in monaſterium, ægro ferens animo, Landeſilum ſibi, in præfectura prælatum, relicto monaſterio, conſcriptóque exercitu, tanto animo aggreſſus eſt Theodorici regis exercitum, vt eum fuderit, paulóq; pòſt, congreſſus cum Landeſilo, Competitore ſuo, in colloquio eum fraudulenter interemit, Vnde poſtea multi in exilium miſſi fuêre, Epiſcopi etiam aliquot, morte mulctati, rediítque ad præfecturam ſuam Ebroinus, ſumpſitq; ab Aduerſariis ſuis plenam vindictam, nulla etiam habita ratione, potentiæ vel nobilitatis. Deuicit etiam Pipinum, & Martinum fratres, Auſtraſiæ Duces, Imò ipſum Martinum, contra datam fidem, occidit, cuius tamen mortem, non diu impunè tulit Ebroinus, à Comite Hermenfroy, occiſi Ducis Feudatario mortem Domini ſui vindicãte, illiúſque arrogantiam puniente, in lectulo occiditur, qui deinde, ad Heriſtellum confugit: qui capto rege Theodorico, reſtitutóq; priſtinæ libertati & dignitati, magnam apud

Fran-

Francos nobiles gratiã & famam conſequutus fuerat, promotusq́; ad præfecturam etiam, in qua multa cum laude ſe geſſit, præclara, excelſi animi ſigna ædens, augendo, dilatandoq́; Regni pomœria. Theodoricus, cum regnaſſet annis 26. viuos reliquit, anno à Chriſto nato 694. relictis poſt ſe duobus filijs, Clodoueo, & Hildeberto. Humatus, vna cum Vxore ſua Doda, in vrbe Atrebatenſi, in monaſterio S. Vaſti vt inibi teſtatur Epitaphium. Circa hæc tempora, cœpit in magna auctoritate & Veneratione eſſe Eccleſia Romana.

CLODOVEVS III. REX FRANcorum XVI. regnauit annis 4.

CLodoueus III. eius nominis, filius maior natu præmortui Regis Theodorici, ſuccedit anno 694. de quo, nihil relatu dignum, apud ſcriptores inuenitur, nõ tam propter ætatem ſuam gerendis rebus inhabilem, quam, quòd omnia regni munia, per præfectos gerebantur, Pipinus igitur Heriſtellus, Regii Palatij Maior omnia publica Regni negotia nutu ſuo adminiſtrabat, Auſtraſiam etiam obtinens. Habuit Pipinus, ex vxore ſua, tres filios, Druonem ſcilicet, & Drogonem Comi-

tem Campaniæ, Grimoaldũ. Ex Alpaide etiam Amaſia,, natus illi eſt Carolus Tutilde dictus Martellus, pater illius Pipini breuis, qui pòſt factus eſt rex Francorum, vt infrà dicetur. Pipinus igitur Heriſtellus, Palatij Maior, multa bella geſſit, Friſios etiam eorumq́; Ducem Radbotum, armis, Chriſtianam fidem ſuſcipere, compulit, anno ſalutis humanæ 697. Hac ætate Venerabilis vir Beda vixit, regnante hoc Clodoueo ſchiſma eſt ortũ in eccleſia Romana, ſuper electione Papæ. Mortuo enim Papa Conone, nonnulli elegere Theodorum quendam, hominem opulentum, Alij contra, mercede conducti, elegerunt Paſchalem, Archidiaconum, pari ambitione, ſuam vterq; electionē firmam ratamq́; cupiebat. Romani vtriuſq; cupiditatem indignati, Tertium elegerunt, repudiatis duobus illis antè electis, qui etiam coacti fuere, comprobare, huius Tertij, nomine Sergij, electionem. Non multo pòſt, Paſchalis, conuictus, artis magicæ beneficio, papatum ambijſſe, tonſus, in monaſterium detruditur, vbi ira doloreq́; poſt paucos dies moritur. Circa hæc tempora, Saxones qui hactenus nulla vi potuere cogi ad Chriſti fidē, vltrò ſeſe Chriſti iugo ſubmittunt, ſedulam operam præſtante Sergiò.

HILDE-

HILDEBERTVS, REX FRANCO-rum XVII. *regnauit annis 18.*

Hildebertus, eius nominis ſecundus, mortuo fratre Clodoueo, fit rex Francorum, anno 698. omnia autem publica regni negotia, nutu Heriſtelli præfecti, de quo ſupra dictum, adminiſtrabantur, Hildebertus, vmbram verius, quam regem gerebat. Pipinus enim Imperatorum, regumq́; legatos per ſe audiebat, iisq́;, etiam inconſulto rege, reſponſa dabat, Bella gerebat. rurſum pro libidine ſua, pacem, induciaſue faciebat. Deniq́; regnantibus his perſonatis regibus, intãtum creuit Præfectorum auctoritas, vt nemo, etiam in toto regno, eos contra hiſcere auderet. Etenim Lambertus Epiſcopus Vltraiectinus, ab exilio reuocatus, auſus Pipinum, ob commiſſum adulterium, verbis caſtigare, à Dodone Concubinæ fratre, miſerum in modum occiditur. Pipinus nihilominus ſeruata priſtina auctoritate, inſtituit filium ſuum Grimoaldum, regiĩ palatii Maiorẽ, quo, poſt paucos dies à milite Friſio interfecto, ſubſtituit illi, ex filio nepotẽ Theodaldum, vulgo Tibaudt vocatum, cuius pater Drogon, Comes Campaniæ fuerat. Carolum verò Martellum, filiũ nothum, Ducem

Auſtraſiæ creat, quem deinde, mortuo Pipinô, Plectrudis nouerca, captiuum, Coloniam duci iuſſit, eiusq́ ditiones, filio ſuo, ex ſecundis nuptijs nato, Theodaldo ſeu Tibaudt, poſsidendas tradit. Hildebertus, cum regnaſſet, ſub cura Maiorum Palatij, obijt, anno ſalutiferæ incarnationis 715, regni ſui anno 18. Sepultus apud S. Stephanum, in Vrbe Nancrio, relictis duobus poſt ſe filijs, Dagoberto, & Lothario. Circa hæc tempora, Veneti, obuiam euntes diſſenſionibus, ex ambitione nouorum Gubernatorum, indies naſcentibus, crearunt ſibi Ducem, ne ſic quidem ſperatam concordiam conſecuti, occiſis aliquot, ex primis Ducibus, ſucceſſoribus tam limitatam, circumſcriptamq́ poteſtatē reliquerunt, vt præter Ducis nomen, nihil fere ipſis ſuperſit. Decernendi enim poteſtas, penes Senatores remanſit. Licet decreta Ducis nomine, ſigilloq́ firmentur, illius etiam nomine moneta cudatur.

DAGOBERTVS REX FRANcorum XVIII. regnauit annis 4.

DAgobertus, eius nominis ſecundus, coronatur Francorum rex, anno 716. regebatur

tur autem nutu Plectrudis, viduæ Pipini, illiusq́; nepotis, Maioris Palatij Thidaldi. Interim Franci aliquot nobiles, crearunt ſibi alium Regem, Danielem ſeu Chilpericum vocatum, adiũcto illi Maiore Palatij, Comite Hermenfroy, (occiſi ab ipſo Ebroini Tyranni fama claro.) Dum hæc in Francia geruntur, Carolus Martellus, à Plectrude nouerca, captiuus in Vrbe Colonia detentus fuit. Quam diu reges iſti vmbratiles regnarunt, Francia miſerum in modum, aſsiduis bellis dilacerata fuit. Nec finis calamitatum fuit, quoad regnum Francicum, ſubmotis iſtis nominetenus Regibus, ad Martellorum familiam translatum eſt. Theodaldus enim, Plectrudis filius, ægrè ferens Competitorem ſuum Hermenfroy, regemq́; illius Chilpericum, coacto exercitu eos aggreſſus, amiſſa exercitus ſui maiore parte, circa ſyluam carbonariam, turpiter fugiens, nobilium Gallorum animos à ſe abalienauit, adeo vt Plectrudis, ambitioſiſsimæ fœminæ iugum, diutius ferre recuſarint. Cum hæc geſta ſunt, moritur rex Dagobertus, relictis duobus poſt ſe filijs, Theodorico, & Chilperico, qui in monaſterium fuere protruſi. Irminfridus enim, Maior Palatii Regis Chilperici,

riti, Theodaldo deuicto, victoriæ adeptæ fama, ſuas partes non mediocriter confirmauit. Suſtinuitq́; regem ſuum in regno, quoad Martellus, carcere euadens, creauit regem Clotarium, Dagoberti præmortui patruum, Chilperico profligato, & ad regem Aquitaniæ confugere coacto. Vnde tamen, poſt mortem Clotarii reuocatus, ab ipſo eodem Martello, regiæ dignitati reſtitutus eſt. Regnãte eo, Philippus imperator edicto ſuſtulit omnes è templis imagines, idq; de conſenſu Patriarchæ Conſtantinopolitani. Papa verò Conſtantinus, coacta Romæ ſynodo, reiectis ab iis adductis argumẽtis, vtrúmq; hæreſeos damnauit, excommunicationibus etiam validiſſimis fulminans.

CLOTARIVS, REX FRANCORUM XIX. regnauit annis 2.

CLotarius, eius nominis quartus, ſucceſſit in Francorum regno, anno 720. Dictum autem ſuprà, Carolum Martellum, euaſiſſe è carcere Colonienſi, in quo eum Nouerca Plectrudis, per aliquot annos, arctiſſimè aſſeruari fecerat. Factus ergo liber Carolus Martellus, conſcripto exercitu ſatis valido, Regem Chilpericum adoritur, manúque armata, regiam

giam ſuam dignitatem, tuentem, prope Vrbem Samarobrinam, profligat. Nec verò Chilpericus animum deſpondet, ſed quanta maxima potuit celeritate, renouato exercitu, impetratisq́ auxiliis ab Aquitaniæ duce denuo belli fortunam experitur. Vincitur tamen ipſe, & Dux Aquitaniæ ſocius, amboq́ in interiorem Aquitaniam profugiunt. Irminfridus autem, Maior Palatii regis Chilperici, è fuga peruenit in Vrbem Iuliomagum, eum Carolus Martellus inſequitur, captaq́ vrbe in ſuam poteſtatē redegit, ſatis humaniter nihilominus cum eo actum eſt. Ipſa enim Vrbs, exilij ſedes illi data fuit. Martellus, deuictis hoſtibus, factus voti compos, reuerſus in Franciam eligitur Maior Palatii, regniq́ præfectus, inſtituto nihilominus rege Clotario, qui conſuetudinem prædeceſſorum regum ſecutus, nomine regis contentus, nullis ſe rebus gerendis immiſcuit, nam, vt iam ſæpe dictum eſt, Reſpublica, nutu præfectorum, omnia pro libidine ſua adminiſtrantium, regebatur. Cum Clotarius, ſub cura Martelli, regnaſſet annis 2. è viuis exceſſit, anno humanæ ſalutis 721.

Sepultus apud patrem, & fratrem, in Vrbe Nancy.

CHILPERICVS II. REX FRANcorum XX. regnauit annis 5.

CHilpericus, qui etiam Daniel dictus fuit, (qui regnauit ante Clotarium duobus annis) reuocatur mortuo Clotario ex Aquitania, reſtituiturq́; ſuo priſtino regno, per Carolum Martellum, Maiorē Regii Palatii, anno 722. Cur autem ab exilio reuocatus fuerit, alia cauſa non reperitur, niſi quòd Aquitaniæ Dux dicatur, præcipuus huius reuocationis auctor, extitiſſe, ipſiusq́; interceſſione, hunc Chilpericum, ad regnum Francorum rediiſſe, prætereritis duobus in monaſterium protruſis, Dagoberti Regis filiis, legitimis regni hæredibus. Carolus Martellus, Regii Palatii Maior, ſublatis Competitoribus ſuis, omnia regni negotia, pro ſuo arbitrio adminiſtrabat. Regnauit ſub eius cura, & auctoritate Chilpericus, annis trib. hinc moritur, anno verbi incarnati, 726. Sepultus, in Eccleſia Cathedrali Nouioduni. Regnante hoc Chilperico, denuo magni excitantur tumultus, de veneratione imaginum, quas Imperator Leo, edicto è templis tolli, publiceq́; exuri iuſſerat. Papa verò Gregorius 2. quantum maximè potuit, repugnauit, omnibus Leonis Imperatoris ſubditis, ſub pœna ex-

na.excommunicationis interdicens, ne edictis obedirent, aut aliâs debitum tributum ipſi penderent. Circa hæc tempora, moritur rex Britanniæ, nullo relicto legitimo ſucceſſore, vnde regni Principes, in ſeptem diuiſi factiones, quas regni nomine ſouebant, ciuilibus bellis tumultuari, ſeſeq́; mutuo ad internecionem vſq; extirpare, per triginta annos, non deſtitêre, ad regnum vſq; Caroli Magni, qui deuictam Britanniam, regno Franciæ inſeuit, reliquosq́; Regulos, vectigales reddidit, tumultuantesq́; Britannos compeſcuit.

THEODORICVS II. REX FRANcorum XXI. regnauit annis 15.

THeodoricus, eius nominis ſecundus, filius maior natu regis Dagoberti II. è monaſterio, in quod in tenera ætate, vna cum fratre ſuo Chilperico protruſus fuerat, euocatus à rege Daniele, ex præſcripto legum Salicarum, directam regum lineam intuente, mortuo Daniele, coronatur rex Francorum, anno à Chriſto nato 726. qui toto ſui regni tempore, nihil rege dignum præſtitit, neglecta regni cura, cuius negotia omnia, pro arbitrio Caroli Martelli, Maioris regij Palatij, vt iam multo-

ties, in vitis prædeceſſorum regum, dictum fuit, regebantur, qui, multas ſanè res laude dignas, ſub hoc rege, geſsit, adeo vt poſt mortem, meruerit inter Francorum reges ſepeliri, erecta etiam ſtatua. Tanta enim ocioſorum regum fuit, circa publica regni munia, negligentia, vt omni Reipub. cura Maioribus Palatij commiſſa, tandem etiam poſſeſsione ipſa nominéque regni ſpoliati fuerint, Maioribúſque id occupandi occaſionem dederint, vt pòſt dicetur. Cùm ſub Maiore ſuo Carolo Martello, Theodoricus regnaſſet annis 15. nullis relictis liberis, moritur, ſepultúſque apud San. Dionyſium, anno à Chriſto nato 740. Regnante hoc rege, Vrbs Roma obſidetur à Longobardorum rege Luitprando, ideo Papa Gregorius, implorans opem Caroli Martelli, tranſmiſit illi claues Sepulchri Chriſti, vincula etiam S. Petri, additis alijs multis magni precij donis. Itaque ab eo tempore ſuſcepit Martellus patrocinium Romanæ Eccleſiæ, idque tam ardenti animo, vt ſtatim miſsis ad Longobardos legatis, additis minis, niſi à Roma caſtra mouiſſent, Papam obſidione liberauerit. Exq; eo tempore, Romana ſedes, excuſsit iugum

gum Imperatorum Græcorum, quos antè vt veros Dominos ſuos venerata fuerat.

CHILDERICVS III. REX FRANcorum XXII. *regnauit annis 9.*

CHildericus, eius nominis tertius, vulgò Inſipiens dictus, coronatur rex Francorum, anno 741. Iam ante, mortuus fuerat Carolus Martellus, relictis poſt ſe tribus filijs, Pipino ſcilicet, Griſone, & Carlomanno. Pipinus ſucceſsit patri in officio Maioris Palatij, ne tantillum quidem remittens, ab ea, quam pater ſuus Martellus, in reges exercuerat, auctoritate. Griſon autem, quietis impatiens, arreptis armis, occupat vrbem Laon, dúmque eã cõmunire vult, imparatus opprimitur, ducitúrq; captiuus in Caſtrũ Nouum ſitũ in Arduenna ſylua. Hinc tamen non multo pòſt elapſus, cõfugit ad Saxones, quorũ adiutus auxiliis, coacto numeroſo, validóq; exercitu, fratrẽ Pipinũ bello petit, à quo demum duodecim Comitatus cõſecutus, arma vtrinq; poſita. Carlomannus huius mundi caduca fluxaq; bona cõtemnens, profectus Romam, ſuſcipit de manu

Papæ,

Papæ, habitum S. Benedicti. Deinde ad montem Caſsinum in Italia ſitum, abiens, cōſtringit ſe voto monaſtico. Pipinus verò, relictis à Carlomanno ditionib. factus potētior, omnibus præterea regni proceribus ſe carum eſſe animaduertens, non duxit ſibi prætermittendam, hanc oblatam, ad regnum perueniendi, occaſionem, quóq; facilius, ea quæ animo deſtinauerat, ad optatos exitus perducere poſſet, operæ precium duxit, primùm cōciliare ſibi animum Papæ Zachariæ, tranſmiſſo ad eum libello, quo vituperoſam Childerici vitam, Papæ, quàm potuit diligētiſsimè delineauit, atq; expoſuit, addens etiam, iniquum eſſe, eos regis nomen gerere, qui neglectis regijs muneribus, otioſam vitam ducentes, alteri curam omnem regni adminiſtrandi demandarent, æquius iuſtiuſq; fore, eos, qui onus regni ſuſtentant, honore etiam nominéq; regis dignos haberi. Hac ratione perſuaſus Papa, mandat Childericum tonſum, in monaſteriū detrudi, in quo etiam mortuus eſt, vltimus primæ familiæ Francorum regum, qui ex ea familia, recta linea ſucceſſerant per annos 331.

PIPI-

PIPINVS, REX FRANCORVM XXIII. regnauit annis 18.

Pipinus, filius Caroli Martelli, cùm per nòuem annos adminiſtraſſet officium Maioris Palatij, coronatur rex Francorũ, anno 751. non tam de conſenſu Papæ Zachariæ, quã multorum etiam Principum Franciæ, quòd eo honore non indignus haberetur, propter ſcientiam rei militaris, multarumq́; rerum experientiam, quam longo vſu, diu in Republicâ verſatus, cõſecutus fuerat. Mortuo Papa Zacharia, ſucceſſor eius Stephanus, à Longobardorum rege Aiſtulfo eiectus, in Franciam venit profugus, conquerens apud Pipinum, dè ſibi illata vi, à Longobardis. Pipinus igitur, vt qui ſe Romanæ ſedi, iuſtis de cauſis deuinctum eſſe ſciret, promiſit Papæ, ſe illius iniurias non neglecturũ, curaturumq́;, vt erepta illi reſtituerẽtur, quo reſponſo recreatus Papa, quo apud regem grati animi ſpecimen æderet, ſecundò ipſum, cum duobus filijs conſecrat in reges Francorum, addito cognomine Chriſtianiſsimi, (quo omnes deinde ſucceſſores vſi ſint) Anathemate etiam feriens omnes eos, qui vllò vnquam tempore hanc inaugurationem contraire, aut facere quicquam attentaſſent. Pipinus

pinus igitur non multo poſt, ducit exercitum in Italiam, cui, cùm rex Aiſtulfus, ad alpium fauces, iter præcludere nititur, tanta Francorum impreſsione reijcitur, vt neceſſe ipſi fuerit, confugere in vrbem Patauium, vbi à Pipino obſidione clauſus fuit, quoad promiſit, ſe Papæ petitionibus ſatisfacturũ, Iuſtitiã nempe, quã vocant S. Petri, illi reſtituere, Rauennæ etiam, aliarumq; vrbium poſſeſsionem. Ipſe etiam Pipinus dono dat Rom. Eccleſiæ vrbes hoſti ereptas, Bononiam ſcilicet, Ariminum, Fauentiam, Imolam, Vrbinum, Ferrariam, Neapolin, & Inſulas Siciliam, & Sardiniam, hæc donatio, offendit non mediocriter Imperatoris animum, ad quẽ illarum vrbium poſſeſsio ſpectabat. Reuerſus ex Italia, armis aggreditur Ducẽ Aquitanũ Gaiferum, omniq; ditione exuit, Ducémq; Bauariæ vectigalẽ ſibi reddit, Saxonibus etiam impoſuit tributum annuum, trecentorum equorum. Tandem, in Francia erecto Parlamento, receptiſq; per Eccleſias Galliæ, Romanis ritibus, & ceremoniis, moritur Pariſiis, humatus apud S. Dionyſium anno 768. cum regnaſſet annis 18. ſuperſtitibus ex Berta vxore filiis duobus, Carolo Magno, & Carlomanno.

CARO-

CAROLVS MAGNVS, REX FRANcorum XXIIII. regnauit annis 46.

CArolus Magnus, filius Pipini, qui quàm primum Patri in regno ſucceſſit, cupiditate illud augendi accenſus, ſtatim animum ad res magnas adiecit, neq; ſpes eum ſua fefellit. Principiò enim bellum illud, contra Deſiderium Longobardorum regem, rogatu Papæ Adriani, ſuſceptum, propter turbatam poſſeſſionem earum vrbium, quas Pipinus Romanæ Eccleſiæ dono dederat, tam feliciter ad finem perduxit, vt captis rege, reginaq;, cum liberis regijs, in exiliumq; miſſis, funditus regnum Longobardorum delerit. Saxones etiam, cum quibus, per triginta annos, acerrimè bellauit, duodecies cum ijs prælio decertans, tandē debellauit, vectigaléſq; reddidit. Ducem etiam Hunault, Aquitaniam appetentem, opprimit, Item Rodgaudt, ſimile quid attentantem, in Italiæ Prouincia Foroiulienſi, morte mulctat. Domitis domeſticis hoſtib. coacto valido exercitu, Saracenos aggreditur, non procul ab vrbe Pampelona, licet non pari felicitate ſucceſſerit, primo prælio victus. Sed deinde, nouis habitis delectibus exercitum ſupplens, regreſſus, hoſtes ſuperat. Dum hæc in Galliis geruntur,

tur, anno nempe 790. celebratur ſeptimum Concilium Nicenum, in quo Græci, cum Latinis conuenêrunt de tolerandis in Eccleſia, ſanctorum imaginibus, Item de obeunda ſupplicatione Spiritus ſancti. Denique Carolus Magnus, perdomitò Bauarorum Duce Taßilone, ſuperatis Dalmatis, Auaris, & Vandalis, conſecratur à Leone III. Papa Imperator Romanus, acclamationéq; Populi Rom. Auguſtus vocatus fuit Romæ, ipſo Natiuitatis Chriſti feſto, anno 801. Tandem deuictis Britānis, profligatóque Godefrido, Danorum Normannorumq; Duce, cum regnaſſet annis 46. è viuis excedit, anno Chriſti 814. Corpus eius humatum eſt Aquisgrani. Neque hîc prætereundum, eum multas etiam res præclaras, togatum geßiſſe: erexit enim multa, diuerſis in locis, ſtudiorum Gymnaſia, Pariſiis nempe, Pataui, etiam Bononiæ. Vnde etiam non immeritò, ad imitationem Alexandri Macedonum regis, Pompeiq; celebratiſſimi Rom. Ducis, Magni cognomen vſurpauit.

LVDOVICVS I. REX FRANCORVM XXV. regnauit annis 26.

LVdouicus Pius, ſucceßit patri Carolo Magno, tam in Imperio Romano, quàm Francorum

torum regno, fuit coronatus Imperator Aquiſgrani, à Papa Stephano (qui iam diu in Francia fuerat) anno 814. Duxit vxorem ex familia Saxonum, Hermingardam, ex qua illi ſunt nati tres filij, Lotharius ſcilicet, q factus fuit Italiæ Rex in locum Pipini, capite truncati, eò quod conſpiraſſe contra patruum, accuſatus fuiſſet: Pipinus, qui fuit Aquitaniæ rex, moritur, ſuperſtite etiamnum patre: & Ludouicus, qui factus fuit rex Germaniæ, Bauariæq́;. Mortua Hermingarda, duxit ſecundam vxorem, Iudith filiam Comitis de Altorff, ex qua illi natus eſt, filius Carolus caluus, qui patri ſucceſsit in Regno Franciæ. Ludouicus rex, cum reformandis Clericorum ſui ſtatus, moribus, qui eo tempore luxu, faſtu, epulationibusq́; exemplo populum nō mediocriter offendebant, concilium vellet indicere, nunquam potuit voto ſuo ſatisfacere, impeditus bello ciuili. Oppugnatus enim à tribus ſuis, ex primo matrimonio natis, filijs fuit, quos Clerus incitauerat, criminabantur, etiam, iniquam regnorum diuiſionem. Inſuper etiam ipſi Eccleſiaſtici, coacto conciliabulo Cōpendij, vbi decreuerunt, Ludouicū tanquam inutilem, priuandum Imperio, tonſumq́; in

monaſterium eſſe detrudendum, deinde decrētum illud tranſmiſerunt Lothario regis filio, qui ex Italia, Papa comitatus, numeroſo quoq; exercitu inſtructus, in Franciã venit, patriq; inſtructis copijs obuiam progreſſus, confligendi animo. Pater verò prælium deuitans, filij ſui ſe permiſit poteſtati, qui eâ inſolentia, acerbitateq; in patrem fuit, vt nõ ſit veritus, eum in carcerem detrudere, apud S. Medardum in Sueſſionibus, Nouercam, vna cum filio ſuo Carolo Caluo, in exilium protrudens. Principes verò Frãciæ, iniquo ferentes animo filij tãtam impietatem, intra annum, regem ſuum carcere educunt, qua re perculſus Lotharius, profugit in Italiam, cui tamen pater illam culpam condonauit. Normanni hoc tẽpore inuadunt Galliam. Paulò pòſt Ludouicus moritur in vrbe Moguntina, cum regnaſſet annis 26. ſepultus in Vrbe Mediomatricum in Lotharingia.

CAROLVS CALVVS, REX FRANcorum XXVI. *regnauit annis 38.*

CArolus Caluus, filius Ludouici Pij, factus eſt rex Francorum, anno 841. idq; occaſione diuiſionis factæ cum fratribus, cum quibus

ante

ante factam partitionem, ad Fontenaium Iſſiodorēſium, prælio decertauit, in quo magna pars Nobilitatis Gallicæ occubuit: quam nacti anſam Normanni, nouis excurſionibus vexarunt Galliam, direptis etiam oppidis, Nannetenſium, Turonenſium, & Iuliomago, maioraq; tentaturi videbantur, niſi pax inter fratres inita eos deterruiſſet, quæ his conditionibus firmata fuit: Vt Carolo Francia omnis occidentalis, incluſa fluuio Moſa, oceano, & mōtibus Pyrenæis, pareret. Ludouico Franconia, cum multis Germaniæ ciuitatibus vltra Rhenum: Lothario Italia Imperiumq; Romanum. Fuit facta hæc diuiſio, de conſenſu trium fratrum, ad eum finem congregatorum, in Vrbe Verduno. Quantum attinet ad Pipinum, Carolumq;, præmortui Pipini Aquitaniæ regis, filios, Carolus Caluus eos detruſit in monaſterium, mutato Aquitaniæ regno in Ducatum. Lotharius Imperij ſui anno decimoquinto, monaſticum votū ſuſcipit, relicto Imperio, filio Ludouico natu maiori, Lotharingiā autē, quam de ſuo nomine ita vocauit, Lothario ſecundo ſuo filio, dat. Quibus non multo pòſt, ſine legitimis hæredibus, vita decedentibus, Carolus Caluus fit Imperator, ex quo tēpore, factius eſt

adeo ſumptuoſus, vt coronatus, dalmaticaq́ ad talos demiſſa indutus, in publicum prodiret, plusq́ temporis impenderet cultui corporis, veſtiumq́ ſuperfluitatibus, quàm rebus ſerijs, aut alioquin ad Regni curam ſpectantibus. Veneno, à medico ſuo Sedechia Iudæo, necatus, cum regnaſſet annis 38. humatur eius corpus, apud S. Euſebium Vercellis, anno 878. vnde poſt ſeptennium, relatum ad S. Dioniſium fuit reliquosq́ pone reges poſitum. Carolo regnante, anno nempe 831. tanta annonæ caritas, publicaq́ fames, ꝑ omnes Imperij ſui ditiones fuit, vt filij parentes ſuos deuorare, plus quàm ferino more, attentauerint. Circa hæc etiã tempora Cardinales elegerunt fœminam Papam, quæ deſumpſit nomen Iohannes, ſunt qui eam Anglam, alij contrà Germanam natione fuiſſe ſcribant, cũ ſediſſet annis duobus, dolore partus extinguitur.

LVDOVICVS II. REX FRANCOrum XXVII. *regnauit annis 2.*

LVdouicus, eius nominis ſecundus, Balbus dictus, ſucceſſit ſuo patri Carolo caluo, anno 878. Papæ Iohanni carus fuit, magnaq́ familiaritate coniunctus. Vnde Papa ſummam

adhibuit

adhibuit diligentiam, quo poſſet eum ad Imperii faſtigiũ euehere, verum Italiæ Principes reſtiterunt, Papamq́, ea de cauſa, in carcerem coniecerunt, ex quo tamen, non multò poſt euadens, in Galliam profugit, coronauitq́ dictum Ludouicum in Imperatorem, qui tamen non diu hac dignitate lætari potuit, intra biennium moriẽs, prægnantem poſt ſe relinquens vxorem ſuam Richildam, quæ deinde peperit filium Carolum, Simplicem dictum. Relictis etiam dobus filiis Nothis, Ludouico, & Carlomãno, qui adminiſtrarunt regnum impuberis fratris, Caroli Simplicis. Hoc Ludouico regnante, Normanni excurſionibus Galliam vexarunt, fuêre tamen, magno ſuo damno, reiecti. Soror huius Ludouici nupta fuerat Regi Angliæ, quo mortuo, Ipſa in Franciã rediẽs, rapitur à quodã Principe, Balduino vocato, qui eam in Vxorem ducens, obtinuit dotis nomine, à Francorum hoc rege, ſyluam carbonariam, quæ tractu deinde temporis exciſa, excultaq́, Flandria dicta fuit, Comitatus titulo ex eo tempore, à Balduini ſucceſſoribus poſſeſſa. Dicendum etiam obiter hîc eſt, Ludouicum Bauarum, Caroli Calui fratrem, duos habuiſſe filios, Carolũ nempe & Ludòuicum.

Carolus ſucceſsit Patruo ſuo Carolo Caluo in Imperio, exq; eo originem duxit Hugo Capetus, à quo cœpit initium tertia Francorum regum familia. Sed redeamus ad Ludouicum, quo regnante Normanni iterum Galliam inuadentes, magna vtrinq; effuſione ſanguinis repelluntur. Moritur Ludouicus in Vrbe Compendii, ipſo Paraſceues die, corpus eius humatur in tēplo D. Mariæ dictæ Vrbis. Illo mortuo, Regina profecta eſt ad fratrem ſuum Angliæ regem, apud quem dum commoratur, educat filium ſuū poſthumū. Poſt hunc Ludouicū Francorū rex nemo Imperatoriā dignitatem conſecutus eſt.

CARLON, REX FRANCOrum XXVIII. *regnauit annis 5.*

CArlon ſeu Carlomannus, eiusq; frater Ludouicus, præmortui regis Ludouici filii Spurii, fiunt reges Franciæ anno 881. eò quòd nullus legitimus regni hæres præ manib. eſſet. Vnde in Francia diſſenſio orta, cum alii regnū Baſoni Prouinciæ Comiti deferendum cenſerent, alii contrà, ad Germanorum Imperatorem, illud transferri cuperent, litem iſtam diremit iiſdem diebus natus filius poſthumus, ex relicta Ludouici regis vidua, qui legitimus

mus

mus regni hæres, cum propter ætatem, admi-niſtrando regno ineptus eſſet, fratres ſuprà memorati, tutelæ nomine, regimen ſuſcipiũt, conſcriptóq; exercitu, obuiam proficiſcuntur Danis, Normannisq;, Franciam per quinquennium, omni belli calamitate diuexantibus, initóq; cũ iis, prope Chinon, prælio, occiſis nouem hominũ millibus, adeo eos debilitarunt, vt relictis, quas antè occuparant, Vrbibus, Treuez & Metz, Francia excedere coacti fuerint. Sunt qui dicant, eos magno auri pondere accepto, iis vrbibus, totaq; Francia ceſ-ſiſſe. Ambobus iſtis fratribus, miſerabilis, fortuitusq; vitæ exitus fuit. Ludouicus enim ardenti ſtudio in venatione aprum inſequens, telo, à ſocio venationis in feram directo, traiectus, miſere periit. Carlomannus verò, in ſequenti anno, dũ puellam cupitam, profugientem in domunculam quandam, temerè equo inſidens perſequitur, detorta ceruice moritur. Datus autem huic regis titulus, quòd illum ætate, & vita ſuperauerit. Carlomannus cùm regnaſſet annis quinq; moritur anno à Chriſto nato 876. relicto filio vnico Ludouico, q patri in regno ſucceſſit, licet non habuerit plenã regni adminiſtrationẽ, ut infra dicetur, cognominatusq; Inutilis fuit. Tt 4 *Ludo-*

LVDOVICVS III. REX FRANcorum XXIX. *regnauit annis 6.*

LVdouicus, Inutilis Vulgo vocatus, mortuo patre Carlomāno, regnum eſt adeptus anno 886. In quo ſe adeo male geſſit, vt regis nomine, ab omnibus, merito indignus haberetur. Deditus enim voluptatibus corporis, tam vecors factus eſt, vt nihil, domi foriſue, Rege dignum quicquam præſtare potuerit. Cumq́ illi à Patre relictus eſſet numeroſus, probeq́ inſtructus exercitus, quo facile potuiſſet Normannis, Galliam populantibus, omniáq́ paſſim diripientibus, reſiſtere, ſi quid in eo animi fuiſſet, verum tam timido viliq́ animo fuit, vt inito cum iis fœdere, promiſerit ipſis, per duodecim annos, ſoluere annuam, duodecim mille librarum, penſionem. Quam ignominiam Franci iniquo animo ferentes, Francicóq́ nomine indignum ducentes, Normānis pendere tributum, regno exutum, in monaſterium protrudunt apud S. Dioniſium. Factus fuerat iam ante aliquot dies ſubditis inuiſus, maxime vero nobilibus, eò ꝙ violētas, incæſtaſq́ nuptias cū monacha monaſterii S. Baudouræ, contraxerat. Rege igitur intra clauſtra

monaſterij incluſo, Principes Franciæ mittũt legatos ad Carolum Craſſum Imperatorem, illius implorantes opem, contra inuaſiones, oppreſsionéſq; Normannorum. Imperator precibus eorum perſuaſus, ſuſcipit Galliæ patrocinium, coactóq; exercitu, obuiam proficiſcitur furori Normannorum, eóſq; denuo exercitu quadraginta hominum mille, in Franciam irruentes, Vrbémq; Pariſiorum obſidentes, monaſteria, Eccleſiaſq; in Suburbijs exurentes, tanta vi aggreſſus eſt, vt vix eorum vnus euaſerit, quo aduerſo prælio conſternati Normanni, per aliquot annos, abſtinuerunt à vexanda Gallia. Nihilominus Carolus animaduertens, omni eos Gallia non ita facile pelli poſſe, de conſenſu Francorum Principum, inijt cum eorum ducibus, Godefrido & Sigefrido, fœdus, conceſſa illis Neuſtria trans Sequanam fluuium, cuius regionis Incolæ, iamdudum ad eos defecerant, exq; eo tempore prouincia illa, dicta eſt Normannia. Tandem ipſemet Carolus Craſſus, factus eſt adeò degener, priſtinæq; virtutis immemor, vt exutus ſuo Imperio, eò egeſtatis redactus ſit, vt vix illi alimenta ſuppeterent.

ODO, REX FRANCORVM XXX. *regnauit annis 8.*

ODO, filius Comitis Andegauenſis, mortuo Carolo Craſſo, obtinuit regnum Franciæ anno 891. quamuis non eſſet de familia Carolina, prætulere tamen illum Franciæ Principes, Arnoldo Germanorum Imperatori, qui armis tentabat occupare Francorum regnum. Hoc regnante, Normanni, gens indomita, rupto, neglectóque, cum Carolo Craſſo inito fœdere, renouarunt in Francia acerrimum bellum, ſecundo vrbem Pariſiorum obſidentes. Vnde Monachi S. Genouefuæ, quorum oratorium in ſuburbijs exuſſarant, ex eo tempore precibus ſuis horarijs inſeruere: A furore Normannorum, libera nos Domine. Eruptionibus verò noui regis Odonis acerrimis, coacti caſtra mutare, vrbémque liberare. Redeuntes tamen verſus ſuas ditiones, quà tranſierunt, omnia barbara ſæuitia diripuerunt, occiſis incolis, exuſtiſque multis oppidis, caſtelliſque in Prouinciis de Brye & Campaigne, occupata etiã vrbe Troia. Hinc cum Britanniam, eadem exequendi animo peterent, fuere excepti à Britannis alacri, intrepidóque animo, qui eos duobus prælijs, duodecim millibus hominum occiſis, deuictos reiecerunt.

iecerunt. Dum hæc in Francia gerũtur, Principes aliquot Francorũ, perſuaſi ab Anglorum rege, miſerunt, qui ex Anglia reducerent puerum regem, filium Ludouici Balbi, (quem mater, mortuo marito rege, eò traduxerat, educauerátq; apud auunculum ſuum regem Angliæ) adductúmq; coronârunt in regem Frãcorum, annos tunc natum quatuordecim. Hac electione, Odo rex, qui tum in Britannia viuebat, valde conſternatus fuit, nihilominus, antequam vita exceſſit, libero ore, animóq; faſſus eſt, Puerum illum, legitimum hæredem regni, ſeq; tutelæ nomine hactenus regnum adminiſtraſſe, moritur deinde anno 889. Sumpſit hic Odo primus, inſignia regia, innumeris depicta lilijs, vſuſq; etiam ſimiliter depictis vexillis, quos perdurauit ad Carolũ vſq; ſextum, Francorum regem, qui rurſum induxit vſum inſigniorum, trium Liliorum, quæ inſtituerat Clodoueus, regum Francorum primus Chriſtianus.

CAROLVS III. REX FRANCOrum XXXI. *regnauit annis 27.*

CArolus, eius nominis Tertius, Simplex dictus, adeptus eſt regnum Franciæ, anno 899.

no 899. Normannico bello nondum plane ſopito, huc acceſſerunt etiam domeſtica bella, auctore Roberto Comite Pariſino, fratre Odonis illius, qui rerum potitus fuerat, nec deerant è Principibus aliquot, qui Roberti cauſæ fauerent, eúmque regem efficere ſtuderent. Carolus verò, quò facilius his tantis ingruentibus malis reſiſtere poſſet, iniјt fœdus cum Imperatore Henrico Saxone, collectóque exercitu, obuiam proceſſit Roberto, (ab Archiepiſcopo Remenſe iam in regem coronato) conflixítque cum eo prope Sueſſiones, quo in prælio, profligato exercitu, ipſe Robertus occiditur. Illius mortem frater ſuus Hebertus Comes Vermandorum, acerbè tulit, ſed oportunitatem vindictæ idoneam captans, dolorem ad tempus diſſimulat. Rex deinde, quo tandem finis aliquãdo foret, tot, tantarúmque malorum, quibus Francia tot iam annis, aſſiduitate bellorum oppreſſa iacuerat, nouum iniјt fœdus cũ Normannorum rege Rodolpho, data illi filia ſua in vxorem, ea conditione, vt fiat Chriſtianus, conceſſa etiam dotis nomine Normannia. Rex his omnibus obeundis intentus, diuertens de via in vrbem Peronam, obtulit Heberto, Domino Vrbis, occaſionem exequẽdi id, quod diu animo

animo occultatum geſſerat. Inuitatus demum rex ab Heberto, arcem ingreſſus, conÿcitur in carcerem, in quo triēnio pòſt dolore ſqualoréq; extinctus eſt. Tamen antequam è vita exceſſit, coactus fuit ab Heberto, & Hugone Comite Pariſino, regno ſe abdicare, idq; Rodolpho, Burgundiæ Ducis filio cedere. Regina ſalua euaſit ad fratrem ſuum, Angliæ regem, Eduardum, apud quem, propter Gallicos motus, tredecim annis commorata eſt. Mortuus autem rex in carcere Peronenſi, anno 926. cū regnaſſet annis 27. iacet apud S. Fourcy, in vrbe Perona.

RODOLPHVS, REX FRANCOrum XXXII. *regnauit annis 12.*

R*Odolphus Burgundus, opera diligentiaq; Comitis Vermandorum Heberti, & Comitis Hugonis Pariſini, coronatur Francorum rex anno 927. qui licet non fuerit regia ſtirpe oriundus, obtinuit regnum, non tam fretus, adiutúſq; opibus, fauoréq; Comitum ſuprà dictorum, quàm multorum etiam aliorum Frāciæ Principum, maximè vero ſeſe fulciēs, violenta Caroli abdicatione. Itaq; regnauit duobus, aut vt alÿ malunt, duodecim annis, numeratis*

meratis ijs, quibus filius Caroli Simplicis, per ætatem regis munere fungi non potuit. Non videtur autem diu regnaſſe, quòd ferè nihil de eo relatu dignum, memoriæ proditum apud Francorum Hiſtoricos inueniatur, præter expeditionem illam, quam ſuſcepit in Italiam, inductus ſpe perueniẽdi ad imperium, id temporis valde controuerſum, ſparſo etiam rumore Saracenos bello ſe velle aggredi, qui frequentes apud Neapolim deſcenſiones faciebant. Verum enimuerò omni ſua ſpe fruſtratus fuit, quamuis deuicerit Berengarium in Italia potentem principem. Tandem cum animaduerteret ſe apud Italiæ Principes, in nullo precio ac honore, ipſisq; inuiſum, reuertitur in Franciam, pauloq; poſt, medicorum euaneſcentibus curis, à vermibus exeſus, fatis debitum perſoluit.

Hoc rege regnante, accidit Romæ nefandi exempli offendiculum. Facta enim diſſenſione ſuper electione Papæ, Sergius viribus ſuperior deiecit FORMOSVM SEDE ROM. *qui profugus in* FRANCIAM *venit, nihil intentatum relinquens, quo poſſet reduci, reſtituiq; in integrum, quo tandem impetrato*

trato, ſtatim poſt adeptum Papatum moritur. Tum Sergius Antipapa morte Competitoris lætus, Petri ſedem ſcandit, vindictæq; cupiditate ardens, Formoſum è ſepulchro extrahere, atq; in Sedem ROMANI PONTIFICATVS *ſacerdotalib. indumentis indutum capite truncari præcepit. Cui & ait: Cum Portuenſis eſſes* EPISCOPVS, *cur ambitionis ſpiritu* ROMANAM *vniuerſalem* SEDEM *vſurpaſti? His expletis ſacratis mox exutum veſtimentis, digitiſq; tribus abſciſis, in Tybrim profluentem proÿci iubet.*

LVDOVICVS IIII. REX FRANcorum XXXIII. *regnauit annis 16.*

LVdouicus, eius nominis Quartus, vocatus Vltramarinus, eò quòd in Anglia profugus, educatus fuerat, fit rex Francorum anno 929. accitus ad regni poſſeſſionem à Frãciæ Principibus. Initio regni ſui, bella geſſit cum Imperatore Otthone, Ducéque Bauariæ Henrico, pertractis in ſocietatem ſuam Palatino

tino Ebrado, Ducéq; Lotharingo, poſt nihilominus, pace cum Cæſare facta, ſororem eius Engebergam, filiam Othonis primi, (quæ antè Duci Lotharingo nupta fuerat) in vxorem ducit, magnamq; Lotharingiæ partem cum ea adeptus eſt. Reuerſus in Franciam, ſuſpendi iuſsit Comitem Vermandorum Hebertum, paternæ necis auctorem, quo facto, Hugo Comes Pariſinus à rege alienatus, Normãnos, ad bellum regi mouendum, incitauit; quod magno vtrinq; animo aggreſsi, poſt varios belli euentus, Dux Normanniæ Guilhelmus, ab Arnoldo Comite Flandriæ occiditur. Rex audita illius morte, properat verſus vrbem Rhotomagum, animo capiendi, mortui Ducis filium Richardum, verum antequam rex aduenit, confugerat ad Comitem Bernardum, præpotentem in Normannia virum. Hugo Comes Pariſinus, non ita multo antè regi conciliatus, denuò deficit à rege, criminans iniquum fœdus initum cum Normannis, quorum cauſam apertè fouendam ſuſceperat, iiſq; perſuaſit, rupto fœdere renouare bellum, pertracto in ſocietatem rege Danemarckiæ profugo, qui cum nauium claſſe ſubſtiterat ad promontorium de Caulx, tãtaq; aſtutia doli ſui telam contexuêre, vt

re, vt

re, vt Rex, multis ex prima nobilitate amiſſis, captus in vrbem Rhotomagũ aueheretur. Qua re intellecta Imperator Otho, in Galliam ſedandis iſtis turbis ilicò venit, aduentuq́ ſuo rex liberatur, dato obſide Carlomanno, qui paulo poſt inibi moritur. Hugo Comes Pariſinus, hoc inopinato Cæſaris auxilio ſpe ſua deiectus, ſeſe permittit poteſtati Regis, qui, cum regnaſſet annis 16. moritur anno 945. Sepultus apud S. Remigium, in Vrbe Remenſi.

LOTHARIVS, REX FRANCOrum XXXIIII. *regnauit annis 31.*

L*Otharius, eius nominis quartus, Coronatur rex Francorum, anno 946. quo tempore Hugo Comes Pariſinus, omnia regni munera adminiſtrabat, qui paulo poſt mortuus, ſepelitur regali pompa, apud S. Dioniſium, relictis poſt ſe tribus ex Aigonda vxore filijs, Hugone ſcilicet, Capeto, Othone Duce Burgundiæ, & Henrico, fratris in Ducatu ſucceſſore. Imperator Otho inueſtierat regis fratrem Carolum Ducatu Lotharingiæ. Lotharius eam donationem tam ægro tulit animo, vt illius ergò, Imperatori bellum denuntiauerit confeſtimq́ ducto exercitu verſus Aquiſgranum,*

aduentu ſuo inopinato, Imperatorem imparatum in fugam coniicit, Franci præſidiis nudatam vrbem expugnant, & diripiunt, vnáq; Imperatoriam aulã, opimáq; præda ditati, in Franciam reuertuntur. Imperator hac direptione adeò fuit exacerbatus, vt iurauerit, ſe de ipſa Pariſiorum vrbe pœnas ſumpturum, quam nõ multò pòſt obſidione cinxit, direptis in itinere, prouinciis, Sueſſionum, Remenſium, & Laon. Hugo verò Capetus, & Henricus Burgundiæ Dux, qui vrbem præſidio obtinebant, quotidianis eruptionibus depugnantes, magno Imperatorem damno afficiunt, necato etiam inter alios, quodam die, Nepote Imperatoris. Hoc ſucceſſu, obſeſſi facti alacriores, aſsiduiſq; eruptionibus, externos hoſtes inuadentes, Imperatorẽ, deſperata expugnatione, de abitu conſilia capere compulerũt, quem deinde abeuntem, Franci, magna animi alacritate inſecuti ſunt, eumq; circa Sueſſiones aggreſſi, tantam exercitus ſui ſtragem ædidere, vt fluuius D'ayne, cadaueribus repleto aluco, conſuetum ſuum curſum mutârit. Deuenerunt tamen in mutuũ colloquium, Imperator, & rex, ſtabilitaq; inter eos iuramẽto pax fuit. Dux Lotharingiæ Carolus, cuius cauſa bellum

iſtud

iſtud ſuſceptum fuit, viuebat tũ temporis Bruxellis, ignauo ocio deditus, vnde nobilitati inuiſus, ab omnib. contemnebatur. Clotarius cũ regnaſſet annis 31. moritur anno 986. ſepultus apud S. Remigium, in vrbe Rhemenſe, relicto poſt ſe filio unico Ludouico, qui Patri in regno ſucceſſit.

LVDOVICVS V. REX FRANCOrum XXXV. *regnauit annum I.*

LVdouicus, eius nominis quintus, coronatur rex Francorum, anno 987. moriturq́, anno ſequenti Compendij, veneno, vt creditum fuit, ſublatus, ſepultusq́, apud S. Cornelium dicti loci, nullo relicto legitimo regni hære de. Vnde regnum Francorum factum fuit controuerſum, patruus enim ſuus Carolus, Lotharingiæ Dux, qui, vt ſuprà dictum fuit, Bruxellis viuebat, adiutus à Conſanguineo ſuo Othone Imperatore, conſcripto exercitu Franciam petit, ſpe conſequendi regnũ, cuius poſſeſſionẽ ad ſe ſperare, aiebat, quòd eſſet regis præmortui agnatus proximus, occupatisq́, aduentu ſuo Reims, Laon & Soyſſons Vrbibus, adeo vt Competitor ſuus, Hugo Capetus perculſus, interiorem Galliam ſeceſſerit, confirmatisq́, viribus non multo pòſt, reuerſus,

Vu 2 Vrbem

Vrbem Laon, in qua ſe Carolus, cum uxore & liberis, incluſerat, obſidet, breuiq́; clandeſtino introitu Vrbe potitur, (proditione Ancelij urbis Epiſcopi,) Carolumq́; cum uxore & liberis captiuos, tranſmiſit in urbem Aureliam, ubi per annos ſedecim captiuus detentus, ſuſcepit ex uxore ſua filios duos, totidemq́; filias, quarum una, Emenarda dicta, nupta fuit Comiti Namurenſi, nataq́; ex ijs eſt filia Iſabella, quæ nupſit Philippo illi Auguſto, qui genuit Ludouicum, patrē S. Ludouici, qui hac ratione, dictus fuit deſcendiſſe è ſtirpe Carolina. Sed redeamus ad Hugonem Capetum, qui hac victoria potitus, regnum ſibi aſſeruit, pro ſe adducens Rudolphum Burgundū patruum, qui regnum obtinuit, de conſenſu Caroli Simplicis per vim expreſſo. Addens inſuper, diuinitùs patri ſuo ſignificatum fuiſſe, regnum ad ſuam familiam tranſiturū, perſuaſis hoc modo aliquot è Galliæ principibus, quodq́; ipſe nō indignus eo honore haberetur, propter uariam rerū experientiam, rex permanſit. Competitor ſuus, ab omnibus deſertus, licet uerus regni hæres eſſet, miſerè in carcere moritur, anno 1004.

HVGO

HVGO CAPETVS, REX FRANcorum XXXVI.*regnauit annis 9.*

HVgo Capetus, filius Hugonis Pariſini, eligitur rex Francorum Nouioduni, coronaturq́; in Vrbe Remenſi, anno 988. Initia ſui regni tranquilla nactus non tam vi, & armis, quàm conſenſu fauoreq́; Principum aliquot Franciæ, maxime verò, quòd Carolum Lotharingiæ Ducem, Competitorem ſuum diligenter cuſtoditum, in carcere aſſeruaret, adeò vt illius cauſam nemo ſuſcipere auderet, ideoq́; illi, (duobus ſuis filijs veneno extinctis,) vt fama fuit, in carcere moriendum fuit. Eaq́; ratione Capetus plenam liberamq́; regni poſſeſſionem nactus, Vrbem Pariſiorum regni primariam, lætis ciuium acclamationibus exceptus, ingreditur. Hinc de medio ſublatis, quos nouo ſuo regno obſtare poſſe putabat, inter quos, Archiepiſcopum Remenſem (regis Clotarij fratrem Nothum) ſede epiſcopali mouit, inſtituitq́; in illius locũ Gilbertum Philoſophum Aquitanum, filij ſui pædagogum, qui poſtea factus fuit Papa, deſumpto nomine Silueſtro, Infamis, quod magicæ artis beneficio, (vt Nauclerus ait) cum diabolo paciſcens, eò digni

tatis euectus fuerit. Sed redeamus ad regem. Hugo Capetus naſcituris etiam diſſenſionibus maturè prouidere cupiens, curauit filium ſuum Robertum, ſe ſuperſtite, coronari in Galliæ regem Aureliæ, à Præceptore ſuo Gilberto, tum Epiſcopo Remenſe. Ipſe autem deinde non eſt vſus diademate, aut vllis alijs regijs inſignijs, ſed bella gerens continua, laboribus militaribus ſeſe exercebat. Hinc cum eſſet illi nunciatum, Arnoldum Flandriæ Comitem, damnare ſuam iſtam violentam regni vſurpationem, ideoq́, debitam Francorum regibus, ipſi denegaſſe obedientiam, armis eum aggreſſus, eripit illi Comitatum Arteſiæ, quem tamen non multò pòſt, interceſſione Ducis Normanniæ, re tranſacta, reſtituit. Cùm regnaſſet annis nouem, erexiſſetq́, Eccleſiã S. Maglorij Pariſiis, moritur anno 997. cũ prædeceſſoribus ſuis Frãcorum regibus, apud S. Dionyſiũ ſepultus fuit.

ROBERTVS, REX FRANCOrum XXXVII.*regnauit annis 34.*

R*Obertus, eius nominis primus, ſucceſſit patri ſuo Hugoni Capeto, in regno Franciæ, anno 997. regnauit autem toto ſui regni tempore feliciter, magnus Vir inprimis, pieta-*

pietate inſignis, Doctorum hominum, ipſe doctiſſimus, mecœnas liberalis, religionis cultor eximius, adeò, vt non ſemel ſeſe Clericis, horarias preces decãtantibus in Eccleſia, immiſcuerit, profectus etiam Romam religionis ergò, multa quoq; Templa, monaſteriáq; fundauit opulentibus ea reditibus dotans, Pariſiis erexit Eccleſiam S. Nicolai des champs prope Palatium, quod tum erat extra muros ſitum. In Vrbe Aurelienſi dicauit Templum S. Mariæ des bonnes nouelles: diuerſisq; in locis alia multa Acceſsionem etiam adiunxit Abbatiæ D. Dionyſii. Anno regni ſui quinto, Henricus, Burgundiæ Dux, moriens teſtamento illi reliquit Burgundiam, quam deinde Comes Auguſtonemetum, adiutus fauore, auxiliisq; Burgundorũ, occupare tentans, vincitur, filiusq; regis Robertus in poſſeſsionẽ mittitur. Eodem tempore Vrbs Sens fiſco regis adiudicata, Comite eius, læſæ maieſtatis crimine, damnato. Circa hæc tempora rex Robertus, vnáq; cum eo Richardus Normanniæ Dux, exercitum in Valencenianos ducunt, ſuppetias ferentes Balduino Flandriæ Comiti, Imperatoris Henrici armis oppreſſo. Rex Robertus, duas habuit Vxores, ex quarũ prima Conſtantia, filia Comitis

Arelatenſis, ſunt illi quatuor filij nati, vnáq; filia, nempe, Hugo, Henricus, Robertus, Eudes, & Aliſa. Hugo & Eudes, patre etiamnum ſuperſtite moriuntur. Hinc Henricus ſecundo genitus, patri in regno ſuccedit. Robertus dux Burgundiæ fuit. Aliſa nupta fuit Comiti Auguſtonemetum, pòſt etiam Flandriæ. Robertus cum regnaſſet 34. annis, ex hoc ſeculo migrat anno 1030. in oppido Meloduni. Corpus eius humatur apud S. Dionyſium. Vxor eius Conſtantia, ſepelitur in Abbatia de Poiſſy, ab ipſa dicata, quam multi pòſt Francorum reges dotauerunt.

HENRICVS I. REX FRANCOrum XXXVIII. *regnauit annis 30.*

HEnricus, eius nominis primus, coronatur rex Francorum, anno 1030. de poſſeſſione autem regni, armis illi contendendum fuit, cum fratre Roberto, qui in ſuas partes pertraxerat Flandriæ & Campaniæ Comites. Henricus autem, capta iamdudum regni poſſeſſione, adiutusq; auxilijs Ducis Normanniæ, & Comitis Corbellij, victoria potitus, liberam regni poſſeſſionem conſequitur. Non ita multo poſt, Rudolphus Burgundiæ ſuperioris rex, cum regnaſſet annis triginta, iam annis fa- ctus

ctus grauis, tradit regnum ſuum Conrado filio Imperatoris. Comes autem Campaniæ Eudo, id ægrè ferens, captis armis tentauit illud inuadere, ad ſe id ſpectare, iure ſucceſſionis aſſerens. Quo ab Imperatore repulſo, regnum in duas prouincias diuiſum fuit, quarum vna pars, ſub Comitatus titulo, Imperio ceſſit, alteram ſub Ducatus titulo obtinuit regis Francorum frater Robertus. Ne hac quidem partitione contentus Comes Eudo, redintegrato bello, Gotheloni Duci Lotharingo, eripit vrbem Bar, & alia aliquot Caſtella. Tandem verò, amiſſo exercitu hoc bello, obijt. Rex intellecta defectione Comitis Melanij, eripit illi ditionem, coronæq; Franciæ annectit. Dum hæc geruntur in Francia, Normāniæ Dux Robertus, cū vellet ſuſcipere Vltramarinam expeditionem, animo recuperandi regnum Hieroſolymitanum, relicto Ducatu, filio Notho Guilhelmo, dat illi tutorem Regem Franciæ, qui illum repugnantibus Normannis, in poſſeſſionem induxit. Henricus duas habuit vxores, quarum prima, breui poſt nuptias tempore, moritur, ſecunda, Anna dicta filia regis des Rutelois, peperit illi tres filios, Philippum ſcilicet, qui patre ſuperſtite coronatur Frācorum rex,

Hugonem Comitem Veromanduorum, & Robertum, qui patrem morte præceſſit. Cùm regnaſſet annis triginta, dato filiis Tutore Balduino Flandriæ Comite, moritur anno 1060. ſepultus apud S. Dionyſium. Hoc tempore fuere Romæ tres Papæ, quibus ſede pulſis, Imperator Henricus inſtituit quartũ, Gratianum nomine, qui accepti beneficii memor, Imperatorem, magni valoris aurea corona, donauit.

PHILIPPVS I. REX FRANCO-rum XXXIX. *regnauit annis 48.*

PHilippus, eius nominis primus, ſucceſſit patri, coronatúſq; Francorum rex, anno 1061. natus annos nouem, Regnum verò adminiſtrabatur à Balduino, Flandriæ Comite, tutelæ nomine, duxerat enim amitam regis in matrimonium. Principes autem Francorum aliquot, ægre parêbant Comitis Tutoris edictis. Verùm enimuerò diligentia, prouidentiáque Comitis, eò res deducta fuit: vt etiam inuiti ipſi præſtare conſenſum debuerint. Coëgerat enim exercitum numeroſum, quem in Vaſconia ſuſtinebat, ſparſo rumore Saracenici belli, cum reuera, diſſipandis Nobilium aduerſis con-

ſis conſilijs, exercitus ille aleretur. Hoc tempore moritur rex Angliæ, ſine legitimo regni hærede, inſtituto ex Teſtamento ſucceſſore Guilhelmo Duce Normanniæ. Frater verò Angliæ Reginæ Hauardus, repudiato Guilhelmo, regnum inuaſit, Guilhelmus traiecto mari, bellum illi infert, tandémq; Hauardo occiſo, regno potitur, dumq; in Anglia noui regni cõfirmandi cauſa, cõmoratur, filius ſuus Robertus, quem Ducatui Normanniæ præfecerat, factus eſt adeo inſolẽs, vt Pater coactus fuerit, in cõtinsntẽ traijcere, ipſiq; bellum inferre, in quo, dum cũ filio concurrit, lanceæ ictu ex equo deturbatur, ſuperuentu nihilominus ſuorũ illæſus euadit. Philippus duxit vxorem Bertam, filiam Balduini Comitis Hollandiæ, ex qua natus eſt illi filius Ludouicus Craſſus, qui poſt eũ rex fuit: & filiã Conſtantiã, quæ nupſit Principi Auſtriæ. Repudiat deinde rex Bertam, perſuaſu ab vxore Foulqueſii Ducis Andegauenſis, quam per annos ſeptẽ, tã inſano, vituperoſóq; amore adamauit, vt ea incõſulta, in publicis regni negotiis, vix quicquã ſtatuere auderet. Tandẽ verò cẽſuris Papæ Paſchalis perculſus, reiecta adultera, cũ Berta vxore ſua, redijt in gratiã. An. 1095. decreta fuit illa nunc-

ſa-

ſatis laudata expeditio vltramarina, recupe randi cauſa regni Hieroſolymitani. Impera tor exercitus, declaratur Godefridus Bullio nius, qui trecentis hominum millibus, multiſq; ex præcipua nobilitate comitatus, primo aduentu ſuo occupat Syriam. Deinde ipſam quoq; vrbem Hieruſalem, vbi coronatus rex, intra annum moritur, Rex Philippus, cum re gnaſſet annis 49. mortuus eſt Meliodumi, anno 1109. ſepultúſque apud S. Benedictum ſur Loirre.

LVDOVICVS VI. REX FRANcorum XL. *regnauit annis 29.*

LVdouicus Craſſus, ſucceſſit Philippo patri ſuo, coronaturq́; Francorum rex, ab Archiepiſcopo Senonenſi, in vrbe Aurelianenſi, anno 1109. Principes aliquot Francorum, adiuti auxiliis Angliæ regis, inſtigante verò maxime regis fratre Notho, coniurationis auctore, bellum regi mouent, quo tumultu non multò pòſt ſopito, Bellum Anglicum, iam multotiens diuerſis conditionibus ſopitum, rurſum renaſcitur. Cuius belli occaſione, rex Normanniam petens, Guilhelmum præmortui Ducis Roberti filium, reducit, reſtituitq;, non tamen

abſq; armorum ſtrepitu, in quo etiam Balduinus Flandriæ Comes, lethali vulnere læſus, extinguitur, cui ſucceſſit Carolus Danemarckiæ regis filius, quo, in Eccleſia Brugenſi, necato, rex confeſtim in Flandriam proficiſcitur, ne Comitatus ille Anglis cederet, Inſtituitque Guilielmum Normanniæ Ducem, quò, non lõgo pòſt tempore extincto, ſubſtituit illi Theodoricum Holſatum, ea conditione, vt ſit Francorum regum feudatarius. Circa hæc tempore, prodiere in lucem Templariorum, Carthuſianorumq; ordines, Inuentoribus Brunone Ludimagiſtro Colonienſi, & Hugone Epiſcopo Gratianopolitano. Papa Innocentius II. pulſus Roma, à Papa Aniceto, profugus in Frãciam. venit hoc tempore, quem Francorũ rex inuiſit. ſummóq; honore excepit, Aureliæ, celebrauitq; in Francia, Remenſe, & Claramontanum Cõcilia. Rex Ludouicus habuit ex vxore ſua Aliſa, filios ſex. Philippum, qui viuo patre ſuo coronatur rex Franciæ, qui deinde ex equo, (porco inter eius pedes tumultuante) prolapſo decidens, moritur. Tunc Ludouicus Iunior dictus, ſecundogenitus ſuccedit. Tertius fuit Petrus, Dominus de Courtenay, quartus, Robertus Comes deureux, & duporche,

quintus,

quintus,Henricus Epiſcopus Bellouacenſis, xtus,fuit Archidiaconus Pariſienſis. Rex L douicus,cum regnaſſet annis 28. fundaſſetqu Eccleſiam D.Victoris in vrbe Pariſiis, è viui excedit,anno 1137. Sepultus apud S. Dionyſium. Circa hæc tempora, tanta ventorum fuit vehemētia,vt arces domúſq; proſtratæ, arboréſq; multæ, paſſim per vias radicitus euulſæ, conſpicerentur, maríſq; inundatio,magno maritimorum locorum damno,inſecuta eſt.

LVDOVICVS VII. REX FRANcorum XLI. regnauit annis 43.

LVdouicus, eius nominis Septimus, Iunior vocatus, Patre etiamnū ſuperſtite, regni Francici habenas ſuſcepit, anno 1138. duxit vxorē Eleonoram,filiā Ducis Aquitaniæ,obtinuítq; cū ea Aquitaniā, Comitatúmq; Andegauenſem. Anno regni ſui ſexto, ſuſcepit expeditionē Vltramarinam, Hortatore maxime D. Bernardo, ſanctitatis fama eo tēpore celebri, expertus totū iter periculis, inſidijſq; plenum, perfidia Græcorum, Chriſtiani etiā nominis, qui cum Turcis clanculum conſpirauerāt. Superatis tamen his omnib. difficultatibus, adiutus auxiliariis copiis, Cōradi Imperatoris, vrbem Damaſcum expugnat: ſed ob diſſenſionē inter milites in caſtris ortā, obſidio ſoluitur.

Rex

Rex igitur, ſalutato in itinere rege Hieruſalẽ Balduino, amiſsis ſuorum militum præcipuis, in Franciam reuerſus, repudiat vxorem ſuã, propter adulterii ſuſpicionẽ, quã de ea concepẽ rat animo, criminabatur ẽt, quòd voluiſſet ſe, in expeditione Vltramarina, per auunculum ſuum Antiochiæ Principem prodere. Nõ multò pòſt Eleonora repudiata, quòd eſſet mulier forma, morúmq; elegantia ſpectatiſsima, patrimonio etiam opulẽto diues, Ducatu nempe Aquitaniæ, Comitatúq; Andegauẽſi, nupſit Hẽrico Normãniæ Duci, qui poſtea factus eſt rex Angliæ, quem fecit etiam, numeroſa prole parentem. Fuit hoc matrimonium cauſa multorum, diuturnorúmq; bellorum, inter Anglos & Gallos, de poſſeſsione iſtarum ditionum dotalium, altercantes. Rex duxit ſecũdam vxorem Conſtantiam, Hiſpaniarum regis filiam: qua mortua, ſuperinduxit Tertiam, Aliſam, filiam Comitis de Blois, ex qua illi natus eſt filius, vulgò, A Deo datus, appellatus, eò quòd rẽgi, iam ætate graui, præter expectationem, ſingulari Dei beneficio datus crederetur. Cùm Ludouicus regnaſſet annis 43. moritur anno 1180. ſepultus in Abbatia de Barbeau, quã ipſẽ fundauerat: Vbi illi poſtea, regio ſumtu, Sepulturam Regina extrui curauit.

PHILIP-

PHILIPPVS II. REX FRANcorum XLII. regnauit annis 44.

PHilippus Auguſtus, A Deo datus vulgò appellatus, filius Ludouici Iunioris: fit Francorum rex anno 1181. Initio regni ſui ſcripſit edicta ſeueriſsima, in diuini numinis blaſphemos, regno etiam Iudæos pellens, hæreticos etiam magna diligentia exterminans. Hic Philippus auxit Pariſiorum vrbem, multis publicis ædificiis, Vias etiã ſilice ſtrauit, muro clauſit S. Innocentium, muniuitq́; vrbem turrib. & propugnaculis, Scabinos etiam inſtituit. Ipſius etiam iuſſu, luculentum illud, S. Mariæ Pariſienſis, ædificium, (iam ante eum aliquot annis cœptum) perfectum fuit. Anno 1196. ſuſcepit expeditionem vltramarinam, recuperandi cauſa Hieroſolymitanum regnum, à Saladino Aegypti Sultano, Chriſtianis ereptum, quo in itinere paſſus naufragium, amiſit nauium ſuarum magnum numerum, appellens nihilominus ad Syriæ littus, occupauit vrbẽ Ptolemaidẽ, ſed peſte indies magis ac magis in ſuos graſſante, diffidens ẽt Anglo regi Richardo, qui vna cũ eo, ad id bellum profectus fuerat, reuertitur in Franciam. Richardo An-

do Angliæ rege paulò poſt etiam in ſuum regnum reuerſo, oritur bellũ inter eum regemq́ Franciæ, productisq́ vtrinq́ exercitibus, cum res ad manus deuentura videretur, eſſentq́ in procinctu milites, prope Iſſiodunum Richardus, (neſcio an aduerſam belli fortunam metuens) inermis prodijt verſus Philippum, ſe, ſuaq́ omnia illius permittens poteſtati, promittens etiam ſe cupere, & velle ex eo tempore, ditiones illas, quas in Francia obtinebat, beneficiario iure regum Francorum poſſidere, eosq́ reges (earum ditionum intuitu) Dominos cognoſciturum. Hoc Richardo mortuo, ſucceſſit in Angliæ Regno, Ioannes ſine terra, occiſo nepote ſuo Arto Comite Britanniæ, quam eius mortem rex Philippus tam acerbè vindicauit, vt armis illi eripuerit prouincias, Normanniam, Aquitaniam, Le maine, Andegauium, Pictauium & Auerniam. Hinc vt diſſiparet fœdus initũ, inter Ioannẽ Angliæ regẽ, Imperatorẽ Othonem, & Ferrantẽ Comitem Flandriæ, prælio cũ iis certare non dubitauit, tantaq́ felicitate pugnauit, vt fugato Imperatore, Comitẽ Damartin, & Comitẽ Ferrantẽ Flandriæ, captiuos Pariſios adduxerit. Cũ regnaſſet annis 43. moritur anno 1223. iacet apud S. Dionyſium.

LVDOVICVS VIII. REX FRANCOrum XLIII. *regnauit annis 3.*

LVdouicus, eius nominis octauus, coronatur rex Francorum, anno 1224. Viuo etiamnum Patre ſuo, armis ademit multa Regi Angliæ, coegit eũ etiam ſoluere obſidionem Arcis de la Roche au moine, imò tanta eum inſecutus diligentia eſt, vt totam ditionem Andegauenſem ea expeditione in patris poteſtatem redegerit. Non multò pòſt Angli deficientes à rege ſuo Ioanne, acciuerunt hunc Ludouicum, promittentes illi regnum Angliæ. Traijciens igitur Ludouicus trans mare, valido inſtructus exercitu, peruaſit Londinum vſq;, verum perfidiã Anglorum pertæſus, qui multis, ijſq; vaniſsimis promiſsis, ipſum ludificârant, reuertitur in Franciã. Initio regni ſui, prodijt vir quidam incognitus, adeo ſimilis Balduino Comiti Flandriæ, (qui iã diu perierat bello vltramarino) vt facile perſuaſerit Flandris, ſe eſſe Comitẽ Balduinum ex Aſia reuerſum, filia verò Comitis præmortui, omnino negans eum eſſe patrẽ ſuum rem omnẽ transſcribit regi Ludouico, illius implorans opẽ, contra hunc Pſeudocomitem: Rex igitur hominẽ Peronam ad ſe euocat,

euocat, diligentiq́; habita interrogatione, dolus nequitiaq́; detegitur, vnde poſt varia tormenta, iuſſu regis, roganteq́; Flandriæ Comitiſſa, ſtrangulatur. Circa hæc tempora rex Ludouicus, venit ad mutua colloquia, cũ Imperatore Federico, renouauitq́; antiqua, Germanorum Gallorumq́; fœdera. Deinde ducit exercitum ad Vrbẽ Auenionem, quam captã, diruit, ciuesq́; mulctat, eò quòd Albiggenſium (qui hæretici habebantur) opinionem ſecuti fuerant. Ex vxore ſua habuit filios ſex, duasq́; filias, maior natu Philippus infans, moritur, ſecundo genitus fuit S. Ludouicus, qui patri in regno ſucceſſit: Tertius Robertus Comes Arteſiæ, Quartus Alphonſus Comes Pictauiẽſis, Quintus, Carolus Comes Andegauenſis, & Prouinciæ, pòſt etiã rex Scilicæ, Sextus, Ioannes, qui moritur etiam Infans. Cũ regnaſſet annis tribus moritur Mompenſierÿ anno 1226. Iacet apud S. Dionyſium.

S. LVDOVICVS IX. REX FRANcorum XLIIII. *regnauit annis 44.*

SAnctus Ludouicus, eius nominis nonus, ſucceſſit in regno Francorum anno 1227. mortuo patre Ludouico octauo, qui teſtamento

reliquerat, filiorum minorũ Tutricem, Blancam vxorem, quam rem aliquot ex nobilitate ægrè ferentes, ſumtis armis, tentarunt eam gradu ſuo turbare. Verũ regina omnes eorum conatus, conſtantia, prudentiaq́, vicit: tanta enim celeritate, diligentiaq́, ab ea eſt itum obuiam incurſionibus Anglorum, qui in continentem, turbandæ Galliæ cauſa, traiecerant, vt facta cum ijs pace, magnam gloriã, & gratiam apud omnes conſecuta ſit. Pax autẽ cum Anglis his conditionibus confecta fuit, Rex Anglus poßideat Aquitaniam, iure beneficiario regis Francorum, renunciet omnibus iuribus, ab ipſo prætenſis in Prouincijs, Normannia Ponthieu, le Maine, & Poictou. S. Ludouicus præſente pecunia emi à Venetis, coronam Spineam, & alias multas ſanctorum relliquias, quas omnes Pariſios, in Capellam ſanctam deferri curauit. Cum frueretur enim læta pace nihil antiquius habuit, quàm religionis cultum, quibuſcunq́ poſſet modis augere, ſplendidioremq́ reddere, extructis paßim multis Oratorijs, opulẽtiſq́ ea reditib. ditans. Scholas publicas multas erexit, inter eas Collegium Sorbonnæ in vrbe Pariſiorum. Anno regni ſui 23. comitatus fratribus ſuis, multiſq́ ex Gallica

nobi-

nobilitate primarijs viris, cōſcenſis nauibus, animo repetendi regnum Hieroſolymitanum, primo aduentu ſuo expugnat Damiatam, vbi reficiendi exercitus cauſa, ad aliquot dies commoratus, hinc cum vlteriora peteret, à Sultano Aegypti inuaditur: qui proſtrato Chriſtianorum exercitu regem capit. Reſtituta autem vrbe Damiata, ſolutoq́ magno auri pondere, liberatur. Dū rex captiuus detinetur, magna multitudo paſtorum, prætextu ſacri belli, in Francia coiuit, qui omnia vndiq́ diripientes, raptoq́ viuentes, infinita per Franciam damna dederunt, fuere tamen profligati diſperſiq́ ab Aurelienſibus & Bitugiribus. Rex reuerſus in Franciā poſtliminiò, blaſphemis, alijſq́ ſceleratæ vitæ hominibus, punitis, multiſq́ alijs, tam piè, quàm prudenter, ad regni adminiſtrationem ſpectantibus, ordinatis. Denuò tribus ſuis filijs comitatus, oppugnaturus Saracenos in Africam traiecit, expugnata primo aduentu vrbe Carthagine. Hinc in vrbis Tunetanæ obſidione, moritur, anno 1270. regni ſui 44. Corpus eius relatum in Franciam, apud S. Dionyſium humatum fuit.

Deinde canonizatur.

PHILIPPVS III. REX FRANCOrum XLV. *regnauit annis 13.*

PHilippus, eius nominis tertius, in Caſtris Tunetanis ſalutatur rex Francorum, mortuo patre ſuo S. Ludouico, anno 1271. Quo tempore aduenerat in Africam, nouis inſtructus auxilijs Carolus rex Siciliæ, patruus regis Philippi, cuius copijs facti alacriores, Regem Tunetanum, magno audaciq́ animo aggrediuntur, deletoq́ eius exercitu, ipſum regem capiunt. Verum graſſantibus in Chriſtianorum caſtris contagioſis morbis, conſcendunt naues, repetentes Galliam, delati verò in altum, obortis aduerſis ventorũ tempeſtatibus, naufragium octodecim onerariarũ nauium patiuntur, quatuor hominum millibus ſubmerſis. Reuerſus Philippus in patriam, pacifici Principis officio functus eſt, ſi qd vſpiã inter vicinos Principes litium aut diſcordiarũ ortum eſſet, qua poterat diligentia cõponens. Ipſo etiam intercedente, inter Venetos Genuenſesq́, induciæ quinquennales factæ ſunt, Ipſo ẽt auctore, diſſidium illud Græcæ, Latinæq́ Eccleſiæ de Spiritu ſancto, in Concilio Lugdunenſi, ſopitum fuit. Suſcepit etiam Patrocinium Ioannæ regis Henrici Nauarræi, præmortui vnicæ filiæ. Ex prima

prima uxore ſua Iſabella Arragonia habuit filios tres, nempè Ludouicum, Philippum Pulchrum, & Carolum Valeſiũ, à quo originẽ ducunt illi, qui hodie in Gallia rerũ potiuntur, reges. Secunda eius uxor fuit Maria Brabantica, quæ falſo accuſata fuit filio regis natu maiori, procuraſſe mortẽ. Tulit cã filÿ mortẽ rex tã impatienti animo, ut 2. Epiſcopos, ad Beguinã quandam diuinatricem miſerit, expiſcandæ cauſa ueritatis, ſed res tota euanuit. Paulò pòſt Petrus Broche regis cubicularius ſtrangulatur, tum quòd Reginam falſo accuſarat: tum etiam, quòd auertiſſe regiam pecuniam diceretur, accedebat ad hæc, quòd cum rege Caſtiliæ, regis ſui conſilia cõmunicaſſet. Anno 1281. In Sicilia ad pulſum campanæ ueſpertinæ, occiduntur omnes Galli præſidiarÿ. Tulit hanc oppreſſionem Carolus Patruus regis, ægerrimo animo, uindictæ, & recuperandæ etiam Siciliæ cupiditate incenſus, ſtatuit, omnimodo p̃lio decertare cum Petro Aragonio, occiſionis illius auctore, qui non multò pòſt, à Gallis in inſidias pertractus, occiditur. Tandem rex, expugnatis Genua, & Girona urbibus, in Galliam reuerſus, moritur Perpigniani, anno 1285. Sepultus apud S. Dionyſium.

PHILIPPVS IIII. REX FRANCORUM XLVI. regnauit anno 28.

PHilippus Pulcher, eius nominis quartus, coronatur Francorum rex anno 1286. Duxit in Vxorem Ioannam, Hæredem regni Nauarræ, quæ illi peperit filios tres, nempe Ludouicum Hutin, Philippum longum, & Carolum pulchrum, (qui ſinguli, vnus pòſt alium, facti ſunt reges) & filiam vnam, nomine Iſabellam, quæ nupta fuit Eduardo, eius nominis ſecundo, Angliæ regi. Initio regni ſui, iuſſit extrui Pariſiis, regium Palatium, Carolus Valeſius, regis frater, ducto in Aquitaniā exercitu, contra Anglos, qui contra fœderis conditiones feciſſe dicebantur, eripuit iis Burdegalā vrbem primariam, magnamq; Aquitaniæ partē. Rex Anglus, quo illatam iniuriam facilius vindicare poſſet, iniit fœdus cum Imperatore, Adolpho. pſuaſitq; etiā Guy Flandriæ Comiti, partes regis Francorum deſerere, quæ defectio dedit occaſionē illi quindecim annorū bello, ꝙ Galli cum Flandris geſſerunt, quo bello ipſe Comes Guy, vna cum duobus ſuis filiis in regis Francorū poteſtatē deuenit, Rexq;, præcipuas Flandriæ vrbes præſidio impoſito retinuit. Flandri id

dri id agrè ferentes animo, non ita multò pòſt, præſidiarios in lectulis ſuis oppreſſos, necauerunt. Rex intellectа Flandrorũ defectione, duxit exercitum ad vrbem Cortracum. Neq; verò Flandri deficiunt animo, progreſſiq; Gallis obuiam, cum ijs confligunt, cæſaq; maiore exercitus parte, inter eos Comitibus Arteſia, Nesle, & S. Pauli, victoria potiuntur. Rex hoc incõmodo accepto, irritatus magis quàm fractus, redintegratis viribus Flandros aggreſſus prope montem de pouille, occidit ex ijs ad triginta millia, qua calamitate Flãdri perculſi, pacem à rege orant, quæ ipſis conceſſa, mulctæ tamen nomine ducẽta ſcutorum millia ſoluere iuſſi. Circa hæc tempora Papa Bonifacius regi Gallorum, neſcio qua de cauſa iratus, eum excommunicat, regnumq; eius dat Alberto Imperatori, ſuadétq; vt armis illud inuadat. Imperator verò iniuſtiſſimam Papæ donationem irridens, nihil quicquam hoſtile, in regem Franciæ machinatus eſt. Abſoluitur deinde rex à Papa Benedicto, illo, qui ſedẽ Papalem tranſtulit à Roma Auenionem, vbi permanſit per annos 70. rex Philippus cum eſſet Fõtana bleau natiuitatis ſuæ loco, moritur anno 1313. regni ſui anno 28. ſepultus apud S. Dionyſium.

LVDOVICVS X. REX FRANCORUM XLVII. *regnauit annis 2.*

Ludouicus Hutin, eius nominis Decimus, iam ante Nauarræ rex (mortua matre ſua Joanna Nauarræa) coronatur Francorum rex anno 1314. Initio ſui regni, conceßit Iudæis liberum in regnum ſuum reditum. Hinc mederi cupiens litigantium moleſtijs, immodicíſq; protelationibus in cauſis appellantium, ſtatuit ſuos Iudices à latere debere aßiduè in palatio Pariſino reſidere. Hoc tempore Enguerrantus de Marigny, Comes Longeuillanus regij ærarij præfectus, à Ioanne Hauuier, (iuſſu Caroli Valeſii regis patrui) peculatus accuſatur, etiã quòd interuertiſſet, ſibiq; retinuiſſet triginta ducatorum millia, quæ rex Papæ mitti iuſſerat, deinde dicebatur accepiſſe quadraginta mille libras, ex ijs decimis, quas Papa permiſerat exigi, de bonis Eccleſiaſticis. Nihilominus rex ne tot quidem enormibus accuſationibus moueri potuit, vt de eo quid acerbius ſtatueretur. Verum cùm intellexiſſet, vxorem dicti de Marigny, iußiſſe ſibi à quodam magico, imaginem ex cera fingi, qua ſtatuerat, additis magicis carminibus, regi vitam eripere, hac re, Regis

gis animus exacerbatus, ilico mandat, intentatam litem examinari, rémq; ad finem perduci. Vnde condemnatus de patibulo ſuſpenditur, ſtatua verò eius, quæ ſupra palatij nouiter extructi portam, poſita fuerat, deijcitur. Ipſe quoq; magicus, qui imaginem ceream fingendam ſuſceperat, ſuſpendio vitã finijt. Hoc tempore Rhodus Turcis, ab Equitib. Ioannitis; eripitur. Rex animaduertẽs Robertum Flandriæ Comitem pactis, in fœdere, conditionib. ſtare nolle, duxit exercitum verſus vrbem Cortracum, animo eum domandi, ſed intempeſtiuis, continuiſq; pluuijs, expeditio hæc euanuit. Nihilominus Flandri, metuentes ne primo quoq; tempore, Rex bellum redintegraret, conuenerunt cum eo, qua ipſe cõditione, voluit. Ludouicus Hutin, duas habuit vxores, ex quarum prima, (quæ ſoror erat Roberti Burgundiæ Ducis) natæ ſunt illi filiæ duæ, quarum prima Ioanna nupſit Comiti de Dreux, de quo deſcenderunt reges Nauarræi. Secunda blanca dicta, nupſit Philippo Valeſio. Secundam vxorẽ moriens, reliquit grauidam, quæ deinde peperit filium, qui intra octiduũ mortuus eſt. Hutin cum regnaſſet mẽſes 18. moritur in ſylua Vincenna, An. 1316. ſepelitur apud S. Dionyſium.

PHILIP-

PHILIPPVS V. REX FRANcorum XLVIII. *regnauit annis 6.*

PHilippus Longus, eius nominis Quintus, ſucceßit fratri ſuo Ludouico Hutino, anno 1316. Mota fuit illi lis de regni poſſeßione, à Duce Burgundiæ, aſſerẽs legitimam regni hæredem, filiam Hutini, vxorem Philippi Comitis Deureux, regis Nauarræ. Verum ex præſcripto legum Salicarum, vanæ fuere Allegationes Ducis Burgũdiæ. Philippus habuit tres filias, quarum prima Ioanna, nupta fuit Odoni Burgundiæ Duci, Secunda nupſit Ludouico, Comiti Auguſtinemetum, hodie Neuers, poſtea etiam Flandriæ, ex quo matrimonio nata eſt Margareta illa, quæ poſtea nupſit Philippo Audaci, filio regis Ioannis, Ducis Burgundiæ, & Flandriæ Comitis. Tertia nupſit Delphino Viennenſi, his matrimonijs inter iſtos Principes facta pax, fœderaq́; inita. Sub hoc rege orta eſt peſtis per totam Galliam, ex veneno corruptis puteis & fontibus, à lepra infectis, (ad id à Iudæis mercede conductis,) cuius nefarij facinoris aliquot rei, poſtea capti, extremis affecti ſunt ſupplicijs. Eadémq́; de cauſa, fuere in Carcere à Vitrij en Partois qua-

quadraginta Iudæi detenti, qui, ne Chriſtianorum manibus vitam amitterent, ſeſe mutuo occiderunt: quorum cadauera deinde exuſta fuêre. Rex permiſit etiam propinquis Enguerranti ærarij præfecti, (quem prædeceſſor ſuſpendi iuſſerat) cadauer tollere, ſepeliréq; apud Carthuſianos, quod poſtea relatum eſt ad S. Mariam deſcouis. Eodem tempore rex voluit, neſcio quid inſoliti tributi exigere, verũ non potuit ſubditorũ ſuorũ cõſenſum impetrare: Vnde, ne tumultus forte hinc orirentur, petere deſtitit. Hinc cum applicaſſet animum, rebus regni ſui politicis, ordinandis, maximè quãtum ad menſuras, ponderaq; attineret, quæ in omnibus ſuis ditionibus æqualia inſtituere cogitârat, dumq; his intẽtus eſt, moritur anno regni ſui quinto, ſalutis humanæ anno 1320. nullo relicto hærede maſculo.

CAROLVS IIII. REX FRANcorum XLIX. *regnauit annis 7.*

CArolus, eius nominis Quartus, Philippi longi frater, ſucceſſit illi anno 1321. Strangulatur hoc tempore Pariſiis, quidam Iordanus nomine, patria Neruius, (qui duxerat in vxorem

vxorem Papæ Ioannæ matrem) propter multa enormia ab ipſo cõmiſſa crimina: Maximè autem, quòd Curſorem Regium, qui ad eum mandatum deferebat, arrepto ipſiuſmet Curſoris pædo, occiderat. Fuit rex iſte iuſtitiæ patronus acerrimus, ſeuerè ſceleratos homines puniẽs, vnde æquitatis cultor habitus eximius. Fuit regum Francorũ primus, q concesſerit Papæ decimarum partẽ, in ſumtus belli illius, quod gerebatur cum Imperatore Ludouico Bauaro, Roma. Eccleſiæ declarato hoſte. Interim orta fuit diſſenſio, inter Angliæ & Franciæ reges. Anglorum enim rex eripuerat Gallis in Gaſconia certa Caſtella, qui tamẽ à Carolo Valeſio regis fratre tanta vi reiectus fuit, vt etiã Anglum maiore Aquitaniæ parte, exuerit. Iſabella regis ſoror, quæ nupta fuerat regi Angliæ, venit hoc tempore in Franciam, vnà cum ſuo filio, conquerens de marito ſuo Eduardo, quòd omnia regni munera, pro arbitrio nefarÿ hominis Hugonis Oeconomi, diſtribuerentur, ipſa verò deſpectui haberetur. Rex Carolus ſororem conſolatus, adiunctóque illi Ioanne de Henault, viro militaris artis peritiſſimo, qui eam in Angliam reduceret. Ioannes igitur traiecto mari, magno numeroſóq; exercitu, adiutus

tus etiam, ab Angliæ aliquot Principib. quos Regina in ſuas partes pertraxerat, eò rem deduxit, vt rex Eduardus captus, cuſtodiaq; fratris Ducis Denclaſtre (quem rex capite punierat) clauſus, ſeruatuſq; ſit, quoad vitam finijt. Filius eius coronatur Angliæ rex, agnoſcitque regem Galliarum Dominũ ſuperiorem, eorum, quæ Angli in Francia poßidebant. Circa hæc tẽpora rex repudiat vxorem ſuam Blancam, quam diu captiuam in arce Gaillart detinuerat, propter cõmiſſum adulterium. Ducit deinde ſecundam vxorem, Mariam Luceburgenſem, qua breui poſt tempore mortua, permiſſu Papæ, ducit Patrui ſui Comitis Deureux filiam Ioannam, tertiam vxorem. Cùm regnaſſet an. 7. moritur in ſylua Vincennia, anno 1327. ſepultus apud S. Dionyſium.

PHILIPPVS VI. VALESIVS REX Francorum L. *regnauit annis 23.*

PHilippus Valeſius, eius nominis Sextus, agnatus pximus præmortui regis, de præſcripto legum ſalicarum, quæ non admittunt fœminam ad regnum Francicum, excluſo Eduardo Angliæ rege, præmortuorum regum ex ſorore Nepote, coronatur Rex anno 1328.

Non

Non multò poſt, Rex inito cum Flandris prælio, eo quod defecerant à Comite ſuo, Regis feudatario, deuictos eos redegit ſub obedientiam ſui Comitis. Reuerſus in Franciam, pronuntiat ſententiam pro Eccleſiaſticis, in cauſa Iuriſdictionis temporalis, neglectis, à Secretario ſuo Petro de Coignet, adductis rationibus: aiebat enim Secretarius, Regis imperio in ſuos, non parum detractum iri, ſi Epiſcopis conceſſa ſit Iuriſdictio temporalis. Præſtitit etiã hoc tempore, rex Angliæ Eduardus, iuramentum fidelitatis, regi Gallorum, quantum ad poſſeſſionem earum ditionum, quas in Francia poſſidebat. Sed rex Eduardus, non multò poſt, dati iuramenti oblitus, adiutus à Flandris, denuo à Comite ſuo deficientibus, regi Galliæ bellum mouet, deſumptis etiam titulo, inſigniiſq́; regis Gallorum, cuius claſſem paulò poſt, prope Leſcluse vincit. Neque vllæ vnquam ſatis firmæ induciæ inter eos fieri potuere, ſemper enim in bellum deſierunt. Itaq; congreſſi ſunt cãpeſtri prælio, non longe à Crecy, in quo rex Francorum, amiſſis ex prima nobilitate quam plurimis, ſuperatur. Vnde vrbs Caletum deſtituta præſidijs, auxiliorúmq; ſpe ſublata, in poteſtatem Anglorum deuenit, qui

eam

eam retinuerant ad annum vſq; 155 8. Factis hinc inducijs, inter iſtos reges, Philippus recuperat Delphinatum, ea tamen conditione, vt filius regis natu maior, ſemper in illius poſſeſſionẽ mitteretur. Ab hoc rege Gallis varia, nouáq; impoſita tributa fuere. Philippus duxit duas vxores, ex quarum prima habuit tres liberos, nempe Ioannem, qui Patri in regno ſucceſsit, Philippum Ducem Aurelienſem, & Mariam, quæ nupſit Brabantiæ Duci. Secũda eius vxor fuit Blanca, filia Ludouici Hutini, quã moriẽs reliquit prægnantẽ. Anno 1349. anno ſui regni vigeſimo ſecundo. Iacet apud S. Dionyſium.

IOANNES I. REX FRANCOrum LI. *regnauit annis 13.*

IOannes, eius nominis primus, Filius Philippi Valeſii, coronatur Francorum Rex anno 1350. Initio regni ſui, inſtituit ordinem equitum de leſtoille. Rex Nauarræ, gener ſuus, mouens illi litem de Comitatu Campaniæ, fit regi ſuſpectus de appetendo regno, ideoq́; eum captum carcere claudit, vnde Captiui regis frater, Philippus, Anglis ſuadet deſcendere in Aquitaniam, quibus rex Ioannes, exercitu in-

ſtructus, obuiam proceſſit. Cumq́; Angli rem transigere cuperẽt, eſſentq́; à Gallis reiecti, declinarũt nonnihil de publica via, incluſeruntque ſe ſylua vepribus impedita, eamq́; muniérunt, Tantamq́; ſagittarũ vim, in Gallos eos inſequentes, & oppugnantes, emiſerunt, vt exercitus maiore parte vulnerata, facta eruptione, regis copias in fugã coniecerint, regem multosq́; cum eo, ex prima nobilitate, captiuos in Angliam auexerint, belli Duce, Principe de Galles. Dum rex in Anglia captiuus detinetur, Pariſienſes rege Nauarræ de carcere educto, omnia tumultibus miſcent, monetæ regiæ, inter alia, recenter factæ, valorem criminantes, creatoq́; Nauarro rege duce ſeditionis, ſacra prophanis miſcuere, Frãciæq́; tranquillitatẽ perturbarunt. Tumultus huius inſtigato tores fuere Epiſcopus de Laon, & Stephanus Marcellus mercatorũ præpoſitus, qui armata ſeditioſorũ magna multitudine, multis paſſim cædibus ꝑpetratis, inuaſit palatiũ, occiſis duobus regni Mareſchalcis, qui in Delphini cubiculum confugerant. Ipſe etiam Delphinus, quo vitam ſuam ab ijs redimeret, coactus fuit mutare veſtis ſuæ colorẽ in Pariſienſis vrbis colorem, rubeũ nempe Laſuriumq́;. Tandẽ

verò

verò Marcello necato, Carolus Delphinus, regni adminiſtrationem, etiam inuitis Nauarræis adipiſcitur, in qua, ſe, tanta prudentia dexteritateq́; geſſit, vt facta cum Anglis pace, Patrē carcere liberauerit, datis tamen multis in Francia ditionibus, vnà cū trecentis ducatorum millibus, Acceptis obſidibus. Angli regem Ioannem in Franciam demittunt, qui dū, liberandorum cauſa obſidum, in Angliam reuertitur, moritur anno 1363. cum regnaſſet annis 13. Corpus eius fuit relatū apud S. Dionyſium.

CAROLVS V. REX FRANCOrum LII. regnauit annis 17.

CArolus, eius nominis quintus, ſucceſſit patri ſuo Ioanni, in regno Francorum, anno 1364. Rex bello felix, recuperauit enim ferè omnia ea, quæ patri ab anglis erepta fuerant, Quamuis Princeps de Galles, regis Angliæ filius, bellis Gallicis iam diu aſſuetus, ſumma vi contra niteretur. Hunc Carolus poſſeſſione multarum ditionum exutū, nempè, Aquitania, Xainctogne,, Poictou, Perigort, Quercy & Limoſin, in fines Burdegalenſiū diſcedere cōpulit. Per Duces etiā Andegauenſiū, Burgūdiæ & Burboniæ reiecto Robino Canol, q̨ ex vr

be Caleto egreſſus, Principi ſuo auxilia adducens, multa paſſim per Galliam Villas Caſtellaq; incendit, non potuit tamen ſe coniungere ſuo Principi de Galles. Eaq; de cauſa magna pars Galliæ, Anglis erepta fuit: Qui non multo pòſt Caleto egreſſi exercitu triginta mille hominũ, Duce denclaſtre Imperatore, omnia populantes, amiſſa recuperare tentarunt. Verum tanta ijs diligentia obuiam eſt itũ, vt niſi mature fuga ſibi conſuluiſſent, ne vnus quidẽ euaſurus videretur. Aſſiduis iſtis bellis, exhauſto ærario, neceſſe fuit regi, noua ſubditis imponere tributa, ſalis quoq; & vini exigere vectigalia, Gabelle, vocata, Aliâs rex pius, iuſtitiæq; Patronus præclarus, Nõ ſemel viſus aſtare ciuilium cauſarũ Iudicibus, quo ea ſua preſentia populo patrocinaretur. Iuſſu etiã ſuo Biblia, alijq; ſacri libri, in Gallicã linguam transferuntur. Terulipinos etiã nouæ ſectæ, fraternitatis pauperũ inuentores, aboleuit: exuſtis eorũ libris, & cæremonialibus. Papa Gregorius, trãſtulit hoc tempore ſedem papalem ab Auenione, Romã. Rex cũ feliciter regnaſſet annis 17. moritur, anno 1380. relinquens ſuperſtites ex vxore ſua Ioanna Burbonia, tres liberos, nempe Carolum, qui patri in regno ſucceſſit, Ludouicum

uicum

uicum Comitem Turronium, pòſt etiam Ducem Aurelienſem, & filiam vnã Catharinam. Ludouicus Dux Aurelienſis, duxit in vxorem Valentinam, filiam Galeacij Ducis Mediolanenſis, vnde originem ducunt Nobiliſsimæ familiæ Aurelianenſes & Engoleſmenſes, ex qua familia fuit Franciſcus, eius nominis primus, Francorum Rex.

CAROLVS VI. REX FRANCOrum LV. *regnauit annis 42.*

CArolus, eius nominis ſextus, ſucceſsit patri ſuo in regno Francorũ, anno 1380. natus annos ſeptem, eaq́; de cauſa regnum adminiſtratum, à Ducibus Burboniæ & Burgundiæ tutoribus. Ludouicus verò Dux Andegauenſis, nomen obtinuit Gubernatoris, regiamq́; Gazam accepit, decem & octo ducatorum milliones, quam immenſam pecuniam, cum paucis menſibus expendiſset, aut verius diſsipaſſet, populumq́; nouis exactionibus exugeret, cauſam dedit tumultus, diſſenſioniſq́; ciuilis, quæ à Pariſienſib. cœpta, per reliquas regni vrbes peruaſit. Pariſiẽſes enim arreptis armis, omnes regis miniſtros, exigendis tributis deſtinatos, occidunt, quorũ exemplũ ſecuti ſunt ci-

ues Rhotomagenſes & Ambiani. Pariſienſes verò non diu impune tulerunt, ſeueriſſimè puniti, Cum Tutores (qui bello Flandrico occupati fuerant)parta à Roſebeeck de Flandris victoria, Pariſios rediere. Trecenti enim capitali ſupplicio affecti, reliqui medietate bonorum mulctati, rebellionem luerunt. Aboliti etiam Scabini, præfectusq; Mercatorum, per quinquennium. Nobiles etiã populiq; pars magna, Auerniæ, Limoſini & Pictauij, qui ſumptis armis, in Eccleſiaſticos graſſati fuerãt, ſeuerè etiam à Duce Berrenſi puniti fuere. Rex non ita multo pòſt, cum vellet vlciſci iniuriã, à Domino de Caron, Duceq; Britanniæ, regni ſui Coneſtablio Oliuerio Cliſonio illatam, pfectus in Britanniam, Phrneſi correptus fuit. Vnde ea expeditio euanuit, regnumq; denuo p Principes agnatos regitur. Inter quos, ſuper tractanda pecunia, orta diſſenſione, in duas factiones diſceſſerunt, nempe, Aurelienſem, & Burgundiacam, vnde cædes, direptionesq; inſecutæ fuere, maximè autem à lanionibus Pariſienſib. qui partes Ducis Burgundici ſequebantur, quibus adiutus Dux Burgundus, de nocte ducem Aurelienſem aggreſſus, opprimit. Hinc orta bella ciuilia, magno totius Galliæ detrimẽto. Nam

dum

dum Galli inter ſe ciuilia odia exercent, Angli Normanniæ partē magnam inuadūt, prælioq; ad Azincourt victores, capiunt Duces Burbonium & Aureliū, Ita vt Gallia rapiētibus prædafacta ſit. Duce Burgundo in ponte de montereaux occiſo, eius filius Philippus, euocat Anglos, quorū regi præcipuæ Galliæ vrbes traduntur, ſpe matrimonÿ futuri inter eum & filiam regis Caroli, qui moritur anno 1422. cum regnaſſet annis 42.

CAROLVS VII. REX FRANCORUM LIIII. *regnauit annis 39.*

Carolus, eius nominis ſeptimus, còronatur Francorum rex anno 1422. nulla habita ratione ſponſaliorum, quæ inter Henricum Angliæ Regem, & Catharinam ſororem regis, contracta iam anteafuerunt. Angli enim vi contractus ſponſalitÿ, ad ſuum regem Francorum regnum ſpectare affirmabant, eoq; nomine Dux de Betfort, regis Angliæ auunculus, regni maiorem partem obtinebat, Ita vt regis ſui nomine Edicta publicarentur, monetaq; cuderetur. Carolo verò reliqui ferè nihil fuit, præter ditiones, Pictauienſem & Berrenſem, Ita vt Angli per irriſionem eum vocarent, regem Biturigū. Obtinuit nihilominus etiā vr-

bem Aureliam, quam Angli cum obſediſſent, infecta re, ſoluere obſidionē, magno ſuo detrimento, coacti fuere, nauantibus regi fidelē operam, multis militaribus viris, inter quos præ cæteris claruere, D. Ioannes Aureliēſis nothus. Item Dominus de la Hire, & de Poton, fuit etiam in eorum caſtris virgo quædam, Ioanna dicta, tāta animoſitate arma tractans, vt, ſtabiliendo Caroli Regno, eijciendisq́; Francia Anglis, eam cœlitus demiſſam, vulgò crederetur. Fuit etiā rex Carolus, (poſt deuictos, prope Patay de Beauſſe, Anglos, recuperataſq́; aliquot vrbes,) deducēte hac virgine, in vrbe Remēſi coronatus. Quo tēpore Angli, ſuum ēt regem Pariſiis coronarunt, Atq́; nō longo poſt tempore, expugnant vrbē Rothomagū, inibiq́; captā eam, de qua ſuprà dictum eſt, virginem, exurunt. Hinc Philippus Burgundiæ dux Regi Carolo, deſertis Anglis, reconciliatus, occaſionem dedit vrbis Pariſiorum recuperandæ, anno 1436. abolitæq́; factiones illæ non ante multos annos excitatæ, inter Duces Aurelienſem & Burgundum. Induciæ tum, cum Anglis factæ, ſoluuntur, Rexq́; Carolus recuperat Normanniam, facto hinc prælio à Fremigy & Baſtillon, ſuperatiſq́; Anglis, eripit illis etiā Aquitaniā,

occiſo

occiſo eorum Duce Talbotto, Adeo vt Anglis nihil remanſerit in Francia, præter vrbem Caletum, anno 1446. Rex, cùm regnum ſuum pace firmaſſet, regnaſſetq́, annis 39. vitam cũ morte commutat Melioduni, anno Chriſti 1460. ſepultus apud S. Dionyſium.

LVDOVICVS XI. REX FRANcorum LV. *regnauit annis 22.*

LVdouicus, eius nominis Vndecimus, qui ſuperſtite patre, quaſi exul, agebat apud Burgũdiæ Ducem, agnatum ſuum, audita Patris morte, deducente hoc Duce, regreditur in Franciam, coronatúrq́, rex in vrbe Remenſi, anno 1461. Initio regni ſui, deuenit ad mutua colloquia, cum rege Hiſpano, oppigneratúſque tum Comitatus de Roſſillon regi Franciæ fuit, vnde pòſt varij tumultus orti ſunt. Miniſtros domeſticos, quorum fideli opera Pater eius vſus fuerat, omnes loco mouit, in eorum locum, vilis conditionis hominibus introductis, quæ res animos nobilium ita exacerbauit, vt ſumtis armis, pertracto in ſuas partes regis fratre Carolo, bono Reipublicæ, vt ipſi aiebant, regi bellum intulerint, facto prope Montericum,

 prælio

prælio regem ſuperarint, factionis duce Carolo Burgundo. Rex diſsimulata iniuria, reſtituit in priſtinam dignitatem, omnes eos quos loco mouerat. Paulo pòſt Carolus Burgundus, mortuo patre ſuo, fit Burgundiæ Dux, Hinc nactus regem Peronæ, inuitũ quodammodo, vnà ſecum, ad expugnationem vrbis Leodij, proficiſci compulit. Qua expugnata, Rex reuerſus in Franciam, inſtituit ordinem Equitũ D. Michaelis, quo tẽpore Aquitaniæ Dux, frater regis, veneno extinctus eſt. Carolus Burgundiæ Dux, id regis iuſſu conſilióq; factũ criminans, euocatis in continentem Anglis, regi bellum mouet. Diligentia verò dexteritatéq; regis ſopito bello, factis etiam cum Carolo Duce inducijs, eóq; non multò pòſt, prælio contra Heluetios prope Nanceium commiſſo, occiſo, Rex recuperat Burgundiæ ducatum, Vrbes etiam, Mondidier, Peronã, Royam, et Amyens, earúmq; poſſeſsionem retinuit, (nequicquam reluctante Maximiliano Auſtriaco, qui filiam vnicam Ducis Caroli, in vxorem duxerat,) pax tamen inter eos facta, intercedente matrimonio Caroli Delphini cum Marguerita Flandrica. Ab hoc tempore primum diſpoſiti ſunt equi celeres, per Frãciam,

quos

quos Poſtas vulgò vocamus. Ab hoc etiam regeprimum, Heluetijs annua ſtipendia data. Cum regnaſſet annis 22. extremóq; ſupplicio affeciſſet Comitem S. Pauli, & Ducem de Nemours, moritur anno 1483. ſepultus apud S. Mariam de Clery.

CAROLVS VIII. REX FRANCOrum LVI. *regnauit annis 14.*

Carolus, eius nominis octauus, vnicus Ludouici præmortui regis filius, ſuccedit in regno Franciæ, anno 1484. natus annos quatuordecim. Vnde in ſtatuum conuentu, Turonenſi ſtatutum fuit, ne quis ſubſtitueretur illi regni adminiſtrator, ſed vt negotia maioris ponderis, à Conſiliarijs, ſub nomine regis expedirentur. Ludouicus, Dux Aureliæ, adminiſtrationem regni ambiens, ægre tulit ſe ab ea excludi, nihil, quo ad eam peruenire poſſet, intentatum relinquens. Hinc ſeceſſit in Britanniam, facto deinde prælio, apud S. Albinũ, capitur ipſe, & belli ſuus ſocius Princeps Auraniæ. Mox tamẽ liberatur interuẽtu vxoris ſuæ Ioannæ, (quæ ſoror regis erat) Rex repudiata Marguerita Flandrica, eáq; ad fratrem ſuum Archiducem miſſa, (cum quo ante paulo pacem

pacem fecerat, reſtituto illi Comitatu Arteſiæ) duxit Annam, hæredem vnicam regni Britãnici, (licet Imperatori Maximiliano deſponſata fuiſſet) eóq; matrimonio Britannia, Franciæ regno, vnita fuit. Reſtituit etiam, religione tactus, regi Hiſpano Comitatum Ruſsinum. Ideo, cum domi omnia pacata videret, adiecit animum ad recuperationem regni Neapolitani, quod ad eum ſpectare dicebatur, ex ſucceſſione Renati regis Siciliæ, & Ducis Andegauenſis, quæ res illi ſucceſsit ex animi ſententia. vix enim ſtricto gladio, regnum occupat, réxque coronatur, Alphonſus enim rex, eiuſq; filius Ferdinandus, ne expectato quidem Gallorum aduentu, regno diſceſſerant. Rex conſtituto regni Neapolitani Gubernatore, Gilberto Mompenſierio, reuertitur in Franciam. Verum cum perueniſſet ad Foronouum, tãta hoſtium multitudine clauſus fuit, vt etiam vitæ periculum non mediocre adierit. Tribus enim, Romanorum, Venetorum, & Mediolanenſium, exercitibus, iter ipſi præcluſum erat. Rex verò hortatus ſuos, generoſo pectore, medias hoſtium Phalanges, magna hoſtium facta cæde, armatus perrumpit, euadítq; in Galliã, eadémq; victoria liberat Ducem Aurelienſem,

ſem, Nouariæ obſeſſum, facta quoq; pace, cum Ludouico Mediolanẽſium Duce. Audita hinc defectione Neapolitani regni, cumq; regnaſſet annis 14. ſpectans in vrbe Amboſia Nobiles, pilæ luſu ſeſe exercentes, improuiſa morte moritur, anno ſalutis humanæ 1497.

LVDOVICVS XII. REX FRANCORUM LVII. *regnauit annis 17.*

LVdouicus, eius nominis Duodecimus, regis præmortui agnatus proximus, ſucceſsit in regno Francorum, anno 1497. Initio regni ſui, offendens ærarium exhauſtum, pecuniæq; indigens, Regni officia omnia (exceptis Iudiciarÿs) auro venalia propoſuit, repudiata Ioanna, filia Ludouici Vndecimi, duxit prædeceſſoris ſui relictam viduam, Annam Britanam. Inſtituto hinc Parlamento Rothomagi, Vniuerſitatéq; Pariſienſi reformata, ſuſcipit expeditionem trãſalpinam, recuperátq; Ducatum Mediolanenſem, & Genuam, Mediolanenſium Duce Ludouico capto, & in Galliam trãſmiſſo, qui in carcere pòſt moritur. Circa hæc tempora, pax facta inter regem Rom. Archiducem, & regem Hiſpanum, qui nihilominus

Gallis

Gallis eripuit regnum Neapolitanum, quod denuo recuperârant, nequicquã indignante rege Gallorum. A quo, hoc tempore, Papæ reſtituitur Bononia, à Bentiuolis occupata. Domitis deinde Genuenſibus, Pauloq́ Nouio ſeditionis auctore, capitis punito, Venetos aggreſſus, non procul ab Agnadel, prælium cum ijs committit, eorúmq́ Imperatorem capit, faciléq́ eos deuiciſſet, niſi Papa (bellicoſus magis quàm religioſus) accepti beneficij immemor, ad Venetos defeciſſet. Rex igitur mittit Gaſtonem Foxium nouis inſtructum copijs, in Italiam, qui magna celeritate Alpes tranſgreſſus, Bononiam occupat, prælióq́ prope Rauennam facto victor, dum partam victoriam nimio ardore perſequitur, ab Hiſpanis occiditur. Quo incommodo accepto Papa proſcribit regna Galliæ & Nauarræ, eáq́ occupantibus permittit. Eam nactus anſam rex Hiſpanus, regnum Nauarræ inuadit. Concitauit etiam Papa in regem Franciæ, Anglos, Romanorum regem, Venetos & Heluetios, à quib. rex vno tempore diuerſis in locis oppugnatus fuit, ab Heluetijs circa Dijon, ab Anglis Terouanna expugnatur. Emerſit tamen rex feliciter, ex omnibus hiſce difficultatibus. Cum Anglis etiam

iam pacem facit, ducta Maria, regis Angliæ ſorore, in vxorem, cum qua cùm ad tres menſes vixiſſet, moritur Pariſiis, anno 1514. cùm regnaſſet annis 17. Iacet apud S. Dionyſium.

FRANCISCVS I. REX FRANcorum LVIII. regnauit annis 32.

FRanciſcus, primus eius nominis, præmortui regis agnatus proximus, fit rex Francorum, anno 1515. In quo tanta cum grauitate, dignitateq́; verſatus eſt, vt merito toti terrarũ orbi admirationi fuerit, fuit.n. virtutibus ijs omnib. quæ regem decent, ornatiſſimus. Inſtituit Pariſiis collegium, in quo tres linguæ docerẽtur, reliquas quoq; artes liberales, quæ tũ paſſim peſſum ierant, quaſi poſtliminio reuocatas, priſtinæ dignitati ſuæ reſtituit. Vnde meritò literarum reſtaurator, literatorúmq; mecœnas vnicus appellatus fuit. Artis ẽt militariæ peritiſſimus, ꝙ reipſa nõ ſemel oſtendit, deuictis Heluetijs, occupato Mediolano, capta Fontarabia, depulſis à Galliæ ceruicib. Anglorũ, Imperatoriſq;, numeroſiſſimis exercitibus. Tum Carolus quintus Frãcoſurti eligitur Germanor. Imperator. Rex cum

cum Heluetijs fœdus facit, ſoluta annua penſione, Papæ Leoni 10. ſe reconciliat, abolita Pragmatica ſanctione, non ſine querela Eccleſiarum Gallicarum. Papa dimiſſis per Germaniam multis præconibus, pollicetur peccatorum remiſſionem ijs, qui domo, patriaq; relicta, cruceſignati, in bellum cōtra Turcas proficiſcerentur. Martinus Lutherus eorum clamoribus excitatus, in Emiſſarios iſtos inuehitur, populóq; rerū ſummā detegit. Dux Borbonius à rege Gallorū deficit ad Carolum Imperatorem, eiuſq; exercitus in Italia factus Dux, Romam expugnat, ipſe, dum murū ſcandit, occiditur, Roma capitur diripiturq;. Rex Francorum, dum Mediolanenſem Ducatum recuperare ſtudet, Vrbem Papiam obſidet, ſub mœnibus vrbis, commiſſo cum Imperatoris exercitus ducibus prælio, capitur, & in Hiſpaniam auehitur anno 1524. Rhodus à Turcis expugnatur. In Hiſpania deinde tranſactum fuit, de liberando rege captiuo, eodémq; tempore pax inter eum & Imperatorem facta in Belgio, in vrbe Cameraco, anno 1535. renato bello, rex Sabaudiam, Pedemontanamq; ditionem inuadit, Imperatorem prouincia excedere cogit: Induciæ decennales ſequuntur. Imperator

rator per mediam Galliam proficiſcitur, ad ſedandos tumultus in Flandria, per ſuam abſentiam, ortos, ijs ſopitis, bellum redintegratur, quod tamen poſt non multas incurſiones hinc inde factas, ſopitur, anno 1544. Quo tẽpore Angli occupant Bononiam maritimam. Rex recuperandæ vrbi intentus, erectis circa eam aliquot caſtellis & propugnaculis, moritur à Rambouillet, An. ſalutis humanæ, 1546. cum regnaſſet annis 32. relictis duobus poſt ſe liberis, Henrico, qui ei in regno ſucceſſit, & Margarita filia.

HENRICVS II. REX FRANCORUM LIX. regnauit Annis 13.

HEnricus, eius nominis ſecundus, coronatur Rex Francorum, die ſuo natali nempe Martij menſis die vltimo, anno 1547. paternarum virtutũ non minus, quàm regnorum hæres. Initio regni ſui ſubmiſit Scotis auxilia contra Anglos, eosq́; in Gallia aggreſſus, omnibus, ab ijs occupatis, circa maritimam Bononiam caſtellis, expulſos, in vrbem confugere cogit, quam non multo pòſt deditione cepit. Renouat etiam paternum fœdus cum Heluetijs. Anno 1552. euocatus ab aliquot Germaniæ Prin-

nia Principibus, expeditionem in Germaniam ſuſcipit, occupata in tranſitu, Vrbe Mediomatricum, Lotharingiæ primaria. In reditu expugnat D'Anuillierium, Iunûm, Mommedium, & alia aliquot Caſtella, hoſtium ſuorum receptacula. Papæ Iulio reconciliatus, Parmã, Mirandolamq́, Italiæ vrbes liberat, Senenſibus, ab Hiſpanis ereptam, libertatē reſtituit: Imperator Carolus quintus Vrbē Mediomatricū obſidens, magna exercitus parte amiſſa, re infecta diſcedit. Rex cœptis feliciter inſtans, capit Marieburgum, Bouiniū & Dynantum vrbes, nequicquam reſiſtente Imperatore, qui magno militū numero amiſſo, circa Rentinū reÿcitur. Induciæ factæ, paulóq́ pòſt, inſecutis aliquot leuibus prœliis, irritæ factæ. Tum Caroli Imperatoris filius, Hiſpaniæ rex, Philippus, Vrbē S. Quintinū obſidet, factoq́ prælio, occiſis Gallorum aliquot millibus, captis etiã, ex prima nobilitate, quãplurimis, expugnat & diripit. Rex Francorum, reſtauratis viribus eripit regi Philippo Vrbes Caletum, Guyneium, Hanium, & Comitatum Oianum, inſtructiſq́ copiis, hoſtibus obuiam progreditur, qui tum apud Vrbem Ambianum caſtra habebant. Vnde, æquato

quaſi,

quaſi, vtrinq; damno, pacis conditiones fuère initæ, interuenientibus connubijs, Regis Philippi, cum filia natu maiore, Henrici regis, & Principis Pedemontani, cum ſorore vnica dicti Henrici Regis. Hinc omnia lætitiæ plena, per totam vrbẽ varia ſpectacula ædita, omnium animi gaudio perfuſi fuere. Sed veriſsimè, inuicem cedunt, dolor ac voluptas, vt ait Tragicus. Rex enim ipſe armatus decurrens, fruſto diſrupta Lanceæ in oculum ſuum adacto, apud ſuos gaudio in dolorem mutato, poſt paucos dies, vitam finijt, Regni ſui anno 13. Iulij menſis die 10. Anno ſalutis humanæ 1559.

FRANCISCVS II. REX FRANcorum LX. *regnauit annis 2.*

FRanciſcus, eius nominis ſecundus, primogenitus Henrici regis, anno ætatis ſuæ 16. coronatur Rex Francorum anno 1559. Iam antea Scotiæ etiam Rex, ducta in vxorem, vnica Iacobi Stuardi Scotorum Regis filia, illiusq; ergo, ante aliquot menſes, miſerat præſidium Gallicum, ſedandis tumultibus, religionis cauſa, in Scotia ortis. Initio regni ſui, deducens ſororem ſuam ad ducem Lotharin-

gum, cui deſponſata fuerat, diuertensq́; in vrbẽ Amboſiam, oritur ſeditio, eò quòd aduenerant aliquot viri Nobiles, qui cuperent regi offerre ſupplices libellos, ſuper negotio reformatæ religionis. Quod vero armati eò veniſſe dicerentur, repulſam patiuntur, affecti etiam ſupremo ſupplicio, eorum nonnulli, die Martij 15. anno 1560. Publicaturq́; Edictum abolitionis, eorum cauſa, qui à Romana Eccleſia ſeceſſerant, ſeditioq́; ſedata fuit. Hinc non multo poſt, cum rex eſſet in publico regni conuentu, in ſua amœniſſima arce Fontanableau, offertur ei libellus, eorum nomine, qui reformatam religionem profitentur, liberum, tutumq́; religionis ſuæ exercitium rogãtes, concedi ſibi etiam petebant Templa, aut alioquin alia accõmoda loca, in quibus luce palàm, verbi diuini conciones audire, Sacramentaq́; adminiſtrare queant, vt ſic eorũ fides hominib. innoteſcat, liberenturq́; tandẽ calumnijs ijs, quibus paſſim falſo ſugillarentur, quorum nihil tũ impetrare potuerunt, reiecit tamen rex eos ad Vniuerſi Regni ſtatus, quos breui conuocare ſtatuerat, Publicato etiam edicto, vt omnes, & ſinguli Regni ſui ſubditi, pro ſe quiſq́; querelas, grauaminaq́;, eò deferrent, libereq́;

propo-

proponerent, quibus omnibus, quantum æqui tas iuſtitiaq́ pateretur, mederi ſe velle ſignificauit. Mandat etiam Prouinciarũ præfectis, vt ſinguli ſuas ditiones diligenter obeant, ac luſtrent, ne quid Reſpub detrimenti capiat, Ne ue ſtatuum regni conuocatio, vllo pacto per tu multus excitatos, retardetur, aut impediatur. Dum his intentus, exercitu etiam inſtructus, degit in Vrbe Aurelienſi, nato circa aures eius hulcere, paucis diebus extinguitur, cũ regnaſſet menſes ſedecim, dies 26. die Decembris 5. anno à Chriſto nato 1560..

CAROLVS IX. REX FRANCOrum LXI. *regnauit annis 13.*

CArolus, eius nominis nonus, mortuo fratre ſuo rege Franciſco, coronatur Francorum rex, anno 1561. menſe Maio. Non intermiſſo interim Conuentu ſtatuum, à prædeceſſore ſuo, in Vrbe Aurelienſi indicto. Vbi de conſenſu conuocatorum ſtatuum, Adminiſtratio regni, Reginæ matri, Regiq́ Nauarræ conceſſa eſt, donec rex (tunc annos vndecim natus) pubeſcat, maiorq́ declaretur. Conuocatur etiam colloquium Primorum Parlamenti, alio-

rumq́; ex tota Gallia doctorum virorum, publicaturq́; Edictum, anno 1562. menſe Ianuario, quo concedebatur, reformatam religionem profitentibus, eam extra vrbes exercere. A contrariæ opinionis hominibus, non multo poſt impediti, Latrociniorum, cædiumq́; via facta fuit, ſubſequente ſanguinolento ciuili bello. Cum nefarij homines, ſub religionis prætextu, teterrima quæq; facinora aggrederentur. Secutum etiam prælium prope oppidum Druidum, decembris 19. anno 1562. Mortuo deinde in obſidione Rhotomagẽſi, Rege Nauarræo, Duce etiam Guiſio in obſidione Vrbis Aureliorum, à Poltrotto quodam obtruncato, anno 1563. pax facta eſt, eodem anno menſis Martij die 13. publicatumq́; edictum, quo concedebatur liberum exercitiũ reformatæ religionis, in multis Franciæ vrbibus, etiã extra eas. Rex declaratus Maior, luſtratis præcipuis Regni ſui Ciuitatibus, conuocat ſtatus Regni in Vrbem Molinium, vbi multa, publicam pacem ſpectantia, decreta quidem, ſed vana irritaq́; ſequenti anno fuere. Vnde ſecuta eſt cruenta illa pugna inter Pariſiorum Vrbem & S. Dionyſium anno 1567. die Nouem. 10. In qua occubuit Coneſtablius Franciæ, cuius morte, deſer-

te, defertur exercitus Imperium ad Regis fratrem Ducem Andegauenſem, natum tunc annos 19. Qui deinde cum Admiraldio, Principeq́; Condæo, reformatæ religionis exercitus Imperatoribus, conflixit prope Baſacum. Condæus captus occiditur. Admiraldius obſidet Pictauium, infecta re diſſoluit obſidionem. Hinc confligit cum Papiſtis, die Octo. 3. 1569. Anno deinde 1570. nouæ pacis conditiones initæ, quæ, anno 1572. menſe Auguſto, interueniente connubio Regis Nauarræi cum Regis ſorore, in perpetuam firmamq́; pacem tranſituræ credebantur. Ideoq́; Admiraldius, Condæus, reliquiq́; reformatæ religionis viri Nobiles, eò, à Rege inuitati aduenerant, qui quomodo excepti, etiam dimiſſi fuerint, cum toti terrarum Orbi notiſſimum ſit, hîc narrare ſuperfluum fuerit. Carolus cũ fuiſſet Rex annis 13. viuos reliquit, anno 1574.

HENRICVS III. REX FRANcorum LXII. *regnauit annis*

HEnricus, eius nominis tertius, Dux Andegauenſis, iam antè à Polonis in Regem aſcitus, & coronatus, intellecta fratris ſui,

Regis Caroli morte, cui ætate proximus erat, ideoq; regnum Francorum ſucceſsionis iure, ad ſe ſpectare ſciret, re cum aliquot Poloniæ Principibus communicata, ſignificauit ſibi neceſſario in Franciam proficiſcendum, cum capiendi poſſeſsionem regni, tum etiam confirmandæ in eo pacis præcipue cauſa, ſeq; intra annum, ad eos in Poloniam reuerſurum promittens. Cum ij reſpondiſsent, iniquũ fore paucorum eũ conſenſu regno diſcedere, qui ad id, communi omnium conſentiente voto, accitus eſset. Ipſe omnis moræ impatiens, conuocatione ſtatuum Polonici regni nõ expectata, comitatus duobus domeſticis Gallis, intempeſta nocte, equorum incitatiſsimo curſu, ex Vrbe Poloniæ primaria Cracouia, euadit in Franciam, coronaturq; Francorum rex anno 1574. Neq; vero Francia eius aduentu, optatam, omniumq; votis expetitam pacem, conſequi potuit. Quare frater eius Dux Alẽconius, cui iam olim prædeceſſor rex Carolus cuſtodes poſuerat, vt quæ ageret, quibuſcum etiam loqueretur, ſcire poſſet, cum ab hoc nihil humanius ſe haberi videret, eò quod externorum hominum in Francia dominatum, magno Reipub: detrimẽto, Gallicæq; Nobilitatis ſingulari

præiu-

præiudicio inoleſcentem, damnaret, cuſtodia feliciter euadit in ſuæ ditionis vrbem Dreux, anno 1575. die 16. Septembris. Vnde ſtatim publico ſcripto Chriſtianis Principibus mentem ſuam, diſceſſúſq; ſui ex aula fraterna cauſam, teſtatam facit, eorúmq; opes, auxiliáque implorat. Chriſte faue tuis.

De dvcibvs
SEQVVNTVR MONOSTICHA
DE ORDINE ET TEMPORE
Imperij ſingulorum Principum Belgij.

1. Theodoricus Aquitaniæ.

Per quatuor decadas Primus dat iura Batauis. 40

2. Theodoricus ſecundus

Hic ſeptendecimum finit moderamine luſtrum. 85

3. Arnoldus Hollandiæ.

Quinta ſed Arnoldũ Phriſiis malè prodidit æſtas. 5

4. Theodoricus tertius.

Ter tredecim, ſeptémq; hiemes Theodoricus exit. 46

5. Theodoricus quartus.

Aeſtas nona diem ſupremum infecit ab arcu. 9

6. Florentius primus.

Hebdomadas Florus geminas amiſit in vmbra. 14

7. Gertrudis. vidua Florentij.

Vnum Gertrudis ſedit viduata Decembrem. 1

8. Robertus Phriſo.

Octauo retinet ſub Conſule frena Robertus. 8

9. Gothiphrædus Lotharingiæ.

Temporis & medium vi Gotiphrædus obibat. 4

10. Theodoricus quintus

Hebdomadem decadi quintus Theodoricus addit. 17

11. Florentius Obeſus.

Ac ter ſeptenis decadem Florentius annis. 31

12. Theodoricus ſextus.

Octo luſtra regit Sextus, ſuperóſque relinquit. 40

13. Floren-

13. Florentius tertius.

Térque nouem meſſes & Florus tertius implet. 27

14. Theodoricus ſeptimus.

Tertia poſt decimam te Septime finijt æſtas. 13

15. Ada, Theod. ſeptimi filia.

Ada ſemel tantùm bifrontem vidit Ianum. 1

16. Guilielmus primus.

Prime nouemdecies Guilielme potiris habenis. 19

17. Florentius quartus.

Zelotypus Florum bis ſexto ſuſtulit anno. 12

18. Guilielmus II. Rom. Rex.

Cæſar olympiacas quatuor, ſed caſus, habebat. 20

19. Florentius quintus.

Luſtráq; poſt ſeptē foſſus, ſex Quinte Nouembres. 41

20. Ioannes Hollandiæ.

Per quatuor meſſes Batauus regnabat Ianus. 4

21. Ioannes Hannoniæ.

Alter olympiadem claudit non degener Hanno. 5

22. Guilielmus Bonus.

Trigintáque duos faſces Bonus inde gerebat. 32

23 Guilielmus quartus.

Nona necem Quarto in Phriſia prædixit hirūdo. 9

24. Margarita Ludouici vxor.

Margarita tibi gliſcit noua factio luſtro. 5

25. Guilielmus quintus.

Autumnis ſeptem ſedit, rapitúrque phreneſi. 7

26. Adelbertus Bauariæ.

Alberto poſt luſtra nouem non defuit annus. 46

27. Guilielmus ſextus.

Tertia poſt decimam Guilielmum ſuſtulit æſtas. 13

28. Ioan-

28. Ioannes Bauariæ.

Sexta Leodinum nec paſta ciconia tollit. 6

29. Iacoba Bauariæ.

Fœmina per decadem terris iactatur, & alto. 10

30. Philippus Burgund. Bonus.

Poſt decades ternas quatuor Bonus addit ariſtas. 34

31. Carolus Audax.

Carolus hebdomadem trieteride finit in armis. 10

32. Maria Charleſia.

Præcipitatur equo quinta Charleſia meſſe. 5

33. Maximilianus Auſtrius.

Maximus hebdomadem quinis coniungit ariſtis. 12

34. Philippus Auſtrius.

Tantundem proles feſtina morte Philippus. 12

35. D. Carolus Auguſtus.

Carolus autumnis tredecim ſex luſtra coëgit. 43

36. D Philippus Catholicus.

Serius, aut nunquam terris diſcede Philippe.

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFORTI
AD MOENVM, IMPENSIS
Sigiſmundi Feyrabenij.



M. D. LXXXIII.